LECTIONES DECEM.

G.11.57

DE TOTIDEM RELIGIONIS Capitibus præcipuè hoc tempore controversis prout publicè habebantur Oxoniæ in Vesperijs.

PER
IOHANNEM PRIDEAUX Exoniensis Collegij Rectorem, & S. Th. Professorem Regium.

Editio secunda, priori emaculatior, & auctior.

PHILIP. 2. 13.
Ὁ Θεός ἐστιν ὁ ἐνεργῶν ἐν ὑμῖν καὶ τὸ θέλειν καὶ τὸ ἐνεργεῖν ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας.

AVGVST. de Natura & grat. contra Pelag. cap. 45.
Natura sic apparet vitiata, vt hoc maioris vitij sit non videre.

OXONIÆ,
Excudebant *Iohannes Lichfield*, & *Guilielmus Turner*, Academiæ Typographi. 1626.

LECTIONES DECEM.

107.624

CELSISSIMO DOMINO CAROLO PRINCIPI WALLIÆ, DVCI CORNVBLÆ, &c. SERENISSIMI IACOBI MAGNÆ Britanniæ Regis, Filio Vnico & Hæredi.

IN tempestiva forsan videatur (Princeps Maxime) inter tot apparatus Bellicos libelli Dedicatio. Sed Theologis etiam sunt sua Polemica, cùm non pacem tantùm, sed gladium ex Testamento Salvatoris possideant. Siquidem

ab ea recenti temporis infantia, *qua inter* ſemen mulieris & ſerpentis *denunciatæ ſunt* inimicitiæ, *non* Fratres *ſolùm in eodem vtero, ſed &* Civitates *in conſpicuo mundi* Theatro *in partes abiere. Quin & in ipſo* cœlo *conflictus inter* Michaelem & Draconem *ſpectator ſit* Apocalyptes. Equites, Tubæ, Phialæ, *non contemnendi diſcriminis*, cœleſtia *ſunt indicia. Qui habet* aurem, audiat: *aut* oculum, veniat, & videat. *Fœlices illi inter tot Turbas, qui ſigillo* Dei vivi *muniti, Beſtiæ deteſtantur* characterem. *Tales enim ſub* Agni Auſpiciis & vexillo, *ad præſtitutam militant victoriam. Nunc verò in quem (totius præcipuè* Europæ) *coniecti ſunt oculi, an non in tanti* Patris, *talem* Filium, Iacobi Carolum? *Numquid*

quid deſunt hodiè Beſtiæ *ſubjugandæ*, vulpeculæ *capiendæ*, Lupi *abigendi*, Locuſtæ *proſtigandæ*, Ranæ *conculcandæ*, Gog & Magog *cum numeroſo ſatellitio ad internecionem delendi*? *Cinge igitur* gladio Femur tuum ô Fortiſsime, *vbi enim talis* Ionathas *cum* Armigero, *inter* dentatas Petras *aſcendit ad* hoſtium *propugnacula*, *commovebitur* terra, & *terga dabunt* Philiſtæi. *Fauſtiſsimo huic cordatorum omnium* augurio *fidem faciant ea* (*vtcunque primo intuitu videantur* abſtractiora) *quæ inſequens delineat pagina*. *Quicquid enim* mortalium *verſutiæ*, proponunt, diſponunt, opponunt, *fixiſsimum tamen ſtabit* Altiſsimi *decretum*, *nec vacillabit ipſius* præſcientia, *ad* vertiginis *humanæ flexus*; *ſed*

quos destinatâ *præ cæteris illustravit* gratiâ, *sic à cæteris* separabit, & vocabit, *vt per* solam fidem, *in* Filio iustificentur, *à quo non vnquam* planè *vel* plenè *deficiant. Hinc* certi *possint esse, se non cum* Ethnicis *aut* reiectis *esse* perituros, *sed ostendant in adversantium* opprobrium conspectiorem *indies* Ecclesiam. *Hoc autem quodcunque est opella* (Principum *omnium* fœlicissime) *Tuæ Celsitudinis* scabello *prostratus admoveo, cujus vel ipsum* Nomen, *vt* Iehovæ *gladius* & Gideonis, *non tàm terreat, quàm conterat circumlatrantium incursus.* Carolum *antehac* Magnum *extulit* Germania, *Maximum in posterum celebret nostra* Britannia, *in quo fœlicissimè recumbat* Divini Patris *immortale* senium, &

cla-

clarissimi Henrici Fratris *revirescat indies memoria. Hoc non cessabit* jugi *Orationis* Sacrificio *à Deo Optimo Maximo efflagitare*

Celsitudini Tuæ

summississimè devotus

IOHANNES PRIDEAUX.

AD LECTOREM.

NON *multis te morabor* (Lector Benevole) *ne* porta (vt *aiunt*) Civitate *evadat patentior*: *quas habes hîc* prælectiones, *extorqueri potiùs passus sum à me, quàm emisi.* *Maldonat. ad Luc. 2. v. 34.*

Scitum est illud Iesuitæ cuiusdam ad Textũ *obscuriorem glossema*. Nescio an facilior hic locus fuisset, si nemo eum exposuisset. *Sanè si* pauciores, *vel* modestiores *saltem* & cautiores, *imò ad* prædestinationis & arbitrij *Abyssum laxassent retia*, confirmatior *fortasse perstitisset* & explicatior *de hisce* abstrusioribus *fides*. *Nunc verò cùm quilibet* vrinator *esse velit, ne cæteris videatur imperitior; emergunt plerumq; tot* sententiæ, *quot expeditiùs dissipes, quã enumeres*. *Vt conclamata* Pelagianorum & Semipelagianorum *non refodiam, nec vnguis hæreat in crudiori* Iesuitarum & Dominicanorum *Divortio, nunquid tandem inter privatos parie-*

tes sint satis salva omnia; Annon fumigat adhuc alicubi, & scintillat, & flammam tandem minatur Arminij incendium? Ista autem quò tendant, oculatiores facilè perspiciunt. Quàm apertè arant Remonstrantes Socinianorum vitula, Specimen ante Synodum Dordracenam, exhibuit vir clarissimus Festus Hommius; in Synodo, confessio horrenda Fratrum Geisteranorum; post Synodum, nuperrimè in suo Sociniano-Remonstrantissimo, Nicholaus Bodecherus. Non instituti est, hunc nasum ita premere, vt sanguis eliciatur: Qui Acumini & ingenio tam impensè litant, vnde discedant, fortasse faciliùs sentiant, quàm vbi consistant, inveniant. Modestioribus aliquam saltem facem præferant, quæ subijciuntur Lectiones, in quibus styli neglectum, excusabit (vti spero) rei tractandæ Natura, quæ non Phalerata exigit, sed fortia, vnde intellectus instituatur, non affectus demulceatur. Methodus vniusmodi est, quæ ab alijs laxiùs aut contractiùs in vtramque partem prolata, commodè colligat aut dilatet. Intertextæ sunt Benedictiones pro more nostræ Academiæ, quas qui legerit, forsan percipiet, à re

dis-

discutienda *prorsùs non abludere: qui* supervacaneas *duxerit, sine dispendio transiliat. Vbi non expectet vlteriùs quispiam,* accuratum & plenum *de quolibet* titulo *tractatum, sed præstitutis* horæ angustijs *dimensum. Quæ irrepserunt hinc inde* σφάλματα, *inter Festinantis* preli *calorem, & meæ conditionis* avocamenta, *Tuum erit* (non morosè æstimator) *vel minùs facere, vel corrigere. Non necessaria sciens amputavi* testimonia, *ne ambitioso* Nominum Catalogo *circumflueret pagina, qui lectorem potiùs retardaret, quàm institueret. Et lis est* (vt notum est) *præcipuè cum ijs, qui elati proprij* Acuminis remigio, *susque deque plerumq; habent, quid* Maiores *senserint, aut dictauerint. Pugnandum igitur erat magis* rationum momentis, *& certissimis ex* sacra pagina *deductis consequentijs. Quod quàm dextrè præstitum sit, tuum est, qui perpendis, æstimare, nec illum contemnere*

Qui docet, vt didicit

IOHANNEM PRIDEAVX.

Rerum Capita.

De
1 *Absoluto Reprobationis decreto.*
2 *Scientia Media.*
3 *Gratia Vniuersali.*
4 *Conuersionis Modo.*
5 *Iustificatione.*
6 *Perseverantia Sanctorum.*
7 *Salutis Certitudine.*
8 *Salute Ethnicorum.*
9 *Visibilitate Ecclesiæ.*
10 *Æquivocatione Iesuitica.*

Quæstiones.

An
1 *Detur absolutum Reprobationis decretum?*

2 Præter simplicis intelligentiæ & visionis, statuatur in Deo, scientia quædam tertia & Media?

3 Gratia sufficiens ad salutem concedatur omnibus?

4 Ex duobus in æquali gratia constitutis alter convertatur & salvetur, alter resistat & pereat?

5 Sola fides, quatenus apprehendit Christi merita, & illis innititur, iustificet?

An 6 Vere fideles possint gratiâ Finaliter aut totaliter excidere?

7 Fidelis certus esse possit aut debeat de sua salute?

8 Gentes quæ nec Messiam Promissum expectárunt, nec missum agnouerunt, ex naturæ lumine salutem potuissent consequi?

9 Ecclesia protestantiũ à Papali di-

An { stincta, ante Lutheri Reformationem, quouis sæculo orbi Christiano fuerit conspicua?
10 Æquivocatio Iesuitica excuset à Mendacio aut Periurio?

LECTIO I.

IN VESPERIIS COMITIORVM habita Oxon. Iulij 6. Ann. Dom. 1616.

De Absoluto Reprobationis decreto.

ROM. 9. 10, 11, 12.

10 ——*Rebecca ex uno concubitu habens Isaac patre nostro.*

11 *Cùm enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali; ut secundùm electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante.*

12 *Dictum est ei, Quia maior seruiet minori.*

INter ἀυσνόητα ista, quæ *instabiles* torquent ad suum & Ecclesiæ scandalum; duo mihi videntur hodiè præcipuum Theologis facessere negotium, *Absolutum* Dei *decretum*, & *seruum* hominis *arbitrium*. De quibus ut novæ indies seruntur lites; ita veteres semper extitêre quærelæ; 2 Pet. 3. 16.

relæ; agente nimirum *Satanâ* eosdem cuniculos: qui ne recens desit discordiæ seges, ita conclamatas resuscitat è puteo *hæreses*, ut cum revolutionibus dicas cælestibus in orbem illas redire. Quis enim redivivos non animadvertit in *Anabaptistis*, *Circumcelliones*; in *Tranſylvanis*, *Arianos*; in *schismaticis* nonnullis, *Donatistas*; in alijs, *Pelagianos*; in *Iesuitis*, omnes? Quin verendum est ne etiam nunc serpat inter *Orthodoxos*, plus quàm par est, *Pelagianismi* cancer. Dum enim elatiores nonnulli *acuminis*, & nescio cujus *profunditatis Scholasticæ* affectantes applausum, sic de Dei *decretis* philosophantur, ac si exigenda essent hæc *inscrutabilia*, ad rationis humanæ decempedam; fit ut penduli vacillent inter *gratiam*, & *liberum arbitrium*; nec cœlum attingentes, nec terram: Sed statuentes potiùs de *salute*, cum *Semi-Pelagianis*, juxta vocem illam meretriciam, 1 *Reg.* 3. Nec Deo soli, nec libero arbitrio soli, sed *divi-datur*. Atq; hinc istæ impactæ *Calviniſtis* blasphemiæ, illos quodvis *flagitium* à fonte bonitatis arcessere; illos *Deum Tiberio* truculentiorem, & *Diabolo* (horrendum dictu) *nequiorem* efficere. Hinc librorum tituli, & elogia, *Crudelitas Calviniſtica*, *Idolum Calviniſtarum revelatum*, *Calvino-Turcismus*, *Calvinus Iudaizans*. In *Calviniano de Electione dogmate* (exclamat quidam) *sentiantur* & *palpentur* ipsius *Satanæ unguiæ* & *cornua*. Hoc *Calvinus plantavit* (reclamat alter) *Machiavellus rigavit*, sed *Diabolus ipse incrementũ dedit*; & hujusmodi: quæ inculcata identidem ad ravim, non ab hostibus tantum, sed fratribus; non possunt non afficere vel teneriores, ut cum *Capernaitis* resiliant; vel confirmatiores, ut cum *Beræensibus* diligentiùs inquirant, an

Rarcida veterum Hæreſeon Repoſia. Daneus Epiſtola ad Genevenſ. præfixa commeut. in lib. Aug. de Hæreſ. ad Quod vult Deum.

Bertius in Apologet. ad fra. res Belgas.

Contzen. Guil. Rainoldus. Hunnius. Oſiander. Becanus.

Ioh 6. Acts 17.

an ita se hæc habeant, necne.

2. Mihi verò tametsi semper arriserit illud [a] *Cassiodori, Originem esse sævissimi erroris, amare totum in suspectis authoribus, & quicquid inveneris sine iudicio defendere*; cui concinit illud [b] *Cani, Miseram esse Scholæ doctrinam, quæ titulis Magisterij se defendat*: Non temerè tamen in *obscuris*, tales statim exagitandos putaverim, quos constat in *apertioribus* fideliter semper facem prætulisse. Si igitur, vel vt præceptoribus me gratum præbeam, vel vt tempori & huic celebritati me accommodem, vel vt hæsitantibus nonnullis (quantum in me est) satisfaciam, vel vt adversantibus ostendam, nos *crypticam* in sinu non fovere *Theologiam*, (sicut calumniatur [c] *quidam*) quam pudeat soli exponere, vel examini subjicere; altiùs in profundum solvam, quàm tutum videbitur meæ scaphæ: Dabitis, uti spero, (Patres & Fratres in Christo *dilectissimi*) pro innato vestro candore, veniam, quærenti præsertim, non rei *profunditati*, sed sciolorum *curiositati*, quem non excedant, *limitem*; ad præscriptum authoris de vocatione Gentium, *l.* 1. *c.* 1. Intelligo interim me hic prærupta ascensurum (ut olim *Ionathas* inter duas eminentes petras, *Bozes* & *Sene*) quis enim hinc vel *absoluti decreti* non horreat sublimitatem, aut *arbitrij* flexus & cautes illinc non refugiat? præsertim cùm tot undiq; castrametentur *Philisthijm*, qui imbelles hujusmodi conatus cachinnis excipient. Sed qui reptanti *Ionathæ* tulit suppetias, non deerit (ut confido) ijs qui abnegant semetipsos, ut ab illius immutabili consilio solùm pendeant. *Tu igitur aterne Pater, qui vocas ea quæ non sunt tanquam sunt, & noveris tuos & sanctificaveris,*

[a] *Institt. divin. lib.* 2. *c.* 24.

[b] *L. C. l.* 8. *c.* 1.

[c] *Bertius in Hyperasp. cui respondet Crocius in Paræn.*

1 Sam. 14.

Rom. 4.

ficaveris priusquam in utero formaveris, dirigas (quæso) gressus meos, & progressus, in hac lubrico clivo & præcipitio, ne latum unguem discedam a verbi tui lampade, quam prefert hic Apostolus in textu.

Ier. 1.

3 *Nondum enim natis pueris, cùm nihil fecissent boni vel mali, ut præstitutum illud Dei quod est secundùm ipsius electionem, id est, non ex operibus, sed ex vocante, firmum maneret; dictum est ei, Maior serviet minori.* Apostoli scopus per totum hoc caput est, non vt ostendat tantùm in genere *Evangelium* esse potentiam Dei ad *salutem*, non operanti, sed credenti; (quod subdolè pro *conditionatâ prædestinatione* substernunt *Snecanus*, *Arminius*, & eorum assechæ) sed potiùs ut *particulatim* occurreret quibusdam Iudæorum objectionibus, quibus traditam anteà de *Iustificatione* doctrinam potuissent impetere; vel saltem (sicut non malè cum [a] *Hieronymo* & [b] *Augustino* analysin instituunt *Calvinus* & *Zanchius*) ut prædestinationis arcanum, (cujus obitèr tantùm meminisset, vers. 30. superioris capitis) pleniùs elucidaret, sicut aptiùs fortassè *Pareus*, *Piscator*, & alij. Vt autem quod res est dicam, de scopo Apostoli in hoc capite, ejusq; cum superiori connexione, inveniuntur inter nostros quinq; ad minimum diversæ *sententiæ*, quæ hactenus tamen in idem recidunt, *Apostolum* (scilicet) *Iudæorum repudium*, & *Gentiũ vocationem* cum *promissionibus Divinis* hoc in loco manifestò conciliare, quod sufficit ad nostrum institutum. Existimabant enim Iudæi omnes Dei promissiones, illis solùm fuisse hæreditarias, ideóq; sic ratiocinabantur: Si justificet jam Deus per fidem Gentes, & nos rejiciat, quomodò stat pollicitis? annon excidit verbum

In Rom. 9.

[a] *Ep. 150. ad Hedibiam. q. 10.*
[b] *Ad Simplicianum Tom. 4. l. 1. q. 2.*

verbum ejus? Vt satisfaciat hic *Apostolus*, tria facit; *insinuat, explicat, applicat*: *Insinuatio* extenditur à principio cap. ad vers. 6. *Doctrina* deinceps hujus rejectionis, *explicatur* usq; ad vers. 24. *Applicatur* indè ad finem capitis. Explicatio tantùm est præsentis negotij. Argumentum Iudæorum sic formetur: Si *Deus nos rejiciat, ergo excidit sermo eius*. Negat sequelam *Apostolus*, & distinguit inter *filios carnis*, & *promissionis*. Pactum autem Dei ostendit *promissionis* tantùm respicere filios, non *carnis*, vers. 7° & 8°: quod duplici firmat instantiâ. *Prima* est *Isaaci* & *Ismaelis*, quorum hic rejicitur, ille recipitur, vers. 9°. Et ne exciperent Iudæi, discrimen hoc oriri ex parte *matrum*, cùm hic *ancillæ*, iste *liberæ* fuerit soboles: Instat *secundò* in *Esauo* & *Iacobo*, quibus pater, mater, partus, omnia fuerunt paria, vers. 10. Nondum tamen *natis hisce pueris, cumq; nihil fecissent boni aut mali, ut propositum Dei quod est secundùm electionem firmum maneret, non ex operibus, sed ex vocante, dictum est, Maior seruiet minori*, vers. 11° & 12°. Ergò *causa, conditio*, sive *ratio* hujus discriminis, non quærenda est in ipsorum operibus *præsitis*, aut *previsis*, *præsentibus*, aut *futuris*, (ut optimè contra *Iulianum Pelagianum* urget * *Augustinus*) sed in *eligentis* & *vocantis* proposito. *Replicant* Iudæi: Si *propositum* illud Dei *æqualibus inæqualia* sic destinaret, tum esset προσωπολήψια & injustus. Absit (inquit *Apostolus*) Deus nulli est *debitor*, potest hoc pro *iure suo* in creaturas, vel *legislatoris* vestri judicio. Nam *Mosi* dicit, *Miserebor cuius misereor, & miserebor cui misereor*, vers. 14. 15. Nulla igitur est hic injusta personarum *acceptio* in foro *iustitiæ*, sed liberrima

* *Quod maxime apparet in parvulis, quorum nec præterita dici possint opera, quia non fuerunt, nec præsentia, quia nihil operantur, nec futura quia in illa ætate morientur. Lib. 6. cap. 8.*

exceptio in foro *gratiæ*. Neq; enim libera tantùm, sed
Math.20. justa est hæc vox patris-familias, *An non licet mihi quod volo facere cum meis? Tolle quod tuum est, & abeas*; applicante *Augustino* de Bono Perseuerantiæ, c.8°. Insurgunt *tertiò*, ergò *necessariò* peccant homines, & non esset cur illis Deus jure *succenseret*; Nam *voluntati* ejus quis *resistit*? Reprimit hanc proterviam Apostolus, *Imò verò ô homo tu quis es, qui ex adverso responsas Deo?* annon potest ille liberè de te disponere, ut de luto *figulus*? Non vacat hæc fusiùs dilatare. Sufficiat obsservâsse ex totius disputationis texturâ, si vel *meritum*, vel *prævisa fides*, vel *bonus usus liberi arbitrij*, vel aliqua *alia* interveniisset *ratio*, vel *conditio*, quâ alteruter horum fratrum *prædestinanti* fuisset commendatior, nec solidè nec satis appositè respondisset Judæis Apostolus; adhibuisset siquidem *causam* illam vel *conditionem* in quâ latuisset discrimen, nec ad *occultum* Dei *propositum*, aut *liberrimam* in omnes *potestatem*, solummodò subterfugisset, atq; ita omnem justitiæ suspicionem facillimè sustulisset.

Quænam est tandem ista discretio? patent libri Dei, si nos avertamus aspectum; clamat scriptura divina, adhibeamus auditum: non erant ex vi, quia non erant secundùm propositum vocati, &c. August. de bon. persev. l.2. c.8.

4 *Cornelius Mussus* & *Stapletonus* in hunc locum, existimant Apostolum *disputare* hìc potiùs quàm aliquid *determinare*, curiositatem magis *redarguentem* quàm dubitationi *respondentem*. *Erasmus*, *Pseudo-Lutherani*, *Catharinus*, & *Remonstrantes*, aut *temporalem* tantùm *electionem* & *reprobationem* hìc agnoscunt, aut *Iacobi* & *Esaui posteros*, non *personas*, designari arbitrantur. Verùm obruit eos ex hac parte non tantùm *Augustini*, *Prosperi*, *Fulgentij*, & *Græcorum* veneranda phalanx; sed & *Scholasticorum* & *Iesuitarum* (ut nostros interim taceam) non contemnendus exercitus.

Nec

Nec obstat tamen hæc tragula (quam injiciunt) nostro progressui, modò illud obtineatur, per *temporalia*, æterna hîc adumbrari, & ab hypothesi *Esaui* & *Iacobi* ad thesin *electionis* & *reprobationis* Apostolum transire, sicut nervosè cum *Calvino*, *Beza*, *Zanchio*, & *Kimedontio* astruunt *Toletus*, *Bellarminus*, *Pererius*, *Cornelius à Lapide*, *Iustinianus*, Iesuitæ; *Estius* Professor Lovaniensis, & infiniti alij. Certo enim certius est (vel fatente ipso in hunc locum *Arminio*) hæc esse ἀλληγορήματα, juxta monitum Apostoli ad Galatas 4°. Ideoque tantam esse argumenti vim ex mutua *typorum* & *antityporum* convenientia, quanta est immutabilitas & constantia illius qui illos voluit esse *typos* istorum *antityporũ*. Illud autem in hunc sensũ contexit *Pererius*. Typus excludit opera, vel aliam in objecto conditionem, *antitypum* respondet typo, ergo ut absoluta fuit *Esaui* & *Iacobi quoad temporalia* in hypothesi *electio* & *reprobatio*; non minùs absoluta erit in thesi *quoad aterna* aliorum omnium prædestinatio. Scio non paucos de *electione* hoc non gravatè largiri, sed ad *absolutum* reprobationis *decretum*, *solvuntur renes*, *& colliduntur genua*, ut *Belshazzaris* ad aspectum *manûs scribentis*. Dan. 5. Verùm parùm attendunt, hæc adeò complicata inter se esse, ut non cogitari quidem potest aliquorum *electio*, ubi nulli eâdem operâ, non *reprobentur*, ut rectè asserit venerandus Archiepiscopus *Eboracensis*, in Cõmentatione suâ de *electione* & *reprobatione*. Nam hoc ipso quòd aliquis *non eligitur*, intelligitur *reprobatus*, *asserente Bellarmino lib. 2°. de grat. & lib. arbit. c. 16.* Ipse igitur ut rei præcipuè controversæ insistam, ex textu sic instituo hanc vnicam quæstionem palmarem, *Huttenus.*

vtrum detur absolutum reprobationis decretum? Quo semel fixo, & ab adversantiū calumnijs vindicato, corruit statim suâ mole, 1° *Scientia media* de futuris contingentibus, quæ ita exercet hodiè *Iesuitas* & *Dominicanos*. 2° *Gratia*. 3° *Redemptio vniversalis*. 4° *Apostasia Sanctorum*. 5° *Incertitudo salutis*, quæ suadere tantis clamoribus *Pseudo-Lutherani* & *Remonstrantes* etiamnum satagunt. De quibus (Christo propitio) rotidē in posterum prælectionibus. Hodiernum hoc pensum vix absolvet *absolutum* reprobationis *decretum*.

Benedictio 5 *Non difficilem me possim præbere vestris petitionibus* (Inceptores *ornatissimi*) *quis enim non libenter se subduceret ab exercitu pugnantium, ut*
2 Par. 20. *ita transeat in vallem* ברכה *ad choros triumphantium? Qui* seminat *in* benedictionibus *de* benedictionibus *etiam &* metet, 2 *Cor.* 9, *Et* benedictio *quæ effunditur eâdem mensurâ refunditur in* benedicentis *sinum. Psal.* 35. *Sed* benedictiones (*vt nôstis*) *sunt in multiplici discrimine*: Benedicit *enim primò* Deus, *deinde* homines: *nec* humana *valet benedictio, nisi præcedat* Divina. *Benedicit* Deus *animantibus vt* crescant *&* multiplicentur; *benedicit* Sabbato *vt* sanctificetur, *Gen.* 1. *Benedicunt* homines, *vel* Deo, *nomen ipsius* celebrando: *vel* rebus, *cultui illas divino* consecrando: *vel* fratribus, *idq; tripliciter*; *vel ex authoritate* Sacerdotali, *vt præ-*

ceptum

ceptum erat Aaroni. *Num.* 6. *vel* Propheticâ, *sive* Patriarchali *ut fecit* Noah, *Gen.* 9. *vel ex* charitate, *quemadmodum vnusquisque proximo fausta omnia & felicia precatur. Quin* benedicere *etiam non infrequenter* muneris *cujusdam & præmij* collationem *denotat. Per* benedictionem *intelligit* Axa *agros & possessiones irriguas, Ios.* 15. *Mittit* Dauid *partem prædæ fratribus, exceptam à Philistæis, & accipit commeatum ab* Abigail *sub* benedictionis nomine, 1. *Sam.* 25. & 27. *Quid quòd vt* beneficium *est Regi* Assyriæ, *ita* eleemosyna *est* Apostolo, benedictio. Eleemosynam *autem, aut* beneficium, *aut* munera, *aut* agros, *aut* prædam *si benedictionis loco à me expectetis, Respondebit pro me* Petrus, aurum & argentum non habeo, *Act.* 3. *Sin sublimius aliquid ambiatis quod & conveniat majori dare, & minori accipere,* (Nam sine contradictione, quod minus est à meliori benedicitur, *Heb.* 7.) *accommodandum est mihi illud Ioannis, Math.* 3. *Ego* necesse habeo vt à vobis benedicar, & vos ad me acceditis? *Sed quoniam (vt sequitur) ita decet nos* implere omnem justitiam, *age, morem geram, præsertim cùm* benedictionis & prædestinationis *doctrinam*

Etrinam intertexat Apostolus, ad Ephes. 1. Nec Esau *&* Iacob *(de quibus hîc aliàs ago)* propositi *tantùm* divini, *sed* benedictionis *cujusdam celeberrimæ suppeditant* hypotyposin.

6 *Atq; vtinam tam ipse sustinere potuerim* Isaaci *personam, quàm vos* Iacobi *in hoc negotio: sic enim & ipse* muneris, *& vos* devotionis *amplissimos fructus reportaremus. Verùm cum nec ab* Isaaci *pietate, nec à* Iacobi *dignitate profluxerit benedictionis effectus, sed à* Benedicto *illo super* omnia, *à quo* omne datum optimum descendit; *quis scit quid ille præstabit per minimorum ministerium?* Iacobi I. *Certè plusquam* vnam benedictionem habet *cœlestis* Pater, *in inexhaustâ sua misericordiarum abyssο; vnde licet nobis quod superfluat haurire, & plenis modijs fratribus impertiri. Hoc autem dum ipsius nomine facio, (cujus* benedicere, *sicut rectè annotat* Aquinas, *est benefacere) non ablegabo vos cum* Esauo *vt* ferinam *mihi paretis, nec adigam vt* dolo *benedictionem surripiatis: nec enim ita* caligant (*Deo gratiæ*) *oculi, vt* palpando *experirer an filii mei primogeniti. Verùm tamen si* Iacobi *expectetis* sortem, *oportet vt etiam Iacobi* virtutes *in vobis reluceant. Iacob autem erat* איש תם *vt habetur Gen. 25.*

ver-

& ult. ἄτε λαστος reddunt Septuaginta, vir integer, perfectus, sine fuco aut felle. Addit Targum Onkelos משמש בית אלמנא Minister domûs doctrinæ. Typus verè electi, & ad benedictionem destinati. Quid autem aliud spiraret Theologus quàm integritatem, candorem, diligentiam in ministerio doctrinæ obeundo? isti enim sunt gradus scalæ Iacobiticæ per quos ad beatitudinem ipsam ascenditur. Adde quòd habitasse dicitur Iacob in tabernaculis, non vagabatur cum fratre in sylvis: domi sedebat, meditabatur, salutaria cõfecit edulia. Fuerunt tunc in vivis Salem & Hebersi Tostato & Lyrano fides, quorum tabernacula vt cœlestis Philosophiæ scholas cõstanter frequentabat (ampliùs vt nil dicam) Quàm reformati inter vos essent quamplurimi Iacobitæ, vel (si ita loqui liceat) Benedictini, si eundẽ cursũ instituerentis. Et ne singula persequar, Iacob non adivit patrẽ sine matris consilio, & auxilio, à Matre accepit vestimẽta, cibos ipse non parauit, sed à Matre paratos obtulit. Vtinã ista observarent præcipites nonnulli filij, qui incõditos parant cibos esurientibus animulis, nec Matrẽ Ecclesiã aut Academiã dignãtur cẽsulere. Sed dum foris tantùm venãtur, & dumeta propriæ solitudinis solũmodò excuti-

 unt,

unt, experiuntur plerunq; Esaui *fortem, venit alter* & bendictionem *intercipit.*

7 *Atqui de vobis auspicatiora mihi polliceor* (Inceptores *ornatissimi*) *neque enim excidit vobis illud* Hieronymi *apud* Gratianum, *dist.* 87. *In* Scripturis *non inveniri* sanctos venatores, *sed* piscatores. *Rationem ibidem reddit glossa, quia* piscatio *fit* sine clamore, venatio *non item, nisi forsan dimissis canibus* retia *tantum expediantur. Certè qui vbi vis latè divagantur, & clamosè* venantur *secularia, cùm domi tantum esset piscandum, non satis mihi videntur à* matre *instructi ad benedictionem* Iacobi *consequendam. Istam autem non dubito plenâ manu & pectore vobis impertire. Ecce enim* Odor vestri *boni nominis sicut* odor agri pleni cui benedixit Dominus. *Det igitur vobis* Deus de rore cœli & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti, vini, & olei; serviant vobis populi, & adorent vos tribus; estote Domini fratrum vestrorum, & incurventur ante vos filij matris vestræ: qui maledixerit vobis sit ipse maledictus, & qui benedixerit vobis, benedictionibus impleatur. *Cùmq; non astent vobis hodiè* Iurisconsulti & Medici, *ad quos etiam hæc nostra benedictio*

Gen. 25.

exten-

extenderetur: suscipite vos alacriter & medendi pensum, & lites componendi. Nam si suadere potuit vestra Theologia, vel salubriorē luxuriosis animæ diætā, vel pacificam tumultuantibus in Christo charitatē, non ita opus fortasse esset tantoperè in posterum pluribus aut Medicis aut Iurisconsultis. Descendat postremò benedictio ut unguentum Aaronis à barba ad oram vestimenti, à Theologis ad vos etiam (Philosophi) quos scio maximâ ex parte optimè velle Theologiæ. Acceperunt Theologi (ut audiuistis) quid in Iacobo esset imitandum, vobis non inconsultius forsan erit perpendere, quid in Esauo sit declinandum. Maluit ille inter feras foris versari, quàm domi in Semi & Heberi tabernaculis. Non abripiat vos similis vagandi prurigo, ne simplex domi lateat, & benedictionem eripiat. Antesignanus potuit esse Esauus, Nepotum & gentorum hujus seculi, nam (ut habet Textus) comedit, bibit, abit, parvi pendens primogenita. Sed quid inde infert Apostolus ad Heb. 12. Prospicite ne quis sit inter vos scortator & profanus sicut Esau, qui vnico edulio vendidit jus suum primogeniti, postea autem cùm vellet hæreditario jure benedictionem assequi, re-

probatus fuit, nec reperit pœnitentiæ locum, quamvis cum lachrymis eam exquisivisset. *Postremò vexavit* Esau parentes, *uxores alienigenas ducendo. Non prævenit illos* Dei gratia, *nec comitatur* benedictio, *qui debitam parentibus reverentiam parvi æstimant. At amabat tamen* Isaac Esauum. *Fateor, sed conditionaliter tantùm (ut notat* Rupertus*) non quia dignus* Esau, *sed eò quòd (ut habet Textus) de* Venationibus *illius* vesceretur. Iacob, Iacob *erat, qui* matri *obsecutus benedictionem surripuit, patrem piè deceptum prudenter placavit, cum* Angelo *luctatus est & prævaluit, quem noluit prius dimittere quàm benedictionem extorsisset. Quàm* pulchra *igitur sunt* tabernacula *tua, ô* Iacob, & tentoria *tua, ô* Israel, *ut valles nemorosæ, ut horti juxtà fluvios irrigui, ut tabernacula quæ fixit* Dominus, quasi cedri propè aquas. Fluet aqua de situla ejus, & semen illius erit in aquas multas. *Ista vel his majora præsagit et vovet de vobis in eus affectus (charissimi filij) venistis in* Iacobi *sortem, nolite rursus cum* Esauo *excurrere, sed potiùs ut hortatur Apostolus,* 1. *Pet.* 3. 8. Estote omnes ὁμόφρονες, συμπαθεῖς, φιλάδελφοι, εὔσπλαγχνοι, φιλόφρονες, non reddentes malum

Lib. 7. Comm. in Gen. cap. 6.

Num. 24. 5.

lum aut maledictum pro maledicto, sed contrà benedicentes, quià in hoc vocati estis *vt benedictionis hæreditatem possideatis, quam Deus* Pater, Filius, *et* Spiritus Sanctus *vobis et nobis omnibus pro immensâ suâ benignitate mactet magis indiès et perficiat.* Atq; ita demissis *ovibus* ad *hædos* regredior: de quibus assero *absolutũ esse reprobationis decretum.*

8. Quod vt innotescat distinctiùs, *primò termini* sunt explicandi. 2º Discrepantes authorum *sententiæ* recensendæ, & inter se *conferendæ*. *Tertiò*, confirmanda est orthodoxa sententia. *Quartò* demum deleantur *aduersantium* sophismata, idq; stylo scholastico & summatim, vt intra horæ angustias (si fieri possit) me contineam. Memor quoad tractandi modum *Augustiani* istius præcepti, Theologiam potiùs exigere *firmamenta* quàm *ornamenta*: quoad rem verò, illud siue *Ambrosii*, siue *Prosperi*, siue *Eucherij* in lib. 1. de vocat. gent. cap. 7. semper habens ob oculos; *Quæ Deus occulta esse voluit non sunt scrutanda; quæ autem manifesta fecit non sunt neganda; ne in illis illicitè curiosi, in istis damnabilitèr inveniamur ingrati.* Termini igitur (vt videtis) in proposita quæstione sunt tres, *Absolutum, Reprobatio, Decretum. Absolutum* aliquid dici potest duobus modis, vel *simplicitèr* quod nullam admittit *relationem*, *vel respectum*, & sic nihil est actu *absolutum*, quia & ad *alterum*, & *alteri*, & *alterius* est, vt rectè * *Marsilius*, & *Sarnanus*. Et ipsa *Deitas* relationes includit *personales*, non *componentes* sed *distinguentes*, vt constat inter omnes:

* In Theateto.

nes: vel *absolutum* aliquid habeatur *respectu* tantùm *quodam* & *secundùm quid*, quo sensu est rursus *triplex*, vel *absolutum* à *termino*, vt quantitas & qualitas; vel *absolutum* à *subiecto*, vt substantia: vel *absolutum* à *causâ*, vt *causarum* omnium *causâ*, à quâ cætera dependent omnia. Extant istæ distinctiones apud *Caietan.* in *Aquinatem*, & *Gerardum de monte Domini* in eundem tractatum *Thomæ* de *Ente & essentia*; & recentiores ferè omnes, qui delineârunt nobis *Metaphysica*. Hora mihi deficeret recensendis *nominibus*; parcatis igitur properanti si ex hâc parte sim *parcior*, nisi cùm ipsa cogat necessitas. Pergo. *Absolutum* à causâ potest esse vel ab *internâ* causâ vel *externâ*. *Internæ* causæ, *Materia* scilicet & *Forma* huc non spectant. *Externæ* sunt, *Efficiens*, & *Finis*. *De Finali* etiam non controuertitur. Nemo enim dubitat Deum in omnibus decretis proposuisse *manifestationem* vel *omnipotentiæ* vel *misericordiæ*, vel *iusticiæ* speciatim, vel *gloriæ* generatim, ita vt *efficiens* tantùm hîc subeat considerationem; eaq; non πρόσγυμνον quæ intùs mouet ad agendum (talem enim non deesse *Deo*, cur potius *Esauum* quàm *Iacobum* præteriret, agnoscunt *Scholastici* & *Bellarminus* cum *Augustino* lib. 1. ad *Simplician.* q. 2. quam existimat etiam in æternâ beatitudine nobis manifestam futuram, *Enchirid. c.* 95.) sed προκαταρκτικὴ quæ extrinsecùs impellit ad decernendum. Vnde hîc hærendum, An *extra prædestinantem in obiecto sit aliquod, siue medium, siue conditio, siue congruentia, quæ ipsum inclinaret, vt hunc potius quàm illum ab æterno reijceret?* Breviùs. An *absolutum* sit ex hac parte *æternum* reprobationis *decretum*, ab omni-

L. 2. de grat. & lib. arbit. cap. 9. Bonav. 1 sent. d. 41. q. 1.

omnibus *causis* & *conditionibus* extra *Deum*? Vbi *Reprobatio* (vt ad secundum terminum transeamus) duo significat, vel ipsum *decretum* ante jacta mundi fundamenta stabilitum, vel hujus decreti *executionem* siue reprobandi actum, qui peragitur in *massa peccati post lapsum in tempore*. Quod æternum reprobationis *decretum* vlterius consideratur, vel *absolutè*, quatenus per illud Deus ex omnibus quosdam statuerit reijcere: vel *comparatè* quatenus virilium inter omnes quoad se æquales, *hunc* potiùs *quàm* illum, *Esaum* puta potiùs quàm *Iacobum* reijceret. Distinctio est hæc *Augustini*, quam sic postea explicat *Aquinas*, & ab illo, vel cum illo, cæteri omnes *Scholastici*, idq; in *naturalibus* vel *artificialibus*. In *naturalibus*, quare *Materia prima* sit sub diuersis formis, cùm ipsa in se sit *vniformis*, ratio reddi potest, nempe ex diuersitate specierum *ornatus vniuersi*. Sed cur *haec* materiæ *portio* sit informata formâ *ligni* aut lapidis, illa formâ gemmæ aut hominis, dependet simpliciter à voluntate creantis. Sicut etiam in *artificialibus*, cur ex eodem luto aliud *vas* coagmentetur ad *honorem*, aliud ad *dedecus*, in genere afferri potest ratio, quia sic postulat *œconomiæ vsus*; verùm cur haec *portio luti* ad dedecus potiùs disponeretur, quàm alia, quid respondebis nisi quòd sic *figulo* placuerit? Vnde *Augustinus* in *Ioannem* tract. 26. *Quare hunc Deus trahat, & illum non trahat, noli velle iudicare si non vis errare.* Atq; de *comparatâ* hâc *reprobatione* instituitur quæstio quæ *duplicem* includit *actum*, sicut in confesso est apud *Scholasticos*, *Bellarminum*, & *nostros* penè *omnes*; *Negatiuum* sc. quo Deus decreuit ab æterno hunc

Tract. 26 in Ioannem

P. 1. q. 23. art. 5.

potiùs

potiùs quàm illum *non eligere*, sed *præterire* & à lapsu non *conseruare*, & opponitur electioni *contradictoriè*. Alter actus est *positiuus*, quo decreuit ita *præteritos*, & consequentèr *lapsos*, non *restituere*, sed propter peccata justè condemnare, ideòq; aptiùs dicitur *prædamnatio*, & καταχρηστικῶς tantùm *reprobatio*, vt rectè obseruauit cum *Francisco Iunio*, *Festus Hominius*: nec opponitur decreto *electionis* (vt perperàm tradit *Bellarminus*) sed *iustificationis*: Vt enim decreuit Deus ab æterno electos *iustificare* interuentu fidei: haud aliter decreuit rejectos *damnare*, postquam ipsi ex propriâ *instabilitate*, & Diaboli *suasu*, contraxissent *peccatum*. Terminus tertius est *decretum*, de quo nil attinet subtiliùs ληπτολογεῖν, an dicendum sit potiùs *decretum* quàm *decretio*, an προθεσμὸς, πρόθεσις, πρόγνωσις, πρόγραψις, προστάγμασις, προνοία, ὡρισμένη βούλη, ἐσδοκία τοῦ θεοῦ, *prædestinatio*, *propositum*, *præscientia*, *præscriptio*, *præordinatio*, *præparatio*, *definitum consilium*, *beneplacitum*, et si quæ alia sunt similia, de quibus multa garriunt *Scholastici*? An *re*, vel tantùm *ratione* differant? Ista enim parùm conducunt ad sequentes difficultates elucidandas. Tantùm ego de *terminis*, in quibus ferè est consensus: perpendamus (quod secundò proposui) & conferamus *discrepantes* de re ipsa *sententias*.

Vid. Bassol. 1. sent. d. 41. q. 1. In Bellar. disp. 61. thes. 6. Vid. Vorst. Antibell. p. 560.

9 Vbi excludendum occurrit in vestibulo, *primò* illud *Originis* insomnium, de *animabus* ante corpora *creatis*, quas asseruit inde *electas* fuisse aut *reprobatas*, quatenùs magìs vel minùs Deo, ante infusionem in corpora, adhærerent, vel restiterint. *Pythagoricum* hoc *delirium* refellit *Hieronymus* ad *Heldibiam*. q. 10. ep. 59.

59. *Augustinus* contra duas *Epist. Pelagian.* l. 2. c. 6. *Copiosissimè* autem *Aquinas* l. 2. contra gentiles, c. 44. Nec *æstimandum* est *secundò* illud *Catharini* commentum de electione duplici, *absoluta* aliquorum, nempe *beatæ Virginis* aut *Sti Pauli*, cuius *immutabilis est effectus*; & *conditionata* aliorum, quæ nititur eorum *meritis* & *obedientiâ*: tale quiddam antea docuisset *Biel. in 1. sent. d.* 41. & postea *Sixtus Senensis* (vt ipse ingenuè fatetur) lib. 6. *Biblioth.* sanctæ, *pag.* 148. quod à *Dominico à Soto* in *Romanos*, & *à Iohanne à Bononia* in lib. de *prædest.* refutatum inuenies. *Tertiò*, nec huc spectat προηγούμενον illud *Stapletoni* de *prædestinatione* ad *gratiam* & *gloriam*, quod mordicùs jam arripiunt *recentiores Iesuitæ*, quanquam illud expressè refellat *Bellarminus lib. 2. de grat. & lib. arbit. c.* 15. nec reuera est *propriè* huius loci, sed postea opportuniùs examinetur in controuersiâ de *vniuersali gratiâ*, cui vt fundamentum præcipuum ab illis substernitur. Aduersarij igitur celebriores qui ducunt hîc familiam, *cramben* tantùm nobis reponunt de *prævijs meritis*, *fide* & bono vsu *liberi arbitrij*, quam *Augustinus*, *Prosper*, *Fulgentius*, & cæteri ex eorum disciplinâ, in ipsis *Pelagianis* & *Semi-Pelagianis* ostenderant esse mortiferam. Sunt autem vel *Scholastici* nonnulli *audentiores*, quales imprimis hic fuêrunt *Occam*, *Biel*, & nonnulli degeneres *Scoti* discipuli; vel *recentiores* quidam, tàm inter *Reformatos* nostros, quàm *Pontificios*. Primipili inter *Pontificios* sunt *Iesuitæ*; non sagaciores isti, & moderatiores, *Salmeron*, *Toletus*, *Pererius*, *Bellarminus*, quibus frons de rebus hâc in causâ non penitùs perijsset: sed *Molina*, *Vasquez*, *Suarez*,

Pet. Suaues hist. concil. Trident. lib. 2. pag. 167.

Suarez, *Lessius*, *Becanus*, & cæteri ex recentiori colluvie, qui (vt *Africa*) gestiunt semper aliquid apportare novi. E reformatis autem qui cum his in partes abiêre; *Furentiores* sunt *Pseudo-Lutherani* in Germaniâ superiori; *Remonstrantes* in inferiori *Fraudulentiores*. Notum est quomodò *Erasmus* & *Castalio*, huius docendi schismatis ova posuerint; fovebat *Petrus Baro*, auxit *Gellius Snecanus*, propagauit *Arminius*, tuentur hodiè *Vorstius*, *Coruinus*, *Bertius*, *Grevenchovius*, non sine summo Ecclesiæ scandalo, & *aduersantium* applausu. Nec desunt postremò inter fratres nostros, qui vtcunq; crassiorum *Pontificiorum* præuisa merita, vel demerita, sive *Iesuitarum prævisum bonum vsum* vel *abusum* liberi arbitrij, vel *Pseudo-Lutheranorum prævisam fidem*, vel *Remonstrantium* quamcunq; *præscitam credendi* vel non *credendi conditionem*, vt causam decreti adhibitam, aversantur prorsùs, & refellunt: Peccatum tamen tanquam *necessarium* (vt loquuntur) in obiecto *requisitum* ipsi etiam admittunt, ne Iustitia Divina in *absoluto* reprobationis *decreto*, nimis rigida videretur.

10 Conuenit autem primò inter omnes saniores, (nam *Puccius* cum suâ fide naturali, & *Huberus* cum vocatione vniuersali, relegandi sunt potiùs ad *Anteyras*, quàm inter doctos numerandi) *decretum* hoc sive propositum de *electis* iuxtà ac *reprobis fuisse* (vt loquitur *Apostolus*) *antequam iacerentur mundi fundamenta*. Conuenit secundò, quicquid Deus *fecit*, *facit*, aut *facturus est in tempore*, ita decreuisse ab æterno facere. Conuenit tertiò, certum esse in *Diuino consilio* tàm *reproborum*, quàm *electorum numerum*. Nec

Confer. Armin. disp. public. p. 154.

controvertitur

controuertitur 4°, an aliqua omninò detur causa, præsertìm *reprobationis* in genere, nam facilè omnes designant & *finalem*, nempè *manifestationem* Diuinæ justitiæ; & *efficientem*, sed latentem solummodò in occulto Dei consilio: adeò vt lis sit tantùm de causâ aut *conditione externâ* in objecto, quæ moueret Deum *extrinsecùs* ad reprobandum *Esauum* potiùs quàm *Iacobum*. In confesso etiam est 5°, apud omnes, *omnia* Dei *opera nota fuisse illi ab æterno*, idq; non successivè per *discursum*, sed simul & semel vno *individuo* intelligendi *actu*. Deniq; clamant omnes quasi vno ore sic statuendum esse de hisce *omnibus* Dei *decretis*, vt tàm *iustitiæ Diuinæ*, quàm *misericordiæ*; tàm *æquitatis* quàm *absoluti dominii* laus, & prærogatiua sarta tecta conseruetur, nec minimę obliquitatis suspicio Deo impingatur. Vndè difficultas tandem restat de *modo* quo hoc tutò defendatur; vtrum sc: ponendo *causam* aliquam, aut *conditionem* in *eligendis* aut *reprobandis*; vel recurrendo tantùm & acquiescendo in *liberrimo* ipsius *beneplacito*. Sex autem sunt quæ mihi videntur præcipuè hîc difficultatem augere. Primò non accuratè distinguunt Doctores inter *decretum reprobationis*, quod est ab *æterno*; & *actum reprobandi* quod in tempore post lapsum exercetur. Multa autem competunt *actui*, quæ *applicata decreto* duriùs sonant, & è contra. *Actus* (vt patebit in sequentibus) sequitur *peccatum*, *decretum* antecedit. *Decretum* respicit hominem communitèr, quatenùs (vt ità loquar) coagmentabilis est, vel ad *gloriam*, vel ad *ignominiam*; *actus* invenit eundem in peccati cæno volutantem. *Secundò* plerumq;

Cur Deus illum adiuvet, illum non adiuvet; illum tantùm, illum non tantùm; istum illo, illum isto modo; penes ipsum est, & æquitatis tàm secreta ratio, & excellentia potestatis: Aug. de Peccat. Merit. & Remission. l. 2 c. 5. Dom. à Soto in c. 9 ad Rom. Acts 15. 18. Cameracens. in 1 sent. q. 12. art. 2. Reprobatio est temporalis & æterna. Gorran. in hunc loc. Deus duobus modis reijcit, Consilio. Facto. Willet 246. Trolcat. iun. Beza explic. totius Christianis. o. 2. aphoris. 16.

confundunt *decretum* ipsum cum *executione*, *media* cum *causis*, *finem* cum *mediis*: hinc *Christus* & fides ingeruntur vt *electionis causæ*, quæ reverà tantùm sunt salutis *media*; & *incredulitas* substernitur vt reprobationis *fundamentum*, quam non *ponit*, sed *supponit*; non *antecedit*, sed *sequitur*. Tertiò, idem valent apud quamplurimos *reprobatio*, siue *non-electio*, & *prædamnatio*, siue justa ad pœnam *destinatio*, vndè non leues oriuntur tenebræ. Frequens est hæc ἀκυρολογία apud *Patres* & *Scholasticos*, qui electos etiam simpliciter appellant *prædestinatos*, *reprobos* verò *præscitos*: sed *præscientia* est duplex, *possibilium* quæ non ponit aliquid in re, & *futurorum* quæ *præsupponit* semper decretum: neutra igitur cum *decreto* est confundenda, quemadmodum nec reprobationis actus *affirmativus* cum *negativo*. Negativus enim actus qui vel *logicè non-electio*, vel *Theologicè præteritio* dicitur, ex *absoluto* prætereuntis *beneplacito* solùm pendet; sed *prædamnatio* siue actus *affirmativus* est, non tàm *potentiæ*, quàm *iustitiæ* Diuinæ effectus, vndè semper præsupponit peccatum, iuxta illud *Augustini*; *Deus non est priùs vltor quàm homo fit peccator*. *Quartò*; non extricandis penè se induunt labyrinthis, qui decreta Dei sic exigunt ad humanum concipiendi modum, vt quia nos discurrimus à fine ad media, & secundùm diuersitatem *obiectorum*, *actus* multiplicamus, ideò idem Deo affingeremus, qui *priora* & *posteriora*, *medium* & *finem*, *vno & infallibili decernit actu. Ordo igitur iste & varietas quærenda est in *executione decreti*, non in *decreto executionis*, vt contexendę essent catenæ non *decretorum*, sed *mediorum*, vt fecit Apo-

* *Thom. p. 1. q. 19. art. 5. in corp. Vid. caten. Bassol. 1 sent. d. 41. p. 205. Arriba. variar. difficult. t. 1. cap. 6.*

In æternitate modo incomprehensibili, entia volumina successionum transeuntia manent, currentia stant. Greg. moral. l. 20. c. 24.

Quemadmodum præsens tempus continet omnem locum, & qui in quolibet loco sunt, ita æternus præsenti. simul eliuditur omne tempus, & quæ sunt in quolibet tempore. Anselm. de concord. Præscientiæ & prædest.

stolus

stolus ad *Rom.* 8. 30. & sic præcipua rixandi causa commodè præcideretur. *Quintò*, nec accuratè *diversis* in executione *actibus*, adæquatâ adaptantur *obiecta*, vndè protrahitur vlteriùs contentionis funis, dum hi *hominem* nondum *conditum*, illi *conditum* sed non *lapsum*, alij in massâ peccati *volutantem*, pro *obiecto prædestinationis* habeant. Rectè quidem omnes quoad diuersos respectus, (vt satis dilucidè docent *Iunius* & *Piscator*, hic *Thes. Theolog. thes.* 10. ille in peculiari tractatu) si se invicem intelligerent, distinguerent, & singula *singulis* titè tribuerent. Nam aliud est *obiectum prædestinationis* in genere, aliud hujus vel illius *actus specialis*. Obiectum prædestinationis in genere potest esse * *intellectualis creatura*, quatenus *labilis* & capax *pœnæ* vel *præmij*, cùm autem ista sit *duplex*, vel *Angelorum*, vel *Hominum*: prædestinatio *Angelica* pro obiecto habet *Angelos*, *humana homines*, qui sunt (vt in electis tantùm instemus, nam reproborum quoad hoc eadem est ratio) vel *Christus*, vel ipsius *membra*. Vbi animadvertite tantùm in transitu, Cacodæmones non fuisse in massâ, & tamen *reprobatos*; *Christus* non fuit in massâ, & tamen vt *homo eligitur*. Quicunq; autem *fidelis* (inquit *Augustinus*) vult *prædestinationem benè intelligere*, *attendat ipsum caput*, *& in illo inueniat & seipsum*. Vt descendamus igitur ad homines. *Reprobatio* quidem illorum quoad actum *positivũ* sive *prædamnationem* necessariò requirit in *obiecto* peccati *intuitum*; quoad actum verò *negativum* sive *præteritionem*, quæ propriè est *reprobatio*, non requirit. Ergò qui vltrà massam *corruptam* hic non assurgunt, aut loquuntur tan-

* *Intellige omnes creaturas rationales sub actu neutro.* Sarnanus direct. Theol. p. 423.

De bono persever. c. 24.

tum de *actu reprobandi*, aut accommodant se quantum conuenit ad *infirmorum captum*; non falsum aliquid *tradendo*, sed veritatem prout concipiatur sobriè *proponendo*. Quos si vrgeas vt vlteriùs respondeant de Diabolorum & *Adami* lapsu, necesse est vt recurrant ad antecedens aliquod *præteritionis* siue non *conseruationis* decretum, ab æterno illo δημιούργω sancitum; cui *fuit*, *est*, & *erit*, sunt idem momentum; & *conditus*, *condendus*, & *lapsus* respectu alicujus *causalitatis*, aut respectu decernentis, pari sorte veniunt. *Vltimò*, non paucos dissoluit nodos distinctio illa necessaria inter *effectum* et *consequens*; quam minùs *intelligentes* aliqui, vel insuper habentes, ad incitas frequentèt ab adversarijs adiguntur. *Induratio* aquæ (vt instem cum *Augustino*) *consequens* est absentiæ solis, non *effectus*. *Ruina* domus alicujus ex se labilis, necessario sequitur *defectum* fulturæ, quam suppeditare potuit *Dominus* si libuerit, Sed nec vult, nec tenetur. Haud aliter *reprobationem* sequitur *peccatum*, non vt causam *efficientem* sed *deficientem*, non quâ *remouetur* quod adest, sed non *admouetur* quod sustentaret.

* *Obduratio Dei est nolle misereri, non vt ab illo irrogetur aliquid quo sit homo deterior, sed quo si tantùm tmelior non erogetur.* *Aug. Tom 4. ad Simplician. l. 1. q. 2.*

10 Quibus sic præmissis, conclusio nostra est expedita, *Decretum Dei æternum, Reprobationis præsertim comparatæ, est absolutum, non à medijs, non à causâ finali, sed à causâ siue conditione externâ impulsiuâ in obiecto: idq; quoad præteritionem, siue actum negatiuum, licet hominum istâ discretio posteà actu fiat in massâ peccati, & quoad actum affirmatiuum, siue prædamnationem, semper præsupponat peccatum.* Confirmatur hoc fusè à *Zanchio*, de *naturâ Dei*

lib.

lib. 5. *c.* 2. Et *lib. de prædest. sanct. inter miscellanea.* Vbi quicquid in hâc re docet contra tumultuantes *Pseudo-Lutheranos*, ostendit se non tantùm à Scripturis, et Patribus, sed etiam à *Luthero* et *Bucero* didicisse. Hujus insistunt vestigijs, *Kimedontius*, *Vrsinus*, *Polanus*, *Pareus*, et infiniti alij. Eandem tuentur sententiam *Piscator* contra *Schafmannũ*, et *Vorstium*; *Iunius* contra *Arminium*; *Whitakerus* noster, et alij celeberrimi istius classis Theologi, contra vertiginem *Pet: Baronis*. Vndè nati sunt articuli illi 9 *Lambethani*, articuli 17mi *Confessionis* nostræ *Orthodoxæ* explicatorij. Nõ igitur *Caluinus* solus contra *Pighiũ*, aut *Beza* contra *Castalionem*, aut *Perkinsius* et eorum symmiste thesin nostram sustinent; sed omnes ferè (quod sciam) *perspicaciores*, et textus *tenaciores* Theologi. Argumenta ipsorum omnia impossibile est attingere. Tempus præterfluit, et multa restant dicenda. Ipse tria tantùm proponam, quæ *textus* suppeditat, *Primum* sic se habet. Si præcedat reprobatio *omnem causam* sive *conditionem* in rejectis, tùm non dependet ab aliquâ causâ vel conditione antecedente; nisi effectum per ὕστερον πρότερον causæ præponeremus. Sed nondum *nati pueri, & priusquam aliquid boni egissent aut mali, prodijsset decretum, Maior serviet minori.* Respondent Adversarij, præcedere reverà decretum omnes *conditiones præstitas*, sed non *præscitas*; opera omnia, sed non prævisionem operum. Cæterùm irridet hoc *Pelagianorum* κρυπτόνιον *Augustinus* ad *Sixtum* Presbyterum, Epist. 107. *Quis* (inquit) *istum acutissimum sensum defuisse Apostolo non miretur? Hic erat locus dicere quod isti sentiant, sed non prævidit*

Arg. 1um.

Oppos. vindic. 1 Ex Augus.

hac

hæc præuisa opera, nec didicisset in Gamalielis aut Christi scholâtàm subtilitèr distinguere. Nulla igitur hic adfert hujus discriminis inter duos fratres æquales rationē, præter προθεσιν τοῦ Θεοῦ ἡ κατ' ἐκλογὴν, *propositum Dei quod est secundùm electionem*, quam indè asserit ex *vocante* tantùm, & non ex *operibus* esse, vel *præstitis*, vel *prævisis*, quià infantes possint reprobari, quorum opera nunquam *præstanda*, non potuissent esse *prævisa*. Non profuit *Tyrijs* & *Sydonijs* quòd prævidit Christus illos fuisse *credituros*, si tantum ipsis præstitisset, quantum Iudæis, ut optimè ibidem urget *Augustinus*. Atq; hoc patet ex ijs quæ in persona *Iudæorum* Apostolus sibi immediatè objicit. Si propositum tantùm Divinum hoc ponat inter pares discrimen, tùm *iniustitia esset apud Deum*. Quàm promptum hic esset *Apostolo* aliam *causam* vel *conditionem* designâsse si adfuisset? sic ora Iudæis obstruxisset. Sed *absit* (inquit) Deus ipse pro se respondeat, & liberrimam suam potestatem asserat. Exod. 33. *Miserebor cuius misertus fuero.* Vndè infert *Apostolus*; *ergò electio non est volentis, nec currentis, sed miserentis Dei.* Potestnè aliquis expectare aliquid apertiùs? sed dices ista confirmant *electionem* esse aliquam *absolutam*, sed non *reprobationem*. Non regero (quod est verissimum) eandem esse ex hâc parte *electionis* & *reprobationis* rationem; nam ubicunq; est *electio* aliquorum, aliorum necesse est ut sit *non-electio*, seu *præteritio*, quia *contradictoriorum* necesse est ut una pars sit vera. Sed textum adduco, ut sequitur: *Itaque cuius vult miseretur, quem autem vult indurat.* Vndè secundum argumentum. Si aliquid esset in hominibus, cur hic potiùs

2 Ex Apost.

Instant. Refutat.

Bell. l. 2. de grat. & libero arbitr. cap. 16.

Arg. 2um.

potiùs rejiceretur quàm alter, insufficiens esset hæc Apostoli responsio, quâ defendit quod anteà statuisset de *absoluto* Dei *proposito*: sed hoc non est concedendũ, ergo. Tertiò, hoc confirmat ulteriùs, dum assumit pro fundamento hoc *absolutum decretum*, ut objectamenta Iudæorum refelleret. *Dicis* (inquit) *mihi, quid adhuc succenset, nam voluntati illius quis resistit?* Ac si dixisset, si reprobatio pendeat tantùm à Dei proposito, succensere non debet ijs qui non præstant illud, quod ipse decrevit ut non præstarent. Nervus est hic præcipuus *Pelagianorum*: sed quid respondet Apostolus? nùm à fundamento anteà substrato finit se abduci? Nihil minùs. Imò (inquit) *ô homo quis tu es qui ex adverso respondes Deo?* Ac si dixisset, plus juris in te habet Deus, quàm in lutum figulus. Quomodocunq; igitur de te statuit pro suo beneplacito, non erit tibi undè justè obmurmures, quià *iustum est illud quod illi placuerit*, qui non potest velle iniquitatem. Confer id quod sequitur, c. 11. *O altitudo divitiarum scientiæ & sapientiæ Dei!* quod admirandum arguit mysterium: sed admirationis hic nulla esset causa (ut rectè urget *Bellarminus*) si extrà ipsius *beneplacitum* & *propositum*, in hominibus electis aut rejectis aliquam aliam potuissemus designare. Mitto alia argumenta, quæ ex alijs scripturæ testimonijs copiosissimè à nostris adducuntur. Ne autem existimet quispiam nos *Calvinum* tantùm, aut *Bezam* in hâc expositione sequi, legat non solùm *Augustinum*, & quos ille citat *Cyprianum*, *Ambrosium*, *Nazianzenum*; item qui illum sequuntur, *Prosperum*, *Fulgentium*, *Iohannem Maxentium*, sed etiam *Magistrum sententiarũ*, l. 1. dist. 41. Et in illum, *Scotum*,

Restat igitur huius discretionis causa sit voluntas Dei, qui unum liberat, quia sic ei placet, alterũ non liberat, quia non placet. Ibid. Arg. 3um.

Bern. Apol. sanct. p. 79.

Paræus in 3. ad Rom. dub. 4.

Aug. de prædest. sanct. c. 9.

Arg. 4um.

Lib. 3. de grat. & lib. arbit. c. 12.

Quomodo dicit Christus non esse ex ovibus meis, quia videbat eos ad sempiternum interitum prædestinatos, &c. Aug. Tom. 4. In Johan. tract. 48.

Scotum, Gregorium Ariminensem, Richardum de media villâ, Castrensem, Thomam Anglicum, Cameracensem, Mayronem, Bassolium, Capreolum, * Diezam, Lichetum, Soncinatem, Trigosum, Estium, Aquarium, & nescio quot alios, quos non vacavit inspicere. Item Aquinatem in 1ª parte, q. 23. & in eum, Caietanum, Bannesium, Ripam, Cumel, Capponem de Porrectâ, Pesantium, Hieronymum de Medices: quibus addas Dominicum à Soto, Driedonem, Alvarez, Rispolis: Salmeronem, Toletum, Pererium, Bellarminum; denique Lutherum ipsum, & Brentium, quos omnes si non verè, at saltem ferè in hâc causâ Calvinistas diceres. Imò Calvinus nunquam (quod sciam) tam rigidè loquutus est de dominio Dei in creaturas, ac Augustinus, cujus hæc sunt verba in lib. de prædestin. & grat. cap. 16. *Si humanum genus quod creatum primitus constat ex nihilo, cùm non debitâ mortis & peccati origine nasceretur; & tamen ex ijs Creator omnipotens nonnullos in æternum damnare voluit interitum; quis omnipotenti Creatori diceret; quare fecisti sic?* Rationem ibidèm attexit idem Pater; *Qui enim cùm non essent, esse donaverat, quo fine essent, habuit potestatem.* Consimilia habet Gregorius Ariminensis, Deum non injustum futurum, si *pro arbitrio suo absq; peccati interventu Beatam Virginem* æternis addiceret supplicijs. Nec alitèr Biel, Si justus esset aliquis sic immeritò condemnatus, tantum abest ut responsaret, ut potiùs *gratias Deo* ageret, quòd esset objectum *divinæ justitiæ*. Dum contra vbivis clamat Calvinus in *Institutionibus*, Tractatu contra *Pighium*, & in *Commentario* in hoc 9. cap. ad *Rom. putidam* esse sophistarum *blasphemiam*,

* Loquitur Apostolus de Esau & Iacob, quandò ad massam naturæ non pertinebant. in d. 40. q. 1. p. 2ª 6.

In 1 sent. dist. 41. dub 2.

In dict. eadem.

miam, distrahere ius Dei à iustitia; ac si justitia non æquè esset Deo essentialis ac in creaturas dominium. Denique Calvinus profitetur se exordium semper trahere in hâc causâ à* massa peccati, quod multi tamen nõ credunt, quia mallent quid Calvinus sentit à Iesuitis petere, quam in ipsius operibus legere.

De predestin. p. 698.
* Lib. 3. c. 23. sect 2. & 3.
Debet quis stultescere, & sensu exinaniri, qui in scholâ vult hic proficere. Calvin. ib.

11 Sed sentio me prætervectum esse vltrà constituti temporis limites. Restant (quod vltimò proposui) argumenta adversariorum soluenda. Tredecem hîc adducit quidam pro Nicholao Hemmingio contra Piscatorem, Arminius habet 20. Schafmannus plura. commodè revocantur ad 4or capita, quæ refero, refello, & finio. Primò (inquiunt) si admittatur hoc absolutum reprobationis decretum, necessariò Deus statueretur author peccati. Vetus est Pelagianorum coccismus. Respondet Augustinus in libro de articulis falsò impositis, ad art. 15um. Non est consequens Deum quibus pœnitentiam non dat, resipicentiam auferre, & quos non leuauerit, allidere. Distinguendum igitur est hîc inter consequens & effectum; effectum præsupponit causam; consequens tantùm antecedens. Inter antecedens autem & consequens non intercedit causalitas. Num solem diceres esse tenebrarum causam, quia ad eius absentiam sequuntur necessariò tenebræ? Pari ratione succedit reprobationi peccatum, sed non causatur à reprobatione. Vndè tantùm infertur, hominem necessariò ruere, nisi Deus illum sustentet, non Deum peccare, quia homini non dat quod non debet. Agnoscant igitur Credentes Dei liberalitatem quâ conseruantur; & cadentes propriam labilitatem quâ sponte ruunt, nisi semper conserventur. Et

Ob. 1. Sol.

Non sic causa intelligi debet, ut quo deuicq; antecedat id ei causa sit, sed quod efficiuntur antecedat. Cicero de fato. Polan. Syntagm. p. 1546.

fateantur cum *Augustino* vbi suprà, et *à Deo esse quòd statur, & non ab illo esse quòd ruitur. Secundò*, hinc dicunt in rebus, *statui fatum Stoicum*, quo tollitur omnis *contingentia*. Nec inventum est hoc novum *Arminij*, nam occurrit etiam *Augustinus* l. 5. de Civit. Dei cap. 9. distinguendo inter *causam primam* quæ *facit* et non *fit*, et *secundas*, quæ *fiunt priusquàm faciunt*. Respectu *primæ causæ* omnia eveniunt *necessariò*, vel *necessitate consequentis*, vt *effectus* à *causa*, vel *consequentiæ*, vt conclusio à *principio* certo *antecedente*, quod non impedit tamen quò minùs respectu *secundarum causarum* statuatur *contingentia*, cujus radix est *efficacia* et *omnipotentia Divinæ voluntatis* (vt rectè contra *Iesuitas Dominicani*) quâ non *actus* tantùm determinatur, sed et agendi *modus*. Sic vt necessaria à *causis necessarijs*, contingentia à *contingentibus* producerentur. Quod fusè confirmat *Zanchius*, lib. 4. de operibus Dei, c. 4. q. 4. *Tertiò* hoc *absoluto* reprobationis *decreto* removeri asserunt omnem *industriam*, *exhortationes*, et *correptiones* impediri. Si legeret quispiam Epistolas *Prosperi*, et *Hilarij* Arelatensis, quæ extent apud *Augustinum*, Tom. 7. existimaret eos de *Arminianis* æquè scribere, ac de *Pelagianis*; ità quadrant singula. Responsio est in promptu ex eodem *Augustino*, Sequeretur argumentum, si ad finem esset transiliendum sine *medijs*. Nunc verò cùm *prædestinatio* ad finem, includat etiam *media*; non potest *hunc* sperare, qui ista negligit. Vt enim *Chrysippus* qui *fatum* posuit, vrgebat etiam *confatalia*, ità Deus qui *metam* prescribit, *stadium* etiam precepit; *quo*, non propter *quod* illuc pervenimus. Elegit

Ob. 2ª. Sol.

Alvarez l. 3. de auxil. disp. 26.

Vid. Kimedontium. p. 646. & 659.

Ob. 3ª. Sol.

Vid. Cassand. apud Latium, p. 200.

Vid. oration. Estij. p. 63.

git nos vt *essemus sancti & inculpati coràm eo, non quià fuimus, aut futuri eramus*, ad Ephesios *primò*. *Vltimò* recoquunt illam *Monachi* cuiusdam cramben apud *Augustinum*, libro secundo de perseverant. sanct. cap 15. & *Haresin prædestinatorum* apud *Sigebertum*, qui sic ludentes descendebant in foveam. *Qualescunq;* (inquiunt) nunc *sumus, tales tamen erimus tandem quales Deus nos futuros esse præscivit.* Si absolutè reprobati simus, *irrita est industria*; si non, est *supervacanea*. Respondeo, *Desperationem* talem, & *præsumptionem*, præsupponere decretum esse notum *desperanti*, aut *præsumenti*, nec enim despondet animum *vincto*, aut *præsumit*, priusquam constet de *Iudicis* sententiâ. Cùm verò tam *reconditum* lateat hoc reprobationis *decretum*, vt (quomodocunq; constet electo *certitudo salutis*) nunquam in hâc vitâ possit esse certus *reprobus* de suâ *reprobatione*, vt fusè alicubi disputat *Azorius*; amentia est ex hac parte velle aliquid de nobis aut alijs temerè ominari. Nam contexat desperabundus syllogismum, *necesse* est vt sit *hypotheticus connexus*, in hac *formâ*; *Si sim reprobatus, ergò nō prodest Deum colere aut invocare*: Assume jam, sed *sum reprobatus*, Nego, nego (insane) istam *assumptionem*, quæ nec constare potest tibi, nec ipsi Diabolo, & proinde nulla hic procedet *conclusio*.

Ob. 4ª.

Sol.

Morell. 2 c. 21. Et Scholast. 1. sent. dist. vlt. Thom. de verit. q. 23. art. 8. ad secundum Cordub. l. 1. q. 51. Bannes 2. 2æ, q. 22. art. 1. dub. 2. Greg. 1. sent. d 43. q. 1. Aug. de Civit. Dei l. 21. c. 24. Casus talis non est possibilis, nec admittendus. Greg. de Valen. Tom. 3. q. 1. punct. 3.

12 Atq; ista summatim dicta sint de *Absoluto* reprobationis *decreto*, haud aliter (sicut mihi persuadeo) quàm *Scriptura* & *Patres*, & *saniores Scholastici*, & præstantissimi inter Orthodoxos *Theologi*, facem prætulerunt. Imò habuimus ante 260 annos *Thomam Bradwardinum*, virum ad stuporem solidè doctum,

Archiepiscum Cantuariensem bis electum, & secundò ab *Edwardo* 3° (cujus erat *Confessor*) & *Papâ* confirmatum, qui hanc Dei *causam* contra *Pelagium* copiosissimè & nervosissimè tutatus est. Et certè sicut ille ibidem sæpiùs inculcat;) Qui vel minimum hîc deferunt hominis arbitrio, Deo detrahunt, cui *timeo* ego (cum *Augustino*) animæ meæ salutem *ex parte* tantùm committere; cur enim niteretur potiùs homo *infirmitate* propriâ, quàm ipsius *decreto*, quod non potest mutari? Vel quare *de meritis* solicita est Ecclesia (vt scitè *Bernardus*) vbi de *proposito* & *misericordiâ* Diuinâ firmior suppetit *securiorq́* gloriandi *materia*? Si cui hæc sententia de *absoluta reprobatione* videatur asperior, possem respondere cum *Augustino lib.* 2°, de perseuerant. sanct. cap, 18. *Hoc scio neminem contra istam prædestinationem, quam secundùm Scripturas sanctas defendimus, nisi errando disputare posse.* Mallem tamen cum *Scoto* sic concludere: *De istis opinionibus*, quia *Apostolus* disputans exclamat, *ô altitudò!* & quis novit *sensum Domini?* ideo ne *scrutando de profundo, secundùm dictum Magistri, eatur in profundum, eligatur quæ magis placet*, dum tamen saluetur *libertas Diuina, sine aliquâ iniustitiâ, & alia quæ salvanda sunt circà Deum liberalitèr eligentem*, cui Patri, Filio, & Spiritui Sancto, sit regnum, potentia, & gloria, in secula seculorum. *Amen.*

In cantic. serm. 68.

In 1 sent. q. 41.

LECTIO II.

LECTIO II.

IN VESPERIIS COMITIORVM habita Oxon. Iulij 12. Ann. Dom. 1617.

De Scientia Media.

ROM. 9. 10, 11, 12.

10 ——*Rebecca ex uno concubitu habens Isaac patre nostro.*

11 *Cùm enim nondùm nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali; ut secundùm electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante,*

12 *Dictum est ei, Quia maior seruiet minori.*

NIhil est quod magis appetit humanum ingenium, quàm blanditijs demulceri: ideóq; vbi dotes suas magni fieri audit, in hanc partem semper nimiâ credulitate propendet. *Adamo* in Paradiso non satis fuit ad similitudinem efformari Creatoris, nisi etiam æqualitatem affe-

affectaret: post lapsum autem cùm malè vtens *libero arbitrio* & se *perdidit* & *liberum arbitrium*, vt habet *Augustinus* in *Enchirid.* & ex eo *Lombardus* 2. sent. d. 25. Non defuerunt tamen ex ipsius posteris qui *Naturam* jam deformatam, & proprio sanguine voluntatem, aduersus salutarem *Gratiæ* antidotum sacrilegè astruerent. Noti sunt in primitiuâ Ecclesia *Pelagianorum* & *Semipelagianorum* siue *Massiliensium* gigantei ex hâc parte conatus, quos non ità *Hieronymi*, *Augustini*, *Fulgentij*, *Prosperi*, & aliorum fregit diligentia, quin labentibus deinceps seculis identidem repullularent, adeò vt *triumphatos* potiùs quàm *victos* hosce hostes (vt loquitur *Tacitus* de *Britannis*) à Patribus diceres. Ante ducentos sexaginta plus minùs annos, totum penè mundum post *Pelagium abijsse* queritur doctissimus noster *Archiepiscopus Thomas de Bradwardina*. Iamq; non *Iesuitæ* solùm, sed nuper nati *Remonstrantes* nescio quid monstri alunt, & speciosiùs incautioribus obtrudunt: vndè non inutilem forsan is hodie nauaret operam, qui involutiora hac de re τερετίσματα in lucem protraheret, ingenuè & neruosè ageret, vtriusq; partis momenta ad *sanctuarij statêram* sic expenderet, vt vno quasi intuitu singula cõspicerentur. Indè enim fieret vt *infirmiores* hactenùs implicati sophistarum spinis, exploratâ penitiùs veritate, circumspectiùs illos legerent, & *confirmatiores* vexati recoctâ illorum crambe, faciliùs se expedirent, & allatrantibus ora obturarent.

Præfat. in lib. 1. de causa Dei cont. Pelagianum.

Γένοιτο μὲν' ἂν πᾶν θεῦ τεχναμένου.

Sophocl. in Aiace Mastig.

2 Accepistis superioribus comitijs (V. P.) ex hoc contextu & loco *absolutum* Dei *decretum*, tàm de reprobis

probis quàm de electis sic stabilitum, vt non esset quid quispiam reponeret, nisi Apostolo æquè ac nobis bellum indiceret: multa de Apostoli scopo, varia de genuino contextûs sensu generatim tunc disserui, quæ supponenda jam sunt vt concessa, non repetenda vt incerta, nisi forsan actum agerem, & vos expectatione frustrarer. Consequens jam est vt in *scientiam* quandam *mediam*, à *Iesuitis* nuper excogitatam, pari diligentiâ inquiramus. Connectio *Orthodoxorum* sic se habet: Si Deus non propter prævisam fidem aut opera, vel bonum vsum liberi arbitrij, sed vt *propositum* eius *fixum maneret*, hoc est, quia illi tantùm sic placuerit, *Iacobum* ab æterno elegerit, *Esauum* verò rejecerit; tum *decretum* præcedit *scientiam*, & ideò præscit Deus cujuscunq; generis futura, quia decrevit talia futura, non ideò decrevit aliquid, quia in hanc vel illam partem liberum *hominis arbitrium* seipsum determinaturum prævideri: vnde corruit (vt dixi) *scientia* ista *conditionata* siue *media* de futuris contingentibus, quæ indifferentem voluntatis determinationem *expectare* potiùs dicitur quàm *antevertere*. Ista autem, quoniam vt nebula hodiè excitatur ad obscurandam saltem, si non obruendam, eam quam tradidimus de *prædestinatione* doctrinam: vt obstaculum hoc è medio tollamus, sit quæstio hâc vice discutienda, *An præter scientiam simplicis intelligentiæ, quæ tantùm est de possibilibus; & scientiam visionis quæ solummodò respicit futura; detur etiam in Deo scientia quædam tertia seu media, de futuris liberè contingentibus, non absolutè, sed ex conditione; quâ cognoscit Deus quid homines vel Angeli, absq; aliquo præcedente decreto,*

Becan. de scientia Dei. c. 10 q. 1.

liberè essent facturi, si cum his vel illis circumstantijs in tali vel tali rerum ordine collocentur.

3 Quod vt plenius intelligatur, res ab ouo (quod aiunt) altiùs est repetenda. Dissipatis, partim per decreta *Conciliorum*, partim per accuratissimas *Patrũ* lucubrationes, *Pelagianorum* copijs; non ita extinctæ prorsus fuerunt, quin apud *Massilienses* in *Galliâ* latibulum inuenerunt. Ista autem crudiora *Pelagij* effata ita affabrè condiérunt quidam, vt cœperit tandem *Semipelagianismus* (qui ad conversionem peccatoris liberum hominis arbitrium cum Dei gratiâ in partes admitteret) *Scholasticis* nonnullis sapere; hinc enim ad operum *meritum* viam sterni subolfecerunt, vnde plus quàm micas corraderent *Monachorum* abdomina. *Aquinas* interim & *Dominicani*, *Augustini* doctrinæ addictiores, vtcúnq; *meritum* & *arbitrij* vires non ausi sunt prorsus eneruare; *prædestinationem* tamen *ex prævisa fide* aut *operibus* nunquam admiserunt; fixum illud semper tenentes, nihil *effici in tempore, quod ab æterno non fuerit decretum*; ideóq; *præscitum*, quia *decretum* erat vt sic efficeretur. Quas synceræ veritatis scintillulas, cùm Reformati postea è cineribus eruissent, & luculentiùs multò illustrassent; obseruârunt *Tridentini Patres* parum rationibus ipsorum conducere: ideóq; per totam *sessionem sextam* istius conciliabuli id vnicè agunt, licet vafrè admodum (vt notat *Chemnitius*) & involutè, vt peccatoris conuersio non in solidum gratiæ Diuinæ, sed partim *gratiæ*, partim *libero arbitrio* ascriberetur, anathemate omnes syderantes qui in oppositum vel ȳ mutirent. Sentiunt interea *Thomistæ*, *Augustinum* & *Thomam* suum

ſuum hoc decreto vapulare (vt liberiùs *Medina*, *Bannes*, & *Cumel* nonnunquã effutiunt) ſed cautiùs hîc eſſe agendum, ne hæreſeos ſuſpitionem incurrerent. Quid fit? Emergunt tandem è puteo abyſſi *Locuſtæ Ieſuiticæ*, *Thomiſtarum* ſimplicitatem non probant, *Concilij* ſenſum ſic exponunt, vt licét verbis deteſtentur *Pelagianorum fermentum*, eandem tamen arbitrij libertatem per *Pſeudothyrum* clauculùm ſic intromittunt. Primò (inquiunt) regula generalis eſt, *Facienti quod in ſe eſt ex naturalibus arbitrij viribus, Deus non denegat auxilium ſufficiens:* Quod ſecundò aſſerunt, Non per *internam* aliquam & *efficacem* gratiæ *motionem*, ſed *externam* tantùm & *moralem perſuaſionem* conſenſum liberi arbitrij non tam *efficere* quam *elicere*. Cùm igitur Deus, vt *contingentia* abſolutè futura, ita *conditionatos* liberi arbitrij *flexus* ab æterno præſciat; hoſce benè *vſuros* ad vitam, *alios* ad mortem juſtiſſimè prædeſtinat. Ecce vobis *prædeſtinationis* fundamentum, non in *æterno* Dei *propoſito* cum Apoſtolo quæſitum, ſed domi in arbitrij *libertate* ex parte ſaltem *natum* & *inuentum*. Quod, (*ſiliquis* licèt aliàs aſſueti) nullatenùs deglutientes recentiores *Dominicani*, reiecerunt præcipuè hoc argumento. *Omnis præſcientia boni vſus liberi arbitrij pendet* à *Dei decreto, ideoq; neceſſariò illud ſequitur, & nullatenus vt cauſa, vel vt conditio præcedit.* Antecedens ſtatuminant ex recepta *ſcientiæ Diuinæ* diuiſione, in *ſcientiam ſimplicis intelligentiæ* ſiue naturalem, & *viſionis* ſiue liberam, ex quibus illa Dei *potentiam* & *poſſibilia*; *altera voluntatem* & *futura* tantùm reſpicit. Ita argumentabatur *Cumel* anno 1582. cùm primùm

Bell l de grat. & lib. arb. c. 12.

mùm has *Pelagianorum* scintillulas apud *Lovanienses* resuscitari inaudiuisset. Quod vt *Iesuitæ* suo more eluderent, *scientiam* hanc (de quâ agimus) *mediam* excogitârunt, in quâ adeò mirificè sibi ipsis placuerunt, vt de genuino ipsius parente, haud segniùs ac de *puero viuo* inter meretrices, 1. Reg. 3. est decertatum. Ego (inquit *Fonseca*) in Academiâ *Conimbricensi*, hoc primus obseruaui: Imò potius ego (clamat *Molina*) apud *Eborenses meos*. His non cedit *Leonardus Lessius Lovanienſis*, & suo cerebello de eodē partu ambitiosè gratulatur. Vociferantur è contra *Dominicani*, terminos antiquorum hùc refigi, & à nouatoribus pro libitu huc & illuc transponi. *Papam* igitur consulunt. Is legatum *Frangipanium* anno 1586. mittit *Lovanium*, vbi præcipuè lis incaluisset, & ita pro tempore *compositi* videbantur *fluctus*. Donec elapso circiter biennio *Lodovicus Molina* anno 1588. libro de *concordiâ liberi arbitrij cùm donis gratiæ*, tanquam alter *Æolus*, ventos rursus immisit. Ægrè hoc habuit *Dominicanos*, ideòq; non tantùm publicè *Molinæ* hoc exagitârunt *commentum*, sed priuatim etiam præceperunt discipulis suis, vt à lectione *Iesuitici* istius *operis* penitùs abstinerent. Vnde secundò eadem controversia ad *Pontificis* redit *tribunal*. Citantur ad disputandum vtriúsq; sectæ primipili; longa est iniuria, longæ ambages. Interea dum *Papa* tergiuersatur, & hos & illos suspensos *comperendinat*, edidit *Dominicanus* quidam anonymus *Belga* Instructionem quandam manuscriptam anº 1599, quâ ostendit *Molinam* præcipuè & *Iesuitas*, nihil in hâc causâ adducere quod jamdudum à *Patribus* (*Augustino* præsertim contra

In 6. Metaphys. q. 6. sect. 8.

Pela-

Pelagianos) eventilatum satis non erat & profligatum. Huic responsum statim se parâsse gloriatur *Iesuita Lessius*, quod serò tandem, nescio quo obstaculo, post decennium lucem aspexit. Succenturiati deinde accessêre *Gregorius de Valentia*: 1. part. disp. 19. q. 14. *Suarez* duobus hâc de re libris inter opuscula, *Vasquez*. 1. part. disp. 65. quibus masculè se opposuit *Cabrera Dominicanus* in 3. par. *Aquin.* q. 1. disp. 1. §. 17. Et q. 18. art. 4. disp. 2. Papâ interea cum *Baal* vel dormitante, vel hostes prosequente, certè in tanto rerum turbine, pro sui judicij *infallibilitate*, nihil omninò statuente. Vnde ausus est *Paulus Benius* de ribitorem agere, & suum interponere calculum, in opusculo quodam anno 1603, qui vt contendit *imprimis* contra *Dominicanos*, non ferendam esse hanc, (quam illi astruunt) *physicam* voluntatis per gratiam *determinationem*; ita reijcit è contra *scientiam mediam*, *Iesuitarum Helenam*, nec aliam admittit gratiæ quàm in *excitantem* & *adiuvantem* distributionem. Et huc vsq; certè non malè. In summâ verò dum prædestinationem cum *Iesuitis* arbitrij indifferentiam respicere, *futura* tamen *contingentia*, haud aliter ac in decreto cum *Dominicanis*, Deo esse præscita statuat: quomodó ista inter se bellè cohærerent, fateor me adhuc satis non assequi. Interea dum putat *Benius* se non *ingratum* emisisse *susurrum*, ad litem tam ancipitem sopiendam, damnatur ipsius liber à *Pontifice* donec corrigatur. Qui etiam ne nihil vlteriùs in tanto rerum discrimine statuere videretur, sapientissimo (inquit *Lessius*) consilio, *nihil prorsus determinauit*: prohibuit tamen ne quis *alium* grauiori aliquâ censu-

râ inter scribendum vel disputandum notaret. En præclarum *controuersiarum iudicem*, qui à suis toties fatigatus, in re tanti momenti non audet sententiam interponere. Fieri fortasse potest, vt sicut *Plutarchus* philosophatur de oraculorum defectu, *ita evaporavit* tandem vetustate, innata virtus istius *cathedræ*, vt non valeat, sicut antiquitùs solebat, è tripode oracula fundere. Non indictis igitur in tanto partium studio inducijs, flagrantiùs erupit flamma, nec in disputantium tantùm *exhedras*, sed in Typographorum *officinas*. Inde *Cumel* in disputationibus varijs, anno 1605. Inde post triennium *Ripa* in 1. part. *Aquinatis*, q. 14. nominatim *Molinam*, *Suarez*, & *Vasquez*, vt *Pelagianismo* nimiùm fauentes, apertiùs exagitant. Cùmq; 1605. eodem anno *Martinus* quidam *Mascaregnhas* *Argarbiorum Episcopus*, Iesuitarum patrocinium in se suscepisset, descendit cum eo in arenam *Nauaret Dominicanus* in 1, part. *Aquinatis*, q. 14. & ad eandem sententiam stabiliendam integrum opus pollicetur. Eodem fere tempore *Alphonsus Curiel* eandem controuersiam discutit, & profitetur neutram opinionem è *Scripturis*, *Conciliis*, aut *Patribus*, perspicuè posse deduci. Rationi tamen magis consentaneam esse *Iesuitarum sententiam*. *Quod asserit* etiam *Dicta-levius* quidam *Iurisconsultus* in distincto hac de lite opusculo, ad explicandum Concilij *Tridentini* decretum præcipuè accommodato; quorum rationes contrahit & diluit *Matthias* de *Rispolis* ordinis prædicatorum, anno 1609. Iesuiticæ autem huius innouationis semina nonnulla sparsisse antea cum *Pererio*, *Stapletonum* nostrum, obseruauit *Curiel*. Nec dissentit à

socijs

socijs *Bellarminus* in controuersiâ de *gratiâ, & libero arbitrio*; vtcunq; ne *Thomistas* irritaret, veteratoriè omnia inuoluat & dissimulet: Deniq; an° 1612. *Dominicanorum* causam apud *Regem* suum Hispaniæ *Philippum* 3um *ita copiosè & neruosè* 12. libris egit *Didacus Aluarez* Archiepiscopus *Tranensis* & *Salpensis*, vt habeant domi *Iesuitæ* in quo oleum insumant & operam. Micas tamen quasdam ab eo tempore ruspârunt de eâdem lite *Martinus Becanus* part. 1a. Theolog. Scholast. ad cap. 10. vnà cum *Albertino* qui omnes conclusiones *Theologicas* deducere satagit ex principijs *Philosophicis*: Quibus *Nugnonem* opponas *Thomistã*, antagonistã satis acrẽ, ad 3. part. *Aquin. qu. 62.* Atq; vtinam reformatorum alicubi *massam*, non infecisset *fermentum* hoc *Iesuiticum*. Nimiùm hodiè teruntur omnium penè manibus *Iacobi Arminii* theses, & ad *articulos 20* responsio, in quibus *Scientia Media* nominatim proponitur & defenditur. Eisdem insistit vestigijs *Conradus Vorstius* in disputatione suâ de *Deo* & ad eandem *notis*, vbi post multas tandem ambages hæsitare nihilominùs videtur. Nam profectò (inquit) *nihil extra se verè futurum novit Deus, infallibilitèr saltem, quod non ipse futurum aliquatenùs decreuit*. Sed animosior *Nicholaus Grevenchovius* in dissertatione Theologicâ adversus nostrum *Amesium*, non dubitat apertè nobis nuncium remittere, & *Iesuitarum patrocinium* suscipere. Tam facilè circumaguntur ἀνύδροι quædam νέφελαι, qui mallent esse *sacrilegi*, quàm *acuti* non videri, & vltra vulgus sapere. Quæ eò prolixiùs exposui, vt constaret ijs quibus non commodum est, vel non vacat hujusmodi

Thes. 4. de nat. Dei pag. 40.

ag. 261.

Dissert. pag 346

modi pervoluere, quanti momenti sit præsens de *scientia media* controversia, quas turbas & antehac dedit, & quotidiè excitat, non tantùm inter privatos Doctores, sed celeberrimas *Scholasticorum familias*: quibus nihil familiarius est quam liticulas nostras hyperbolizõs exaggerare: quàm ridiculè etiam Papa se venditat controuersiarum *Iudicem* in omnibus Ecclesijs, cùm non audeat *infallibilitate* suâ niti, ad domesticas lites dirimendas, ne *victi* forsan *indignabundi* ab ipso deficerent. Denique quàm periculosè versentur in Ecclesiâ subtiliora nonnulla ingenia, qui *meditationes* jactant sine *lectione*, vt obseruare licet in *Arminio*; vel *libertatem* vrgent *prophetandi* ad quodvis innovandum & docendum, qui pruritus *Vorstii* videtur esse, & *Socinianorum*, quorum primum *doctrinam*, secundum *disciplinam*, vtrunq; pacem perturbat *firmata* præsertim & *stabilita* alicujus *Ecclesiæ*. Hactenus de quæstionis *occasione*, *progressu*, et *successu*, tam inter *Reformatos*, quàm *Pontificios*; sequitur vt in re ipsâ vestigia jam figamus.

Benedictio 4. *Non intempestiva est hæc vestra interpellatio, tametsi lectionis cursum impediat* (Inceptores spectatissimi) *præsentiam quam petitis in* Vesperijs , *& sequentibus* Comitijs *libentèr spondeo, ad* benedicendum *autem invitat tàm rei de quâ agitur argumentum, quàm pia vestra petitio. Cùm enim benedictio sanctificationis sit & gratiarum votiva collatio,* (*definiente lib.* 2. *de* benedict. Patriarch. Ambrosio) *sic ut gratia col-*

lata

lata sit benedictionis effectus, & benedictio rursus à gratiâ conferente profluat; qui gratiæ agit apologistā adversus arbitrij patronos, benedictionē, ipsius fructum non potest non libentissimè illis impertire: qui eò quòd ad vota & benedictiones cōfugiunt, ostendunt sese in eâdē causâ, nec proprijs niti viribus, sed gratiæ adjutorio. Equidē beatum non facit hominē, nisi qui fecit hominē, (ut scitè ad Macedonium, *Ep.* 52. Augustinus) *necob aliud existimat idem Pater* Philosophos *veram pietatem assequutos non fuisse, nisi quia beatam vitam* ipsi sibi *quodammodò* fabricare *voluerunt, potiúsque patrandam quàm impetrandam putaverunt. Quò laudatior est vestra synceritas* (dilecti filii) *quæ non venditat, sed petit id quod deesse animadvertit; nec satis se arbitratur munitam adversus tot insidiantium* πανουργίαν *&* κυβείαν *nisi matris* Academiæ *&* Theologiæ *solennis accedat benedictio.* Honora patrem tuum, & matrem, præceptum primum est cum promissione: *ad Ephes.* 6. 2. *Nam etsi pauperes sint, & non habeant divitiarum copias quas relinquant filijs, (ut prudentèr* Ambrosius) *habent tamen ultimæ benedictionis hæreditatem, quâ sanctificationis opes successoribus largiantur. Vndè* Isaac Iacobum

De benedict. Patriarch. cap. 1.

ad Padan-Aram *non priùs ablegat, quàm repetitæ benedictionis viatico illum instruxisset,* Gen. 28. Iacob *non dimittit* Angelum, *priusquàm benedictionem etiam accepisset, ibid. cap.* 32. *Quid quòd &* Ethnici *non parùm momenti in* benedictionibus *& execrationibus videntur reposuisse. Vox est ista* Pharaonis *ad* Mosen *&* Aaron: Surgite, egrediamini, immolate; & abeuntes, mihi benedicite. *Exod.* 12. *E montibus Orientis accivit* Balac Balaamum, *ut populo Dei* malediceret, *quibus tamen benedixit præter ipsius sententiam,* Num. 23. *Nec armatus prodiit* Goliah *gladio tantùm, aut hastâ, aut clypeo; sed (ut* Salmonëus *hodie* Romanus) *maledixit* Dauid *in Deos suos,* 1. Sam. 17. *Quod si jam penè obtinuerit inter omnes, vel infimæ sortis homuncionès, ut liberas non permittant, saltem longiùs à se concedere, nisi votis, & precibus, & benedictionibus, iterum iterumque repetitis sollicitè illos comitentur. Quanto magis hoc* Academicis *&* Theologis *conveniat, qui ut civitas in monte hic à Domino erigimur, ut non præcepto tantum, sed exemplo cæteros dirigamus. Non superbè igitur aut ludicrà, est hæc à majoribus huc usq; continuata benedicendi solennitas, quam putaverit quispiam hodiè*

dicè magis vobis expedire, quò discrimina studiosis graviora sunt undiq; hoc tempore subeunda.

5 Obiter tantùm ut instem in præsenti negotio. Si hostis aperto Marte Ecclesiam adoriretur, in procinctu facilius esset, aut virtus quâ violenter arepelleretur, aut patientia ad ferendum, aut fuga ad nosmetipsos eximendos: sed videt Satanas hujusmodi non succedere, ideóq; convertit se in Angelum lucis, ut indè (si esset possibile) electos ipsos in nassam suam pertraheret. Speciosum quidem est nomen libertatis, & horrendum sonat carni è contra, & sanguini, absolutum reprobationis decretum. At pauci interìm animadvertunt, quò tendant illorum conatus, qui ista virulentiùs exagitant. Putatisne Scientiam mediam, materiam tantùm esse areæ Scholasticæ, quam admiseris vel exploseris, veritati nil præjudicaveris? Supini sunt nimium aut increduli, qui sic patiuntur se deludi: quinimò latet sub hâc larvâ voluntatis post lapsum ἐνέργεια, quâ liberè cor tendat ad actus supernaturales, non efficiente gratiâ, sed tantùm suadente, posse se saltem erigere; latet meritum, quod cœlum non ut donum omninò gratuitum, sed aliquâ saltem parte ut debitum vendicat: Ut omittam gratiam, fidem, Christi λύτρον, (sicut sa-

cra in cœna symbola) dimidiata nobis relinqui; duo humanarum actionum principia coordinata tantùm, & non subordinata, subdolè introduci; malagma quoddam ex Pelagianismo *&* Manichæismo *fraudulentèr contemperari, quo docti phrenesi vix sanandâ sic aguntur, ut medicum salsè irrideant, aut furiosè in illum debacchẽtur. Non desunt intereà talibus speciosi prætextus, rationis humanæ* dignitas *&* excellentia, *veterum (præsertìm antè exortum* Pelagij*) sententiæ de hâc re ancipites, rei ipsius difficultas, & consilij Divini profunditas: quibus deterriti quamplurimi, non ausi sunt nimium in hoc altum solvere, ne dum hostes præcipitantiùs insequantur, ipsi à vorticibus absorbeantur. Tantum autem cùm robustioribus impendeat periculum, & retia tendantur tam latenti artificio, quibus sagacissimos nonnunquam implicatos conspiciamus; quis ad preces, & vota, & benedictiones se non reciperet, ne in consilia talium veniat anima ipsius, sed ut gratiâ liberatus infirmiores corroboret?*

6 *Quare cùm vos comparueritis hodiè* (dilecti Filij) *non ut humanæ libertatis, sed gratiæ Divinæ assertores, & candidati; liceat mihi pro paterno in vos jure & affectu, inter benedicendum*

nonnulla

nonnulla interspargere, quæ reducant nobis omnibus in memoriam quid accepimus, & quale Domino obsequium speciatim vos hoc tempore spondeatis. Oculi vestri viderunt magnalia Domini, quàm robustâ manu, & extento brachio, nos ab Ægyptiacis Papismi tenebris liberavit, & in mirabile lumen Evangelij sui vindicavit. In hoc loco quem jam calcant pedes vestri (tanquàm oves protractas ad lanienam) conspexerunt Patres nostri, reverendum Archiepiscopum unum, Episcopos duos, quorum corrigiam calceamentorũ nos vix digni sumus solvere. At fœlicior nostra conditio, ad sanguinem hucusque & proscriptionem non certavit, securus unusquisque recubat sub vite suâ, & sub ficu suâ, sicut anteà sub illustri Debora, ita nunc sub pacifico Salomone: ut si ulteriùs daretur optio, quid amplius faceret Dominus vineæ suæ quod non fecit? Si vos igitur, qui Theologi estis, Depositum sollicitè custodiatis, tempestivè & intempestivè instetis, externum mundi typhum, interni hominis tranquillitati postponatis, lupos Iesuiticos prudenter, constanter, & animosè à caulis vestris arceatis, excitetis gratiam per impositionem manuum vobis collatam, & obliviscentes ea quæ retrò sunt, exer-

Cranmerum. Ridleum. Latimerum.

Elizab. Jacob.

1 Tim. 6. 20.

to quasi collo ad destinatum supernæ vocationis
Phil.3.13. bravium vosmetipsos extendatis; manifestum illud erit conscientijs vestris judicium, vos non scientiâ aliquâ mediâ, hypotheticâ, aut ancipiti, Patri cœlesti innotuisse sed immutabili illius decreto, in librum vitæ relatos, & ad omnes benedictiones, tam hujus, quàm futuri seculi, certissimè esse destinatos. Aperiet vobis Dominus thesauros suos, & abundare vos faciet omnibus bonis, benedicti eritis
Deut.28. in agro, benedicti in civitate, benedicti in privatis familijs, & benedicti in cœtu populorum: nec vexabit vos sollicitudo, quomodò ad altiora assurgatis. Constituet siquidem vos Dominus Deus vester in caput, & non in caudam, & eritis semper supra, et non subter; extendet insuper Deus tentoria vestra, vt confluant etiam ad ea (sicut hodiè videtis) vt Iapheti soboles ad Semi tabernacula, Iurisconsulti, Medici, Philosophi: illi corpora sarta tecta conservabunt; isti injurias propulsabunt: Iuniores verò adolescant sicut novellæ plantationes, quæ maturè transferantur in vestros hortos, et fructus proferant latificantes civitatem Dei.

7. Conjunctim autem vos sic alloquor (Theologi, Iurisconsulti, et Philosophi) quia indignum

num mihi videtur, quos benedictos reddit vnio, verbo tantùm aut oratione separare. Vt enim pueri (simile tudo est Chrysostomi Hom. 14 ad populũ Antiochenum) funiculum aliquod corruptum in diversa trahentes, disrupto (ut fit) vinculo, proprio plerumq; impetu supini prosternuntur. Sic docti et Academici se invicem mordentes (quemadmodum prædicit Apostolus) à se invicem consumuntur. O quàm dulce sonat inter diversas nostras professiones illa vox tribûs Iudæ ad tribum Simeonis, Iud. 1. 3. Ascende mecum in sorte meâ, & pugna contra Cananæum, ut & ego pergam tecum in sorte tuâ. Excubias itaq; agat Theologus ne anima periclitetur. Corpori prospiciat Medicus ne istius reipub. crasis aliquid detrimenti capiat. Caveat Iurisconsultus de singulis, ne debito fraudentur præmio: et diligenter se instruat Philosophus, ut non hæreat tantùm in limine, sed ad altiora suo tempore maturè assurgat. Denique, cogitate vos hunc locum conscendisse tanquam olim Israelitæ, ductore Iosua, montem Gerasim et Ebal, non ut pompa solum theatricâ ritus quosdam observetis, et sic abeatis, sed ad stipulandum Deo et Academiæ excitationem in Ecclesiâ et Repub. industriam, quo gradibus à Gal. 5. 15.

nobis

nobis commendatiores, *ad vestros sitis reversuri. Alio si quis inter vos scopo hæc appropinquat sacraria, & abutatur matris indulgentiâ, excutimus in talem pulverem pedum nostrorum, vt benedictio nostra rursus in sinum redeat. Verùm auspicatiora de vobis pollicetur explorata vestra virtus & conditio. Quapropter hîc nil nisi vota superfunt. Benedicat igitur vobis* Dominus, & custodiat vos: ostendat vobis Dominus faciem suam, & misereatur vestri: Convertat Dominus vultum suum ad vos, & pacem vobis concedat: *dirigat dicta, facta, & cogitata vestra iuxta præscientiam istam* approbationis, *quâ ab æterno suos complectitur, non ad normam* scientiæ mediæ, *quæ præcipiti humanæ voluntatis rotatu incerto circumducitur.* In cujus vlteriori indagine quæ restant hujus *horæ* minuta, punctiùs jam sunt insumenda.

8 Quod vt brevissimè fiat primò *termini* sunt explicandi: 2° *dissentientium sententiæ* proponendæ sunt & conferendæ; 3° *Orthodoxa sententia* est confirmanda. 4° Adversantium obiectiones diluendæ. *Termini* qui hîc occurrunt sunt tantum duo, *Scientia* & *Media*. Vox scientiæ (quæ ab *Hebræis* ידיעה à *Græcis* γνῶσις dicitur) non scrupulosè nimiùm in Deo, ab ipsius *intellectione* & *sapientia* disterminanda (licet alicubi *Augustinus sapientiam* Dei *æterna, scientiam tempora-*

temporalia respicere præcipuè autumet) hæc autem vtcunq; in se sit *vna* & simplicissima; pro diversitate tamen obiectorum & respectuum ad obiecta, aliàs *activa*, aliàs *passiva* à nonnullis dicitur. Sed *passiva* potiùs est nostra scientia *de Deo*, quâ ipse à nobis cognoscitur; quàm *Dei*, quâ cognoscuntur ab ipso omnia: hæc siquidem *activa* tantùm est, & occurrit in sacris litteris sub duplici discrimine, primò *tropice*, idq; vel per *synecdochen generis*, quatenùs denotat *approbationem*; sic *novit Dominus viam iustorum*, hoc est, *probat*, Ps. 1°. Quo sensu προγνωσις; includit προθεσιν, sive decretum Dei benevolum de salute nostrâ; Act. 2. 23. Rom. 8. 28. & 11. 2. 1. Pet. 1. 2. & 20. Et oppositam habet *ignorationem*, quâ Deus rem exosam *ne novisse* quidem affirmatur, Math. 7. 23. & 21. 12. 2. Tim. 2. 19. vel per *metaphoricam* causæ *metonymiã*, quâ cognitor statuitur, vel *pietatis*, vt remuneret, vel *peccati*, vt puniat: vnde *memor* dicitur Levit. 26. & Ps. 85. vel *oblitus*, Ezech. 18. 22. & passim alibi: Sed acceptiones istæ sint ab instituto nostro alienæ. Secundò igitur *scientia* Dei propriè *cognitionem*, *sapientiam*, vel *intelligentiam* illam complectitur, quâ res *omnes scibiles* vno intuitu complectitur, quod per metaphoram *aurium* & *oculorum* aliquoties exprimitur: vt constaret tam certò Deum omnia præcognoscere, ac si coram intueretur & susurrantibus aures admoueret. Hujus scientiæ *obiectum* est omne τὸ νοητὸν quovismodo intelligibile; sive sit ipse *Deus*, sive aliquid *præsens*, *præteritum*, vel *futurum* extrà Deum, *existens*, vel *imaginarium*, *substantia* vel *accidens*, *res*, vel *rerum connexio*, quâ quidem ab æterno cognouit omnia, non

ſucceſſiuè, per *compoſitionem*, aut *diuiſionem*, *hoc* poſt *hoc*, aut *hoc* ex *hoc* inferens; ſed vno & individuo eſſentiæ actu, non diſtractus ipſe in plurima, ſed collectus in ſeipſum, non confuſè tamen, aut tantùm vniuerſè, ſed diſtinctè & ſpecialiſſimè, *ſeipſum* in *ſeipſo*, res alias in *ipſarum cauſis*; in *ipſis*, *præſenter*, in *cauſis*, *antecedenter*, in ſeipſo *ſupereminenter*: non *entia* autem ſiue *deuia* & *contradictoria* quæ nec actu ſunt nec potentiâ, nec fuerunt, nec futura ſunt, nec eſſe poſſunt vllâ ratione, apprehendit nihilominus diuina *omniſcientia*, tanquam meras *inanitates* et *extremos* entium vel actu vel potentiâ *terminos*, non per *ideas*, non per *ſpecies intelligibiles*, non per *ſimilitudinem* (non enim vtitur abſtractione aut applicatione ad intelligendum) nec poſtremò per *ſuam eſſentiam* (quêadmodum præſcire dicitur omnia entia *futura* et *poſſibilia*) ſed *ſimplici* mentis *fictione*, ſeu per *oppoſitum plaſmas*; vt enim priuatio nobis innoteſcit non per *propriam ſpeciem*, ſed mediante *habitu*; et *malitia* non per ſe, ſed per *bonum* oppoſitum: ita ineffabili quodam modo extenditur ad omnia non entia et impoſſibilia Diuina *præſcientia*, præſertim cùm ex cognitione *impoßibilium*, *neceſſariorum*, & *contingentium*, illuſtrior aſtruitur et diſtinctior intelligentia, in quibus dirigendis et ordinandis glorioſior poſtea elucet *Dei ſapientia*. Scientia hæc propriè dicta, (vtcunq; alias ſortiatur apud *Scholaſticos* pro diuerſitate objectorum et reſpectuum ad objecta diſtributiones) vſitatè contrahitur ad hæc duo membra, nempe ad *ſcientiã ſimplicis intelligentia*, et *viſionis*. Scientia *ſimplicis intelligentia* quæ et *naturalis* et *indeterminata* di-

citur

citur *omnipotentiam* Dei solummodò respicit, ideoq; complectitur *possibilia* tantùm, tam quæ *futura* sunt, quàm quæ *possunt fieri* si Deus vires extenderet, & præcedit omnem liberum voluntatis actum. *Visionis* autem *scientia* libera, & intuitiva, à voluntatis dependet decreto, ideòque entia tantùm quæ vel *actu sunt*, vel jam *fuerunt*, vel saltem *futura* sunt, tanquam *præsentia*, & coram se *posita* respicit. Et tantùm de termino primo. *Secundò* per scientiam *mediam* sive *conditionatam*, intelligunt ipsius *Patroni* præscientiam in Deo à præcedentibus distinctam, quæ versatur circa objectum, cujus veritas non dependet à *decreto* Dei *libero* cùm illud *anticipet*, & *præveniat*) sed à *libertate creaturæ*, quam certò prævidit Deus, sive in *se*, sive in *te*, quomodò seipsam sit determinatura, si in tali *rerum ordine* collocaretur; oppositum cogniturus, si *oppositum*, liberum *arbitrium*, ut potuisset, ita voluisset facere. Vna igitur juxta hos authores est *possibilium* scientia; sed duæ sunt *futurorum*, altera *absoluta* de quâ regula; *Illud censetur prius cognitum per scientiam liberam, quòd est prius volitum per decretum liberum.* Altera *conditionata* sive *media* inter & ultra naturalem Dei & liberam cognitionem, quæ eatenùs convenit cum *naturali*, quatenùs decretum *antecedit*; quatenùs verò includit *hypothesin* voluntatis non determinatæ sed adhuc pendentis, undè effectus posità conditione potest esse futurus, eatenùs ad *scientiam liberam* sive *visionis* reducitur. Cùm igitur nec præcisè sit *naturalis* nec *libera*, sed respectu *objecti* libera, respectu verò *subiecti* naturalis: rectè quis putaverit eam ab utrisq; distinctam; & nomine *scientiæ mediæ*, Lessius. Ripa in Thom. q. 14. d. 4.

sive conditionatæ congruè esse insignitam.

9 Hisce generatim positis, descendamus *secundò* ad oppositas sententias, quas inter se etiam breuiter conferamus. Istæ autem sunt (quemadmodum partim constat ex superioribus) vel antiquorum, *Pelagianorum* sc. et *Semipelagianorum*, vel recentiorum, *Pontificiorum* et *Reformatorum*. Pontificij (qui inter se hîc dissentiunt) sunt vel *Dominicani* vel *Iesuitæ*. Reformati verò sunt *Remonstrantes* et *Orthodoxi*. Ante hæc vsq; tempora (inquit *Ripa* Episcopus *Curzulensis*) Theologus quisq; hæc certissima habuit quæ sequuntur, 1° *Deum esse causam rerum*. 2° *Non ideò habere seipso tantùm, sed voluntate adiunctâ, Atq; hæc duo interpretes ad articulum* 8^m eiusdem quæstionis 4^{tæ}, *meritò scribunt esse de fide*: 3°, *Geminam distingui scientiam*, simplicis *intelligentiæ vnam, visionis alteram*, et illam spectare *possibilia*, hæc *futura*. 4°, *Eam præintelligi actui Diuinæ voluntatis*; hanc *ipsam complecti*. 5°, *Non illam, sed istam rerum causam*: Vsq; dum Molina, Vasquez, Suarez, et alij ejus furfuris *nouatores* (vt passim à Dominicanis audiunt) hæc omnia suis *nuper natis speculationibus* perfidè interturbâssent, *Conuenit* autem *primò* inter omnes, Deum aliquâ saltem *scientiâ*, non *coniecturali*, sed *certissima* & *absolutâ*; non tantùm *res ipsas*, sed *vtiles* earum *combinationes*, sive *connectiones*, *præsentes*, *præteritas*, vel *futuras*, *necessarias*, vel *contingentes*, ab æterno scire, vt ingenuè largitur *Cumel*, tom. 1°, *variar. disp.* ad 1^m *part. Aquinatis dub.* 5° *concl.* 2. cujus *oppositum* (addit) *dicere*, non est *ferendum*. Quocirca calumniantur *Iesuitæ*, dum impingunt *Dominicanis*, illos absolutè negare

In 1^{am} *p. Aq. q.* 14. *dub.* 4. *c.* 1.

negare Deum præscire *futura* hujusmodi *conditionata* (consentiente nostro *Paulo Ferrio* in *specimine Scholast. orthodox.* cap. 23. Et 2° nugantur, dum sententiam quam nemo tuetur, contendunt multis argumentis prolixè refutare. Convenit 2°, tale fundamentum esse assignandum hujus *scientiæ*, quod nec liberi arbitrij *facultatem* prorsus tollat, nec Dei *gratiam* excludat, sed utrumq; interse *suaviter* concilier. Nec dissentiunt 3°, an nuda Dei *scientia* aliquid ponat in rebus, adeò ut res *futura* sit, quia Deus *præscit*, non idcò *præscit* quia *futura*: constat siquidem eos qui causalitatē tribuunt *præscientiæ Divinæ*, *voluntatem* & *potentiam*, *adiunctam* intelligere, non *separatam* ab hisce *intuitionem* vrgere. *Quartò* nec de nomine scientiæ *mediæ* lis movetur admirti siquidem potest, vt monet *Alvarez* lib. 2. de Auxil. disp. 7. vel ut *modus* scientiæ *simplicis intelligentiæ*, quatenùs *conditionata* sunt quæ respicit tantùm *possibilia*; vel ut reducatur ad *scientiam visionis*, quatenùs *futura*, licet sub *conditione*, intuetur. Verùm *res substrata* displicet, quatenus *actus liberos voluntatis creatæ* effingit, qui *decretum Divinum* non præsupponerent, sed ordine saltèm præcederent. Vndè conuenit *vltimò* decretum Dei *absolutum* & *scientiam* hanc *mediam*, *deesse* prorsus esse, quæ se invicèm tollunt. Nam si omnes actus voluntatis liberæ, juxta *decretum Divinum* determinentur, sic ut Deus non aliter ipsos præsciat *futuros*, nisi quia *futuros* esse decreverit: non relinquitur locus *actionibus* à quibus *liberis*, quæ decretū *præcedere* statuuntur, vndè perit *obiectum* hujus mediæ scientiæ, & per consequens ipsa *scientia* tollitur è *medio*. Cùm igitur sex ferè sint modi

quibus Deus futura *conditionata* cognoscere dicatur 1° *in se*, per scientiæ *Infinitatem* (ut asserunt *Vasquez* & *Suarez*) 2°. in seipsis, ut *actus liberi* in voluntate *creatâ*, quod placet *Bellarmino*, 3° per *scientiam mediam* vt *Molina*. 4° In *suis ideis*, quæ sententia est *Halensis*, *Bonaventuræ*, *Caietani*: 5° Per *realem* in æternitate *præsentiam*, ut putat *Aquinas*, & ipsius asseclæ. 6. In *decreto* hujusmodi præ determinante, ut: *Scotus*, & qui illi adhærent: Quæstio non est an *omninò* cognoscantur, sed *vtro horum modorum* cognoscantur. Iesuitæ confugiunt ad *scientiam mediam*, quâ Deus vel *in se*, vel *in re* (nam hîc inter se non conveniunt) *futura conditionata* præcognoscit: Nostra contrà est vnica thesis responsiva. *Non datur talis scientia media*, sed *Deus infallibiliter præscit liberas voluntatis determinationes, quia ipse ad hanc vel illam partem ab æterno per decretum immutabile illas sic disposuit.*

Arg. I.um

10 Quod argumentis quibusdam tertiò jam restat confirmandum; quorum primum ducitur ex textu. Si daretur talis *scientia* quâ Deus ante omne *decretum* intueretur in liberâ voluntatis determinatione, quid certò *futurum* esset in *conditionatis*; tum assignari posset *ratio* prædestinationis extra Deum, præter ipsius *propositum* sive εὐδοκίαν. Connexio patet; quia *consensus* iste *prævisus* voluntatis *Iacobi*, in tali dispositione constituti, *conditio* esse saltem sine *quâ non*, Deus potiùs *Iacobum* quàm *Esauum* ad salutem prædestinaret. Sed nulla ratio prædestinationis Divinæ, cur *Iacobum* potiùs quàm *Esauum* eligeret, assignari potest, præter ipsius *propositum*, vt constat ex textu, *Nondum enim natis pueris, & cùm nihil fecissent boni vel mali*, non propter

ter *prævisum* liberi arbitrij *bonum usum*, per *scientiam mediam*, sed ut *propositum* Dei *firmum* maneret, non ex *operibus*, sed ex *vocante*, dictum est, *Maior seruiet minori*; ergò non datur talis *scientia media*. Respondent *Iesuitæ*; Conditionem non assignari per *scientiam mediam* ex parte *prædestinatorum*, sed *prædestinantis*; Dei enim est hæc *scientia*, non *hominum*. Nullus autem negaverit *rationem prædestinationis* quærendam esse *in Deo*, sed tantùm *extra Deum*. *Contrà*, licet Deus sit qui præscit, & inde prædestinat, objectū tamē quod præscit, & quod prædestinat statuitur esse *bonus usus* prævisi liberi arbitrij, & non est hoc *causam* sive *rationē decreti*, extra Deum in lubricâ *hominis* vertigine gratis ponere? Quod cōfirmatur 2° ulterius, ex parte *obiecti* hujus scientiæ mediæ. Objectū hujus *scientiæ mediæ* nō est *scibile*; nam si esset, tum aliqua necessitate: tum vel *consequētis*, at hoc non, quia nihil in re præcedit, quod causaret talē necessitatē; vel *consequentiæ*, & sic posito *Iacobo* in talibus *circumstantijs* & *auxilijs*, quę non necessariò inclinarent ipsius voluntatē, infallibiliter nihilominus cōverteretur, at hoc implicat contradictionem, ut aliquis effectus sequeretur infallibiliter necessitate *consequentiæ*, ex causa *defectibili* & *impedibili* (ut loquitur *Alvarez*) per concursum aliarum causarum, hoc est ex antecedente, quæ aliter atq; aliter potest se habere; ergò non potest esse talis scientia: certitudo siquidem *scientiæ* præsupponit certitudinem *existentiæ*, si non realē, & actualē, in rebus ipsis, saltem *idealem* sive *causalem*. Respondent *Iesuitæ*, certitudinem hujus objecti fundari in *infinitate* Divinæ scientiæ, quæ certò præscit ad quam partem *moralis persuasio* voluntatem,

Arg. 2um.

ipsa in primam partem. Thom.

2. 14. d. 4. c. 3.

Lib. de Auxil. c. 7.

aliàs

aliàs ad oppositum *liberam* sit inclinatura. *Contrà*, ergò *omniscientia* ista Dei vel effectus istos *certos* facit, vel non: Si sic, ubi voluntatis indifferentia? Si non, quomodò cohæreret *certa* scientia, cum *incertâ* voluntatis indifferentia? Quinetiam de futuris contingentibus (ut notum est juxtà Philosophum) non est determinata veritas: Ergò ante decretum non est *scibile* quid liberè *faceret* homo, sed tantùm quid *possit facere*. Clamant Iesuitæ *Aristotelem* falli, *effectumque* determinatè *futurum*, non excludere *indifferentiam* causæ quæ operari potest, vel non operari: sed actionis, Quæ si secutura sit (etiamsi potuisset anteà omitti) aliter tum se habere non potest. At hoc non quæritur, an actio *sequutura sit necessariò futura*, sed undè ista *necessitas*? an à terminorum *connexione contingenti*, vel à *connectentis efficaci decreto*? Instant ergò nostri, propositiones *hypotheticas* sortiri necessitatem ex infallibilitate Illationis *partium separatarum*; quæ cùm non inveniatur in futuris contingentibus (verbi gratiâ, si *Adam* poneretur in Paradiso cum tali præcepto, tum peccaret) non potest hic haberi, aliqua *certa scientia*, "quia illud sciri non potest, quod ex *parte rei* non est omninò *cognoscibile*. Respõdet *Becanus* de scientiâ Dei c. 10. q. 6. Vtcunq; tales propositiones quoad *formam* sint *hypotheticæ*, quoad *sensum* tamen æquivalere *categoricis*, differre nihilominùs ab utriq;. Ecce ut in *Theologicis* scientiam mediam, sic in *Logicis* propositionem habemus *mediam*, quæ neq; *categorica* sit nec *hypothetica*, quod nescio an quis præter *Papæ mediastinos* tam ridiculè assereret. Quanto rectius *Aquinas*, *Qui cognoscit* (inquit) *effectum*

ctum contingentem in suâ causâ tantùm, & non in causâ aliquâ superiori certò determinante; non habet de eo nisi coniecturalem cognitionem, quoniam ex causâ indifferenti in quantum indifferens, non erit actus determinatus, & eâdem ratione ex antecedente contingente in quantum contingens, non erit illatio necessaria ante decretum Divinæ voluntatis: part. 1ª. q. 14. art. 13.

Tertium nostrum argumentum ex *dependentiâ* ducitur inter *causam primam* & *effectus*, hoc est inter *creatorem* & *creaturas*: impossibile enim est ut aliquis effectus vel *sit*, vel non intelligatur *futurus*, in aliquo casu nisi dependenter à suâ *causâ efficiente*. Propositio est hæc prima *Philosophi, lib. de causis*, cui etiam innititur tota fabrica *Scholasticæ Theologiæ*, quæ entia creata haud aliter considerat, nisi vt tot *emanationes* à primâ causâ, à quâ dependent in *esse* & *operari*, vt à sole radij. At positâ hâc scientiâ mediâ, substernitur ei pro *obiecto libera voluntatis determinatio*, quæ à nullâ causâ superiori dependet. Ergò ponitur *effectus* sine *causâ*, *creatura* sine *creatore*, & per consequens talis scientia est penitus explodenda. Acriter hoc premit *Ripa* in 1am par. *Aquin.* q. 14. c. 3. d. 4. Etenim hinc (inquit) constitueretur hic ordo, ut *quia futurus est homo faciat Deus*, & quia causa *secunda facit, faciat prima*, & non è *contra*; quod & S. *Augustinus detestabatur* lib. de præd. sanct. c. 10, & vera *Philosophia*, *sanaq; Theologia*. *Demum non natura modò, sed nomina ipsa Dei, hominis, causæ primæ, & secundæ, ita abhorrent vt nihil magis; & ij quibuscum disputamus, non nisi trepidè & sub quibusdam mæandris hoc audent asseverare.* Hæc ille. *Respondent* adversarij, sufficere voluntatem ipsam agnoArg. 3m.

cere esse creatam, & ipsius *libertatem* esse à Deo, quâ vti non potuisset homo, nisi accepisset vt vteretur. Vnde *præscit* certò Deus quomodò se *inclinabit*, quia hoc privilegium ei concesserit vt *libera* se inclinaret. Atquî hoc non tantùm est *specialem* Dei *influxum* (quod reprehendit *Schola* in *Durando*) in *actus liberos* negare; sed statuere duas causas *partiales*, simpliciter *primas*, ejusdem effectûs, respectu liberæ actionis ad *vnam primam* non reducibiles, *voluntatem Divinam*, & *creatam*; sic vt Deus non esset solus author nostræ salutis, sed *approbator*, *testis*, sive *inspector*, vt habet *Prosper* contra *Collatorem*, & *Maxentius* contra *Faustum* in respons. ad Epist. *Hormisdæ Papæ*. Deniq; gratia aptiùs diceretur *pedissequa* humanæ inclinationis, quàm *domina*; *comes*; quàm *causa*, quod causarum subordi-

Arg. 4m. nationem tollit, & evertit omnia. *Quartum argumentum* est à comparatione *conditionatorum cum absolutis*; Ita se habet decretum Dei *conditionatum* ad futurum conditionatum, sicut decretum *absolutum* in ordine ad futurum absolutum: Sed implicat contradictionem (vt fatentur *Iesuitæ*) vt aliquid sit futurum absolutè, nisi ex decreto Dei anteà decernentis, vt tale sit *futurum absolutè*, sicut ostendit *Augustinus* in Enchirid. ad *Laurentium*, cap. 95. Ergò implicat etiam contradictionem quòd aliquid sit *futurum conditionatum*, nisi præcedat decretum Dei conditionatum, quod *scientiam mediam* (quæ omne decretum statuitur ante-

Arg. 5m. vertere) prorsus tollit. *Quintum argumentum* est ex sufficienti Divinæ scientiæ divisione, in *scientiam* simplicis *intelligentiæ & visionis*, quarum objecta cùm sint *non ens*, & *ens*, inter quæ non potest fingi *medium*:

non

non relinquitur ergo scientiæ mediæ *obiectum medium*; vnde desinit esse *scientia*. Aduersarij hìc coguntur *ens ex suppositione* vt *medium* inter *contradictoria* inferere, sed frustrà. Ens siquidem illud conditionatum, vel aliquid est in se simpliciter, vel nihil; Si primum, comprehenditur sub *scientiâ visionis*: sin nihil sit, sed tantùm per potentiam creatoris *possibile*, coincidit cum obiecto *simplicis intelligentiæ*: quid igitur opus est novam hanc & neutram in Deo comminisci? *Arg. 6m.*
Sextò injicit compedes hæc sententia Divinæ *libertati*, & *providentiæ*. Nam si *voluntas humana* liberè se determinet ante *decretum Divinum*, tum nihil potest disponere *Divina potentia* & *providentia*, nisi *expectato*, & priùs *habito* voluntatis creatæ *assensu* cum quâ concurrat vt causa *partialis* ad effectum producendum: cúmq; ea quæ præscit Deus ante præfinitionem suæ voluntatis, innotescant ipsi per *naturalem* ipsius *scientiam*, non possunt aliter se habere per *decretum subsequens*, quod videtur primæ causæ limites præscribere. Vrget hoc argumentum *Cumel* loco sæpiùs citato, nec video quomodò *aduersarij satisfaciunt*. *Septimò*, nec nodos soluit hæc *scientia media*, in *Arg. 7m.*
gratiâ & *libero arbitrio* conciliando, ob quam causam *præcipuè* fuit excogitata, sed potiùs implicat; ergò *reijcienda* est vt inutilis. Antecedens sic firmatur. Actus *liberi arbitrij* à decreto non *determinati*, vel determinationem habent ab aliâ *causâ externâ*, vel non. Si primum, tum vel à *constellationibus*, vel ab *individuali complexione*, vel à *morali persuasione*, aut *modo aliquo alio*; at hoc quocunq; modo eveniat, non minor difficultas oritur, cur ista fœliciùs cederent *Iacobo* quàm

Esauo. Sin voluntas hîc *naturaliter* consentiret, tum aliter non potuit facere, ergò non *dissentire*: ergò positis *hisce circumstantijs* non est *libera*. Atquî ita incidunt adversarij in laqueos, quos nobis tetenderunt. *O-*
Aug.3m. *clavum* sumi potest argumentum ab Antiquorum suffragijs, *Hieronymo*, *Augustino*, *Fulgentio*, *Prospero*, & numerosâ *Scholasticorum* turmâ, qui horum *vestigijs* quovis penè seculo sunt insequuti: Fatentur hoc *Molina* disp. 18. memb. 2. §; Authores præterea: & *Vasquez*
Disp.14. dub.4. s.1. ad finem cap. 4i disp. 67. Quorum testimonio verissimo (inquit *Ripa*) ab onere illo, quod in tot tantisq; *Scholasticis* commemorandis nobis contingere potuisset, levati sumus. Vnde mira est confidentia *Lessij* & *Suarez*, qui existimant se posse suis præstigijs *Patres* omnes & *Scholasticos* ad suas partes torquere. Magis ingenuè *Molina* & *Arminius*, *Augustinum* hac in causâ rejiciunt: quòd si explanata tùm fuisset vt hodie est per *Iesuitas*, hæc doctrina; Fortè (inquit *Molina*) neq; *Pelagiana* hæresis fuisset exorta, neq; *Lutherani* tam *impudenter arbitrij* nostri libertatem ausi fuissent negare; neq; ex *Augustini* concertationibus cum *Pelagianis*, tot fideles fuissent turbati, ad *Pelagianosq;* defecissent: faciléq; reliquiæ illæ *Pelagianorum* in *Gallis* (*Massilienses* intelligit: quos vtcunq; à *Concilijs* condemnatos,
Pag.223. *Lessius Iesuita in Catholicorum* albo reponit) fuissent
Pag.130. extinctæ. Ecce (inquit senex *Cumel*) *quàm sinistrè loquuntur de eruditione Augustini & de sententiâ eius in contentione quam habuit contra Pelagianos.* Sed de ponte deturbandus est *Augustinus*, si parùm obstiterit *pontificijs* hisce *mangonibus*, & si ipsis visum fuerit, *hæretici* à tot seculis condemnati, *Catholicorum* nomine

minè sunt rursus cohonestandi. Postremò patroni hujus inventi (vt testes contra *Servatorem*) non possunt inter se convenire; *Bellarmini persuasio moralis quam ponit esse fundamentum* certitudinis hujus *scientiæ*, non admittitur à *Suarez* & *Molinâ*. Inter *Molinam* autem & *Vasquez* non convenit de ejus *obiecto*, referente & fatente *Becano*. Alij illam sub *scientiâ simplicis intelligentiæ* comprehendunt, alij ad *visionem* referunt. Cùm igitur *textui* manifestò adversetur, supponat pro *obiecto* quod non est *scibile*, effectum ponat non dependentem à *primâ causâ*; excludat *determinationem* Divinam in *absolutè futuris*; destruat receptam istam scientiæ Divinæ bimembrem divisionem, in scientiam *simplicis intelligentiæ* & *visionis*, cùm *libertati* Divinæ & *providentiæ* compedes injiciat, *Patribus & Scholasticis sanioribus* non innotuerit; *Pelagianos* & *Semipelagianos* pro catholicis statuat; Nec de ea adhuc certò inter suos *inventores* conveniat; concludimus *scientiam* hanc *mediam* è medio penitùs esse tollendam, nisi immotis argumentorum fulcris firmiùs stabiliatur. Quæ cujusmodi sunt, restat jam vt strictim vltimo in loco perpendamus.

Lib. 4. de Grat. & lib. arb. cap. vlt.

Part. 1. Theol. Scholastic. c. 1. q. 1.

11 *Primum* sumitur à *Prophetijs* quibusdam *commi-* *Ob. 5.*
natorijs sive *promissivis*, quæ passim occurrunt in sacris literis. Loci præcipuè duo vrgentur à *Suarez*, *Lessio*, & reliquis: ex quibus rectè *examinatis*, de cæteris quę adduci possunt in eandem sententiam facile erit *æstimare*. Primus habetur 1. *Sam.* 23. 11. 12. vbi *David* cōsulens Deum de eventu ancipiti, an si maneret in civitate *Ceila* veniret *Saul*, & traderent eum *Ceilitæ* in manus ejus: responsum accepit *hypotheticum* in hunc sen-

sum; Si maneas, veniet *Saul*; & si veniat tradent te *Ceilitæ*. Vnde argumentum. Deus prædixit hîc *futurum conditionatum*, ergò *præsoivit*; sed non scientiâ *simplicis intelligentiæ*, quia illa tantùm est de *possibilibus*, hic autem agitur de *futuro*: non *scientiâ visionis*, illa enim est de certò *futuris*; hîc futurum nil erat nisi *positâ conditione*; ergo hoc præscivit tantùm per
Sol. *scientiam mediam*, & per consequens talis datur scientia. *Respondeo* cum *Dominicanis*, *Cumel* præsertim & *Alvarez*; constare quidem ex hoc loco Deum *futura conditionata* prægnoscere, sed non eo modo quo volunt *Iesuitæ*, nempe per *scientiam mediam*: quid enim obstat cur non præsciret *Ceilitas Davidem* tradituros; quia ipse decrevisset vt *positâ* tali *conditione*, talis sequeretur effectus: qui tamen *simpliciter* nunquã esset futurus, quia ipse etiam statuisset *Davidem* à *Saule* aliter liberare. Præscivit itaq; hoc ex *decreto conditionato*; non ratione *suæ immutabilitatis*, sed respectu *obiecti voliti*, quod quidem non est ipsa conditionata propositio, sed ejus connexio quæ *certa* semper potest esse, tametsi *partes connexæ* sint prorsus *impossibiles*. Confirmat hoc fusè *Cumel* ex *Scoto*, dist. 39. *Halenſi*, *Richardo*, & alijs. Sed quia potuit aliquis subterfugere (vt observat *Suarez*) asserendo Deum ista pronunciâsse ex prægnito *Saulis* & *Ceilitarum* affectu:
Ob. 2da. *Secundò* acriùs vrgent *Iesuitæ*, ex Matth. 11. Prævidit Deus *prædicationem Evangelij* & *Christi miracula* persuasura fuisse *Tyrijs* & *Sidonijs* pœnitentiam, quæ nihil valebant apud *Iudæos*. Sed non aliter hoc potuit præsciri nisi in *diversâ inclinatione* voluntatum illorum, quibus concessa erant *æqualia auxilia*, quod fundamen-

damentum est *scientiæ mediæ*; ergò neganda non est talis scientia. *Respondeo* strictim, vt supra; præscivit Deus *Tyrios* & *Sidonios* credituros, positis eisdem medijs externis; quia decreuisset, si concessisset ipsis *prædicationem* Euangelij, *gratiam* illam simul largiri, quã Iudæis negâsset, juxta illud *Augustini* lib. de dono perseverant cap. 14. in hunc locum: *Audiunt hoc & faciunt quibus datum est: non autem faciunt, sive audiant sive non audiant, quibus non est datum*. At instant: positio hoc decreto conditionato gratiam conferendi *Tyrijs* & non *Iudæis*, nullius momenti esset Christi exprobratio; potuissent siquidem cives *Corazin* & *Bethsaidæ* respondere, si nobis gratiam determinantem cõcedas quam *Tyrijs* & *Sidonijs* daturus fuisses, nos etiam pœnitentiam ageremus non minùs quàm ipsi; quomodò ergò nobis illos præfers. *Respondeo* cum authore de *vocatione gentium* cap. 5. *Multa esse in dispensatione operum Divinorum, quorum causis latentibus soli monstrantur effectus*. Latet discretionis *ratio*, sed non latet ipsa *discretio*; laudemus igitur & veneremur *quod agitur, quia tutum est nescire quod tegitur*, & tu quis es qui ex adverso respõsas Deo? Addo tamen vlteriùs: tametsi impossibile erat *Iudæos* vel *Tyrios* converti per externam prædicationem *Evangelij* absq; prædeterminante gratiâ; quia tamen *obduratiores* erant *Iudæi* propriâ malitiâ quàm *Tyrii* & *Sidonij*, idcircò rectè à scrutatore cordium corripiuntur. Nam vtcunq; per vires liberi arbitrij impossibile sit vt hi sint istis *meliores*, per ejusdem tamen graviorem abusum possunt esse *nequiores*; quia deficere in *naturalibus* aut *moralibus* est peccare, proficere verò in eisdem sine

Sol.

Instantia.

Refutatio.

fide

fide non est Deo *placere*. Rectè *Abulensis* in hunc locum, De ijs quæ sunt purè beneficia non est petenda aliqua causa. *Secundò*, Quod adducunt ex *Patribus*, præsertim *Græcis*, non vacat particulatim discutere; habuimus antea ex *Molinâ* & *Vasquez*, *Patribus* & *Scholasticis* hoc Iesuiticum commentum non innotuisse. Dicimus deinde cum *Augustino* lib. de prædest. sanct. cap. 14. Ante *hæresin Pelagii non opus erat vt Patrum scrutaremur opuscula, qui priusquàm ista hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in difficili hâc ad solvendum quæstione versari*; ideóq; liberiores erant, præsertim *Græci*, in *libero arbitrio* evehendo; partim ne *Philosophis* irridendi ansam præberent, partim vt *Manichæis* occurrerent, sic arbitrium deprimentibus, vt inde peccatum non voluntatis perversitati, sed Deo ascriberetur. Postremò ne teneriores à praxi *abducerentur*, qui facilè quidvis arriperent quo socordiâ nati. vã *excusarent*. Interea tamen gratiam nunquã excluserunt, licet ipsius *virtutẽ* minùs quã par erat prædicarẽt. Vnde *Augustinus* lib. de præd. sanct. cap. 9. *Visum est mihi quod tunc satis erat, brevitèr esse dicendum* (loquitur de re quam habemus præ manibus) *quæ nunc ex admonitione Pelagiani erroris, necesse est copiosiùs & laboriosiùs disputare*. *Tertium* argumentum alicujus momenti, est *Nic. Grevenchovij* contra nostrum *Amesium*, § 31. Si Deus *futura contingentia* non cognoscat, nisi in *voluntate suâ prædefiniente* illarum *futuritionem*; ergò cùm omnium futurorum eadem sit ratio, quoad præscientiæ infallibilitatem, necesse erit Deum peccata præcognoscere in voluntate suâ prædefiniente; & ita esse *author peccati*. *Respondeo*: Protrita hæc

Obiect. 2ª.

Sol.

objectio

objectio solutione novâ non indiget, sufficit enim inter *actum* & ejus *malitiam* distinguere: Deus *actum* promovet, *malitiam* permittit & ordinat. Quæ quidem doctrina non tantùm est *Augustini* lib. 2. de lib. arbit. & cap. 20. *Anselm.* lib. de concordiâ *præscientiæ, prædestinationis,* & *liberi arbitrij* cap. 1. *Hugonis de sancto Victore de sacrament. fidei,* lib. 1. part. 5. cap. 25. Et *Scholasticorum, Bonaventuræ, Aquinatis, Ariminensis, Cassalij, Andreæ Novocastrensis, Driedonis, Soti, omniumq; Dominicanorum:* sed *Schaffmanni,* & ipsius *Arminij.* Thes. 10. *de efficacia Dei in malo, sect.* 9. Quod autem ibidem subjungit, concursum Dei non esse *influxum* immediatum in *causam secundam*, sed in *effectum*; à *Jesuitis* accepit, & superiùs à nobis est refutatum. Præscit itaq; Deus peccata, non *in se* quà talia, sed in *decreto boni oppositi*, ut alibi fatetur *Arminius*, quatenus scilicet peccatum est decreti *consequens*, non *effectus*; voluntas enim permissiva efficax est, non quoad *productionem*, sed quoad *illationem*. Non autem *decrevit* Deus ut *quis peccaret*, sed decrevit aliquem propriâ malitiâ ruentem, *non per gratiam retrahere* ne peccaret: vndè certò præsciat illum peccaturum, cùm absq; gratiâ ipsius ne *benè* quidem *velle* possimus. *Postremò* ita argumentatur *Arminius*; Quæ Deus cognoscit ex decreto futura, respectu ipsius decreti sunt omnino *necessaria*; ergò non possunt esse *contingentia*: quia *contingens* & *necessarium* integris differunt *essentijs*, ut *contradictoria* inter quæ non datur *medium*: ideòq; ratione diversorum respectuum non possunt eidem adaptari. *Resp.* Mirum est perspicaci *Arminio* non venisse in mentem, id quod apud omnes

Phil. 2.

Ob. 4ª.

In d. sent. art. 5

Sol.

Metaphysicos adeò tritum est; aliter se habere *necessitatem* & *contingentiam* in simplicibus terminis, aliter in complexis. Licet igitur primo modo dividant *ens*, ut ille vult (hoc enim sensu Deus tantùm est ens *necessarium*, & creatura *contingens*) nec possint *eidem* competere, secundo tamen, quatenùs oriuntur ex *diversâ* causarum secundarum ad effectus *habitudine*, eatenùs siccoincidunt, ut quod respectu primæ causæ sit *necessarium*, respectu secundæ potest esse *contingens*, idq; ita disponente primâ causâ, quæ non efficit tantùm ut *res sint*, sed ut *suo modo sint*: hoc est *necessaria necessariò*, *contingentia contingenter*. Nec tamen ista necessitas respectu primæ causæ libertatem tollit arbitrij, quia necessitas ista non est *coactionis*, sed *consequentiæ* seu *infallibilitatis*: quam observare etiam licet in *Angelis* & *Dæmonibus*, qui benè vel malè agunt *liberè*, & tamen *necessariò*, & in Servatore (ut optimè urget contra Iesuitas *Matthias de Rispolis*) qui ex *decreto Patris* peregit opus nostræ redemptionis, & tamen *liberè*, aliter nihil *meruisset*, quod facilè esset confirmare, non tantùm ex *Patribus* & *Scholasticis*, sed etiam ex domesticis nostris, *Grostheado Lincolnienſi* Episcopo, & *Bradwardino Cantuarienſi*, nisi hoc impendiò esset abuti patientiâ vestrâ, in re præsertim adeò spinosâ, quæ nullâ ratione potuit esse grata. Multa hic sunt omissa, plura contracta, vndè singula evasêre involutiora. Ex dictis jam (ut spero) liquet, quàm fractis manibus & cervice, (ut *Dagon* coram arcâ) concidit, cùm ad gratiæ latus statuitur, ut pari passu cum illa ambulet, *humanum arbitrium*. Si qui sint in hâc re aliter affecti, Deus quoq; hoc illis reteget, (voveo saltē cum Apostolo), *incedentibus*

Philip. 3.

tibus præsertim pacatè *iuxta eandem regulam.* Me quod attinet, *horreo quicquid de meo est ut sim meus,* ut meipsam aperiam cum *Bernardo* : & si habuero quicquid justum, concluſio tamen erit cum *Iob, Non re-* Cap. 9. *spondebo, sed Iudicem meum deprecabor. Gratia igitur Domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei Patris, & communicatio Spiritus S. sit in omnibus nobiscum, & operetur omnia in omnibus;*

Cui *Patri, Filio,* & *Spiritui S.*
sit omnis honor, laus,
& gloria in secu-
la seculorum.
Amen.

LECTIO III.

IN VESPERIIS COMITIORVM habita Oxon. Iulij 11. Ann. Dom. 1618.

De Gratia Vniversali.

ROM. 9. 11, 12.

11 *Cùm enim nondùm nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali; ut secundùm electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante.*
12 *Dictum est ei, Quia maior serviet minori.*

DEcretum fuisse *absolutum*, ab omni *causa* vel *conditione* in objecto, accepimus antea ex hoc textu: *Quia nondum natis pueris, & cùm nihil egissent boni aut mali*; non ex *operante* vel *credente*; *prorsus enim hoc abstulit homini* (glossa est *Augustini*) *ut totum daret Deo*, sed ex *vocante*, *quo fit* vt *credant* (sicut habet idem *Pater*) dictum est; *Maior serviet Minori.*

Vndè 2° sustulimus è medio Iesuiticum illud de *Scientia media* Tragelaphum, quo Deum ancipites voluntatis flexus (quos non ipse ex *decreto* determinat, sed *voluntas libera* parturit) comminiscuntur præcognoscere. Non opus est ut ista prolixiùs repetam. Sequitur jam tertium *Theorema* sive corollarium de *gratia*; Nam si salus non sit *omnium*, sed *vocatorum*; vocati non sint *omnes*, sed *filij* promissionis; *promissio* non sit *omnium*, sed per *fidem* illam *apprehendentium*; fides non sint *omniũ*, nec nobiscum *nata*; sed à Deo cœlitùs *infusa*: cùm per lapsum, non *comminutum* tantùm, sed ita *enectum* & conclamatum circumgestemus liberum ad *bonum spirituale* arbitrium, vt illud ne *velle* quidem aut *cogitare* valeamus: Quis persentiscens morbum, non statim se convertit ad *medicinam*, & *medicum*, ut *verâ confessione* (sicut suadet *Augustinus*) non *falsâ defensione*, illud à Deo restituatur, quod suâ culpâ penitùs amisisset. Quod si indignum sit, hominem ignorare istius arbitrij libertatem, quâ dignior sit homo cæteris animantibus (ut præfatur *Robertus Grosthead*, Episcopus (teste *Rogero Bacono*) sui seculi facilè doctissimus, in *manuscripto* quodam tractatu *de libero arbitrio*) Quàm ingratum esset nos, qui per gratiam tantùm cum *Iacobo* sumus *Esauo* fœliciores, ejusdem *gratiæ* diuitias studiosissimè non agnoscere? ut ita (quod est etiam à *gratia*) *grati* saltem habeamur; & vbi abundaverit delictum, *gratiam accipiamus pro gratia*. De *gratia* autem *tria* hîc occurrunt consideranda; 1° ipsius *extensio*. 2° *efficacitas*. 3° *duratio*. Hoc est, quâ mensurâ *offertur*, *confertur*, *aufertur*. Circa *extensionem* quæritur, *An omnibus sine discrimine ad salutem sufficiens com-*

Phil. 2. 1 Cor. 1.

De nat. & grat. cap. 53.

communicetur? Efficacitas ejusdem est attendenda, vel *in peccatoris conversione*, vbi quæstio implicatissima est, *An ex duobus in æquali gratiâ constitutis, alter salutem, altero damnato, consequatur?* Vel in converso *iustificatione*, vbi, An *vt credere* hoc præstet, absque *meriti Christi imputatione*, commodè discutitur. *Duratio* demùm suppeditabit ansam in *sanctorum apostasiam*, & gratiæ *interciſionem* (vt loquuntur *novatores* quidam) diligentiùs inquirendi. Hodierno pensò *extensio* gratiæ satis erit; quæstio vsitatis terminis proponatur, *An gratia sufficiens ad salutem concedatur omnibus?*

2 Hæc autem quot spinis obsita sit controversia, æstimet quispiam, ex *recrudescentibus*, quovis penè seculo, hâc de re *litigiis*. Mihi sufficiat *nucleum* petenti, & *apices* præcipuas ad horæ angustias compingenti, digitum ad fontes intendere. *Tres* sunt Authorum *classes*, juxta triplicem *Evangelij* periodum, qui de *gratiæ extensione*, ingratissimam moverunt litem; *Patres*, *Scholastici*, & *recentiores*: sive *Iesuitæ*, sive *Reformati*. Ac Patres *Augustino* antiquiores securiùs hîc loquuntur, præsertim *Græci*, è Philosophorum diatribis calentes: tum quia *necessitatem non habuêre in hâc difficili ad solvendum quæstione versari*, (referente *Augustino*) tum etiam ne *Philosophis*, quos deseruissent, *Manichæis* quos oppugnabant; *profanis*, quos allicerent, *calumniandi ansam* præberent; ac si homines in *stipites conversos*, ab omni ad virtutem *conamine*, penitùs deterrerent. Sed *inhalante* tandem *Pelagio* ingratum *virus*, & incautiores passim *inficiente*, accuratiùs ad incudem, tota de *gratia* doctrina est revocata. Semel ut dicam de *Pelagiana*

De Præd. sanct. cap. 14.

lagiana hæresi: Initium sumpsit circa annum Domini 415. juxta *Prosperum* in *Chronico*; vel 414 supputante *Mariano Scoto*; Anno 5. sub *Honorio* & *Theodosio*, pervasit veluti pestis, *Palæstinam*, *Africam*, *Græciam*, *Italiam*, *Siciliam*; altè radices egit in *Gallijs*, & nostra *Britannia*: vnde dicunt *Hæresiarcham* istum *originem* traxisse. Propagatores invênit primarios, *Cœlestium* cum diacono suo *Aniano*, *Iulianum*, impotenter cœlum terrâ miscentem, ob *amissum Episcopatum*; *Severianum*, cum filio *Agricola*, in nostris hisce oris: & plurimos alios quorum impetus adeò tamen fregêrunt *decretis*, *Concilium Diospolitanum* in *Palæstina*. *Arausicanum* 2um in *Gallia*, *quinq*. alia in *Africa*, (*recensente Augustino*) *Rescriptis*, *Innocentius*, *Zozimus*, *Bonifacius*, *Cœlestinus*, *Sixtus*, *Leo* Magnus, Pontifices Romani: *Scriptis*, *Hieronymus* ad *Ctesiphontem*, & passim alibi *Tom.* 2. *Augustinus*, posteriori, & majori parte *Tom.* 7^mi^: *Suffragijs*, quingenti apud *Prosperum* & alios, *Egregij Doctores*, & *Episcopi*, quorum opera ad nos non pervenêrunt; *Edictis*, *Honorius*, *Theodosius*, & *Constantius*, Imperatores, quæ ex codice Monasterij Sancti *Vedasti Atrebatensis*, operâ *Henrici Gavij*, protraxit nuper in lucem *Cæsar Baronius*. *Concionibus*, demùm & *disputationibus Germanus*, *Lupus*, *B. David* Wallorum Sanctus, *Regis Arthuri* (ut fertur) avunculus, & *Episcopus Menevensis*, hîc in nostrâ *Britannia*; ut constricti tandem gratiæ fulgore, *primas* illi, sed non *totum*, in peccatoris conversione, concederent postea ipsorum successores *Semipelagiani*. Isti verò *assertores* præcipuos habuêre *Cassianum collatorem*, *Faustum Reginensem* Episcopum, vnà cum *Massilienſibus* in *Gallia*,

lia. Antagonistas verò *Prosperum*, *Hilarium Arelatensem*, *Petrum Diaconum*, *Fulgentium*, aliósq; Doctores celeberrimos; sic vt *victrix* tandem descenderit veritas, ab *istis Patrum* castris, ad secundam *Scholasticorum* periodum. Hos autem, sive *rixandi* cacoëthes, sive *meriti lucrum*, ita transversos abripuit (conniventibus deinde *Pontificibus* in propriâ *negotiatione*) ut *Pelagianorum* & *Semipelagianorum nomina*, satis esset exagitare; *doctrinâ*, interim ipsâ invalescente ut catholicâ. Notum est quàm *Scotistæ* & *Occamistæ* fuerunt ex hâc parte, *profusi*, dicam an *profani*. Sed quid? ut *tertiam* etiam *periodum* obitèr attingam; an *Magistri* nostri *recentiores* aliquid hîc *correxerint*, aut velo saltem *obduxerint*? Nihil profectò minùs. *Ethnicorum* siquidem *salutem* absq; *Christo*, ex solis naturæ viribus, prædicatam fuisse in *Concilio Tridentino* memorat *Sleidanus*: quod defendêre posteà *Andradius*, *Soto*, *Vega*, & *Victoria*, teste *Gregorio de Valent.* Tom. 3. *Colonienses* edunt librum de *salute Aristotelis*, asseruntq; illum fuisse *præcursorem Christi* in *naturalibus*, ut fuit *Ioannes Baptista* in *supernaturalibus*, referente *Agrippa*, & *Baleo*. Et *Scholastici* quidam *Doctores*, viri graves (inquit *Acosta*) salutem spondent absq; *Christi cognitione*. Inter hos viros graves, *Aquinatem*, *Lyram*, *Abulensem*, *Brunonem*, *Dionysium Carthusianum*, *Arboreum Landunensem*, *Durandum*, *Capreolum*, *Paludanum*, *Ludovicum Vivem*, *enumerat Cassalius de Quad. Inst.* part. 1. l. 1. c. 12. sed quàm justè, ipse viderit. Certè quid ipse senserit non dissimulat, dum subdit; *Nullum ex hac parte discrimen timendum videtur, si quis sibi concessa optione sententiam hanc vel illam amplectatur.* Ad annum 52.

plectatur. Susceperunt enim *illum* nonnulli *sententiam*, orthodoxi juxta & *doctissimi viri*, *Westonus* de triplici hominis officio, lib. 3. c. 22. Et quanquam hodie obstant quantùm possunt, *Dominicani*, ne latens hæc serpat *gangræna*; non obtinent tamen adhuc aliquid contra *Iesuitas*: quia probè nôrunt *veteratores* isti, quantum gratiæ *accedit*, tantum *merito* detrahi; quo frigescente, *Monachorum olla* citò conglaciarent. Æstimet quispiam ex dictis (vtcunque rem, quantum possint, dissimulent) quid monstri intendunt. Cur enim *Augustinum* contra *Pelagianos* modum excessisse cõqueretur *Stapletonus*, & *minus* quàm *par est* tribuere libero arbitrio, assereret *Sixtus Senensis*, nisi aliquid in *Pelagianismo* ipsis arrisisset, quod ab *entheo* isto *athleta* protritum doluissent. Et annon alij ex eâdem fæce eandem produnt tentiginem? *Faustum* Rhegiensem vt *Semipelagianum* damnavit tota antiquitas, quem tamen hodie audire *Sanctum Faustum*, *Divum Faustum*, ipsius opus pro *egregio haberi*, in Bibliothecâ *Sanctorum Patrum* sedem possidere, ipsius memoriam *festo* & *basilica* honorari, permittit *Romana Ecclesia*. *Cassianum Collatorem* nominatim refellit *Prosper*; damnavit expressè *Gelasius*: Non deest tamen aliquis post *Ioannem Dominici*, apud *Antoninum*, qui in Romanâ quadam recenti *Cassiani editione*, *Semipelagianismi* ipsius frustula, *Catholico* adoptat sensui. Cúmq; *Ioannes Maxentius* paulò acriùs pupugisset *Hormisdam Papam*, quòd ferendam potiùs quàm exagitandam censuerit *Pelagianam* in Possessore Episcopo *Africano* contagionem; perstringitur statim vt *mendax* & *hæreticus Scriptor* à *Baronio*, *Binio*, & *Possevino*: tam parvam

De Iustif. lib. 2. c. vlt.

Biblioth. lib. 5.

Vid. Abb. de grat. Chr. p. 21.

vam *gratiæ Patroni* apud *Romanenses* hodie ineunt *gratiam*. Quid quòd pro nomine ipsius *gratiæ*, *Auxilium* & *motiones* jam substituerunt, vt ex *vi* vocabuli, *naturæ* efficacia subdolè astruatur, & totum gratiæ non relinquatur. Quæ eò altiùs repetij (P. & F.) vt intelligant *Pseudolutherani*, & *Remõstrantes*, qui *eâdem* arant *vitulâ* ad *gratiam* naturæ, non *naturam* gratiæ amplificandam, quòd *directè* potiùs *antiquos* oppugnant, quàm *recentiores* corrigunt. Paululum *fermenti* totam *massam* corrumpit, & à *dubijs* ad *prava*, à *pravis* ad *præcipitia* facilis est descensus. Si *Wittenbergenses* admittant *universalem gratiam*, *Huberiani* inttoducent *universalem electionem*; *Pucciani* fidem naturalem; *Naturalistæ* explodent (cum monstro isto *Cestertiensi* nuper *Londini* incarcerato) *Christum* & *Scripturas*. Quorsum autem vlteriùs evadet, aut quibus limitibus tandem consistet, dolendum illud *hodiernum* hac de re in Belgio *incendium*, metuunt omnes *pij* & *pacifici*, & quantum possunt, eunt extinctum. An autem *quispiam par fit* (verba sunt *Augustini* in eodem argumento) qui occurrat in hisce controversijs tam *inflammatis animorum motibus*, ignoro, *imò fieri non posse*, *non dubito*. Addit, sed *tamen agendum est aliquid quò de rebus à maioribus traditis*, *Fidei defensores*, *contra novitates eorum qui aliter sentiunt*, *nõ inermes vsquequaq; consistant*. Vt *gratia sufficiens* concedatur omnibus (sicut de *immunitate* à peccato in hâc vitâ pronunciat *idem Pater*) *optandum est vt fiat*, *conandum est vt fiat*, non *tamen quasi factum fuerit confidendum est & gloriandum*; factum autem non esse demonstrare jam aggredior.

De Peccat. Meritis & Remiss. l. 3. c. 1.

Benedictio 3 De Vniversali Gratiâ *verba facienti, occurritis vos opportunè* (Filij dilectissimi) *nam vtcúnq; ex* vocatis *multis*, pauci eligantur; *vos tamen inter istos* paucos, *cùm nil obstet cur non enumerem, gestit animus, & quod* petitis *impertire, & plura quàm* petitis *vovere*. *Cùm* Abraham *redijsset, re fœliciter gestâ, è cæde* Regum, Gen. 14. Melchizedec *in occursum procedit, vt* benedictione *gratularetur*. Benedictum *antea à* Domino, *benedicit* Sacerdos *Dei Altissimi*; maior *quærit ansam, quâ affectum in* minorem *effunderet, & Dei* gratiam *deprædicaret*. *In hoc autem tam solenni negotio, si natet tantùm in* labris, *& in fibris concepta non fuerit* benedicendi formula; *si* indignis *accommodetur, &* ingratis, *qui expetunt pro* more loci, *quod acceperunt alij, quo libentiùs forsan carerent, si aliud pateret ad* dignitates *compendium; quid mirum si* irrita *cadant* vota, *in tàm* expuendâ tepiditate, *cùm vix pensi habeant hi, quid* faciant, *isti quid patiantur*. Cardinalis (vt ferunt) *quidam* μ̓ πλῆς φαντασίας Lutetiam *aliquando ingrediens, cùm instaret importuniùs* turba, *vt* benedictionem *impertiret*; Quandoquidem (*inquit*) hic populus vult decipi, decipiatur in

nomine

nomine Diaboli. *Os sceleratum & prophanum! Sed quomodò sanior a sunt expectanda, ab istâ colluvie, qui vertunt* gratiam *Dei in* mendacium? *Quanti enim venduntur ab eiusmodi* institoribus, *benedictæ* merces? *quæ auro* Tholossano, *aut* equo Sejano, *mentibus nihilo sunt ausficatiores? Benedicta* cera *ad sacrificandum* idolis; *benedictus* gladius *ad* Regicidium; *benedictus* agnus Dei, *ad* magicas incantationes; *benedictæ* hostiæ *ad* proditionis perfidiam. *benedicta* aqua *ad expiandum* peccata venalia; *benedictæ* campanæ *ad fugandas* dæmones; *Cardui huiusmodi* benedicti *non crescunt in* nostro horto: *benedictus* hortulanus cœlestis, *qui illos averruncavit, &* clibano *iamdudum destinavit. Syncerius ergò mihi vobiscum agendum est* (dilecti Filij) *atq; vtinam* par *esset affectui* oratio, *vel* affectus *causæ; cùm* causa *huiusmodi sit, ab quam libenter me* exinanirem, *vt vos* diteſceretis. *Atq; hîc* (Clarissimi Theologi) *quomodò vobis præ cæteris gratificarer? Quotannis venêrunt* (vt nôstis) fratres, *ego* dapsilis *semper effundo, & sic hauri? ex face, vt vix suppetat jam in tantâ penuriâ, quod dignè conferam. Si voverem vobis*

opima sacerdotia, amplos reditus, Ecclesiasticas dignitates; vereor ne potiùs in tam corrupto sæculo, laqueos struerem, quàm certam benedictionem pararem. Superbiunt siquidem plerumque ij, qui hisce abundantiùs fruuntur, aut otiantur, ut monachi doliares, aut operâ iniquissimè locatâ nummos congerunt; vt ita sacerrimo (proh scelus) compendio, ad altiora intumescant. Indè est quòd tot habemus pastores gregum, gregales aulicorum, qui ita transcurrunt, æstuant, hos donis emolliunt, alios blanditijs, & mimicis nescio quibus obsequijs, ac si objectum curæ pastoralis, aula esset, non caula; & arefactis domi piscinis, conducendi essent foris patentiores lacus, in quos retia proijcerent. Hodiè Dominus Doctor non concionatur: Cur? peregrè profectus est: Præbendarius, Decanus, Episcopus ad cœlum transijt: At rediens sollicitè satisfaciat. Fieri potest. Sed plerumq; ut lis ferit lit m; sic ex hoc negotio, aliud nascitur avocamentum. Interim decimæ non negliguntur, reditus habentur in numerato. Atqui (mercenarie) vides tu lupum, & non te pudet fugere? Dominus tuus quærit vnam ovem aberrantem in deserto; te quærent domi plures greges, & non invenient? Docerémne ego gratiam divi-

nam

nam adeò esse catapanticam (*vt loquitur quidam*) *&* vniversalem, *vt ad* Iudam, *aut* Magum, *aut* Elymam, *aut* Demam, *aut* Diotrephen, *aut tales eorum* successores *extendatur? Si vos tales esse, vel futuros, præsagiret animus, intorquerem profectò* benedictionis *vice* Petri *illud tonitru*; Pecunia tua tecum pereat: *aut* Act. 11.
Pauli *fulmẽ*, O plene omni dolo, & ad quodvis scelus propensione, fili Diaboli, hostis Act. 13.
omnis justitiæ, non cessabis pervertere vias Domini rectas? *Audésne tu* purpuratus *hæc sacra attingere, ut ex* Academiæ *matris opprobrio, & animarum* nundinatione, *tibi benè sit, & illis malè, qui* pascerent *nisi tu locum occupares, &* pascerentur *nisi pabulo per te fraudarentur?* Frendant *isti hîc, & frontem* contrahant, *qui sentiunt se esse* læsos. *Vestra vos reddit intrepidos* innocentia, *nec erubescit candor: quò lubentiùs et fidentiùs quod meum munus est perago. Adite ergò* hæreditatem, *laboribus vestris et studijs debitam, et* benedictiones *omnes cœlestes præveniant vos, comitentur, et sequantur. Cùm* Dominus *emittat pestes in vniversam terram, vos vt* titiones *è flammâ eripiat; flagrante* Sodomâ *liberet vos cum* Lot, *inter* Leones *muniat cum* Daniele;

niele; *arescat manus, vt* Ieroboami, *quæ injustè in vos extenditur. Quandò* arripitis thuribulum, *vt stetis cum* Aarone *inter* vivos & mortuos, Dominus *iram suam à* gregibus vestris *avertat, Prosternatur* Amalec *in valle, dum vestræ manus in* monte *(vnà cum* Mose*) in cœlum attolluntur. Cùmq;* vigilantes *in agris juxta* greges vestros *cum pastoribus* Bethlehemiticis, Dominus *vos inveniet, mittat Angelorum* chorum, *qui* gloriam inexcelsis *cordibus vestris occinant. O quàm sordeant hujus sæculi* σκύβαλα *et* κοσμήματα, *animo ad cœlum erecto! cogitat ille de* firmamento *et* stellis *apud* Danielem, *quibus qui* erudiunt multos *erunt similes. In mentem tali venit* comitatus agni, *qui albis induti* stolis, *vexillum è* monte Sion *cum illo sunt erecturi. Dumq; absorbentur hîc in terris* cœlesti Halleluiah, *& versatur ante oculos* ovium *et* hœdorum *suprema illa* separatio; *vendunt omnia quæ* possident, *divitias, delicias, titulos, tranquillitatem, sanitatem corporis, animæ non negatas voluptates, vt* dextra *ovium* benedictione *tandem potiantur.* Medicos *deinceps et* Iurisconsultos *gestit animus hîc videre: absit enim ut* sororum *fœcunditas,* Theologiæ *esset cordolio.*

Dan. 12. Apocal. 7. 17. & 14.

Apocal. 19. Mat. 25.

Deus

Deus est qui aperit ventrem, *& constituit* steri- Psal.113.
lem matrem-*familias filiorum. Parturienti* E- Luc.2.
lizabethæ *quare non gratularentur* accolæ, *&* cognati ? *Invides tu* Ioshuah, *fœlicitatem* Num.11.
Mosis *alijs esse communicatam ? Opto ego ut in-*
diès latiùs propagaretur professio. *Non quòd*
vellem lites *aut* morbos *invalescere; sed ut ista*
quæ jam nimiùm exuberant, ampliori Doctorum
subsidio maturiùs tollerentur. Quare, non vrgeo
vobis (Medici) donum sanationis *primitùs fu-* Mar.16.
isse nostrum; *Presbyteros* vnxisse, *&* ægrotos e-
rexisse; *Iacobi* 5°: *vestrũ autẽ* Galenum *Biblia* Iac.5.
irrisisse, Paracelsum *tantùm non* Magum *&* A-
theum *fuisse. Nec repeto* Vlpianum *vestrum*
(Iurisconsulti) *in primitivâ Ecclesiâ, impijs suis*
susurris Severum *in Martyres inflammâsse*: Bal-
dum, *Antichristiani* suprematus *magnum esse*
patronum. *Nec conqueror denique de* præben-
dâ *aut* xenodochio, *vestrorum importunitate,*
nuper à nobis erepto: Minutiora siquidem sunt i-
sta, *&* vestris *in* Theologiam *obsequijs, meritò*
condonanda. Medico *siquidem debemus Lucæ* E- Col.4.
vangelium, *&* Apostolorum *Acta. Et quis ig-*
norat Calvinum, Iunium, *&* *alios* Iurisconsul-
tos celeberrimos *nobis suppetias tulisse ? aliũq;*

(*inter* benedicendum *à posteris nunquàm omittendũ*, (*quia nomine &*) *re* Benedictus Scholi, (*quas videtis*) *magnificis optimè prospexisse*. *Quicquid autem* Academiæ *confertur*, *nulli* facultati *eripitur*, *cùm omnibus concedatur*. *Quàm benedicta igitur fuit illa* Regia benignitas, *quæ triumphante de partis* Theologiâ, *noluit* professiones cæteras, *de parandis ulteriùs contristari*: *ne* benedictionis *mutuæ promptitudo*, *inæquali sortis conditione*, *in posterum languesceret*. *Opto igitur vobis* (Medici) *sanitatem* animæ; *vobis* Iurisconsultis, *pacem* conscientiæ: *Multi per* vos *convalescant*; *Iustitia*, *vbicunq*; vestra *locabitur* opera, *non* vænales progressus *inveniat*, *ita* Legislator *noster &* Medicus *animorum*, *vobis sit propitius*, *ut ipsius* Ecclesiæ, *&* Ministris *syncerè velitis*. *Neq*; *ita gratiam coarctamus*, *quin ad vos etiam extendatur* (egregij Magistri *&*) Philosophi) *Artes quas profitemini ad* fœlicitatis culmen *vos non perducant*, *nisi ad vlteriorem* scopum *referantur*. *Quid enim proderit* (*ut cum* Augustino *instem*) *tenere* Æneæ errores, & propriorũ oblivisci? *plorare* Didonem *mortuam*, *&*) mortem *propriam non deflere*? *vngues parare si quis sine* aspiratione (*vt habet idem*

D.Io.Benet.

Lib.1.confess. cap 13.

Pater,

Pater) Omines *pronunciet, at* hominem *contra Dei præcepta* odisse, *non tanti facere? Disputare possitis (ut soletis), de* orbibus cœlestibus, *dum indocti interea nostræ* Theologiæ *ductu* surgant, *& cœlum supremum à vobis rapiant: Dirimitis quotidiè litigia inter* Thomam *&* Scotum; *dum inter* spiritum *&* carnem, *intestinum bellum exæstuat. Properandum itáque à vobis est ad illam* Arithmeticam, *quæ instituit nos* dies Psal. 90.
nostros numerare; *ad* Geometriam, *quâ* longitudinem, latitudinem, *&* profunditatem Ephes. 3.
reconciliationis nostræ in Christo *assequi valeamus. Ad* Geographiam, *ubi proprio trunco terram, vndè orti sumus, emetiamur. Gratia* Domini nostri Iesu Christi ita dirigat cursum vestrum ad portum, ut in transitu non sentiatis naufragium; *ut* maturi, *mutetis istos habitus, in* Doctoralem purpuram, *&) accommodetis ea quæ jam tenetis, ad sublimius Magisterium. Denique qui sedebat* disputator *inter* Doctores *Theologos,* Medicinam *exercuit, &)* Sophistis *Iurisperitis, sæpiùs ora obstruxit, vnicus* Legislator, Medicus, Magister *noster in cœlis, ita sanctificet vobis sua* dona, *&)* doctrinæ insignia, *quæ fœlicitèr jam* induistis, *ut gratulentur* Ec- Luc. 2. Mat. 8.

clesia & Respub. *in* Academiæ *proventu*, messis *habeat* operarios, ægrotantes *manus* salutiferas, *tribunalia* Aduocatos *fidos*, Scholæ Artium peritos; *ut simul omnes concinamus*, Beatus populus qui tali est conditione; Benedicti quibus Iehovah est Deus.

Psal. 144.

4 Atq; ita cùm *vniuersalis* se effuderit *gratia* in hosce supplices; videamus, an *eadem* ad salutem *sufficiens concedatur omnibus*. Quod vt distinctiùs fiat, *methodo* vsitatâ, & satis (vt opinor) jam vobis *notâ*; 1° *Termini* sunt explicandi. 2° *Consensus* & *dissensus* inter partes litigantes est notandus. 3° Confirmanda est *veritas*. 4° Aduersantium diluenda sunt *argumenta*. Vbi plurima sunt *transilienda*, nec pauciora *contrahenda*, ne nauseam pariat prolixitas. Termini igitur qui hic occurrunt sunt *tres*; subiectum, *Gratia*; adiunctum, *sufficientia*; obiectum, *omnibus*. Quod ad primum spectat, vt altiùs ab ovo res deducatur, obseruandum est *operationem* quamcunq; *Dei* ad *extrà* in creaturam, promanare vel ab ipsius *providentiâ*, vel *prædestinatione*. Providentiæ effectus elucet *generatim*, in omnium creaturarum *conservatione*, et *gubernatione*, et propriè dicitur *auxilium*. *Tu Domine seruabis hominem & iumentum*. *Psal.* 36. Et *Dat escam filijs corvorum*. *Psal.* 147. *Prædestinatio* restringitur ad creaturas *rationales*, eiusq; gratia *salutifera* in *Christo* tantùm *vocatis* communicatur: Ex

Ioh. 1. 16.

plenitudine ejus accepimus *gratiam* pro *gratiâ*; pro *gratia* Legis, *gratiam* Euangelij, iuxtà *Chrysostomum*, *Cyril-*

Cyrillum, *Theophylactum*, *Euthymium*, & ex antiquis alios. Istud autem *Auxilium* Iesuitæ confundunt *sophisticè* cum gratiâ *salutari*; ac si vtrũq; nil aliud esset, præter *generalem* quendam & *indifferentem influxum*, ab hominis *arbitrio* bono, vel malo, *terminabilem*. Vnde iactat *Bellarminus*, applaudentibus ipsius Symmistis, se *motionem* pro *gratia* substituendo, cautiùs hanc *doctrinam* cæteris expli âsse. Sed hoc non tantùm rectà ducit ad *Pelagianismum*, vt ostendit *Pareus lib.* 2. de *amiss. grat. & statu peccati*, cap. 5. (præsertim cùm *Iesuitæ* iam tandem *gratiam*, non è *cælo* ducant; sed ex *potentia obedientiali* ipsius *anima* per *suasionem moralem* eliciunt; (quo nomine *Suarez*, & *Vasquez* à *Philippo Fabro* perstringuntur) verùm *semina quædam* spargũtur, *horrenda* illius *blaspemiæ*, quâ monstrum illud *Cestertiense*, (cuius anteà memini) naturam adversus *Scripturam*, rationem contra *fidem* armauit. Quò diligentiùs *auxilium* à *gratia* in hâc lite est disterminandum: Nam licet omnis *gratia* sit *auxilium*, non tamen omne *auxilium* est *gratia* sufficiens. *Auxilium* siquidem est *duplex*, vel *generale* respiciens omnes creaturas; vel *speciale*, quo homines donantur. Estq; rursus vel *naturale*, quo Deus quosdam ornat præ cæteris, vt *Aristotelem* acumine, *Ciceronem* eloquentiâ: vel *supernaturale*, quod salutem solet *duobus modis* promovere; *Externè*, aures salutaribus præceptis pulsando; *Internè* voluntatem non tantùm *afficiendo*, sed *mutando*, et salutare ἀποτέλεσμα *efficiendo*, quod *gratiæ* nomen sortitur. Gratia autem est 2ex, *æterna*, vel *temporalis*. Æterna est *amor* Dei, quo ante iacta mundi fundamen-

Ph. Faber lib. 2. sent. d. 1. q. 3. disp. 6.

ta nos *gratis* dilexit, et in *Christo* elegit; Ephes. 1. 3. *Temporalis* gratia est illa, quâ tempore suo, suos *præparat* sic ad *media*, vt tandem ad *finem* perducat. Est q; vel *gratis dans*, vel *gratis data* (gratiam enim de *congruo* aut *condigno* ab hac lite submouemus, quia nec de hâc conuenit inter *Aduersarios*, et aptiùs veniant sub nomine *meriti*: nam *gratis* non est *gratia*, si non sit omnimodò *gratuita*, vt rectè *Augustinus*; vnde חסד *misericordia*, ab *Hebræis* appellatur, hoc est, quæ *miseriam* semper intuetur, et *meritum* destruit) Gratia *gratis dans* est *favor* ille Dei *gratuitus*, quo confert illud in tempore, quod gratia *æterna* ante secula decreverat. Hanc *Apostoli* precantur *Ecclesijs*, & nos, illorum exemplo in *Liturgijs*; et hæc sola est gratia *gratum faciens*, et non *qualitas* aliqua (quicquid garriunt *Sophistæ*) *inhærens*, quod *Bellarminus* alicubi cum *Aquinate* coactus est *agnoscere*. Gratia *gratis data* comprehendit omnia sive ad *salutem* media, sive per *salutem* beneficia. Esto; vel *externa*, vocationis per *verbum*; vel *interna*, iustificationis per Christi *meritum*. *Interna* rursus est 2^ex, *movens*, vel *habitualis*: Mouens est vel *præveniens* quâ velimus; vel *subsequēs* ne *frustrà* velimus. Vbi tamen non concipiendæ sunt diuersæ gratiarum *species*; sed eiusdem gratiæ *modi* operandi variis: sic vt à primâ sit *conversio*; à secundâ *perseverantia*; ab vtrisq;, gratia *habitualis inhærens*. Quæ etiamest bipartita; *ordinaria*, Fides, Spes, Charitas: vel *extraordinaria*, *dona* illa, de quibus ad *Rom.* 12. & 1. *Cor.* 12. Atq; hæc expressè habentur in *Evangelio gratia*; vbi aliter sonat χαρις, aliud χαρισμα; aliud *gratia*, aliud *donum* gratiæ: Differunt

runt siquidem sicut *causa* & *effectus*. χαρίσματα sunt in *nobis* vt *lumen* in *aere*; χάρις est *erga nos* gratuitus Dei *favor*, vt *lux* in *Sole*; sic vt in Deo sit *subiectivè*, in homine *obiectivè*; illi propriè *competens*; nobis per *metonymiam* effectus *tralatitiè*. De gratiâ autem *gratis data* et *interna* primariò, *externa* per consequentiam, quatenùs ab *aterno* Dei decreto profluit, & in *tempore* à gratiâ eiusdem *gratis dante* confertur, quæritur *An concedatur sufficiens*.

5 Sufficiens autem dici potest ista gratia *duplici respectu*, vel ad ἀναλογίαν, vel ad *conversionem*. Ad *conversionem* rursus *duplicitèr*, vel *respectivè* ratione mediorum, quæ licet *Ethnicis* non proponantur; Christianis tamen tàm *reprobis* quàm *electis*, externè saltem, *indiscriminatim* exhibentur: vel *absolutè*, quâ accedente *internâ* Spiritûs *operatione*, media *exteriùs* proposita, optatum *exitum* in electis tandem sortiuntur. Postremò, vniuersalis nota [*omnis*] non tantùm apud *Philosophos*, vt habet *Aristoteles*; sed et apud *Theologos* duplici occurrit sensu: 1° *Collectivè*, quatenùs non tantùm *genera singulorum* sed *singula generum* comprehendit. 2° *Distributivè*, prout ex omnibus *aliquos*, vel ratione *triplicis statûs* humani generis, *instituti*, *destituti*, *restituti*; vel vt inter lapsos, *Christianos*; et *Paganos*: inter *Christianos*, *infantes* et *adultos*; inter vtrosq; *electos* et *reiectos*, designat. Quæ singula delitescant sub *vniuersalitatis* signo, et non partitè proposita, *scrupulum* semper relinquerent. In *confesso* autem est inter omnes, *Primò*, Nullam futuram in Deo iniquitatem, si non solùm *aliquibus*, sed etiam omnibus, auxilium ad reparationem *sufficiens* 2. Pol. c. 2.

sufficiens negaret. Conuenit secundò. Conscientiam relictam esse hominibus in *statu corruptionis*, ante peccatum, *frænum*; post peccatum, *flagrum*; nec Deum tantùm *Ethnicis* gratiam *restringentem* largiri, quâ à multis *flagitijs* & *præcipitijs* cohibentur: sed vlteriùs *reprobis*, inter suos *latitantibus*, externam verbi *prædicationem*, & internam nonnunquam cordis *illuminationem* indulgere, quâ *commissa* plâgunt, & de *verbo amisso*, pro tempore saltèm, gratulantur. Conuenit 3°. Christi λύτρον et *meritum* in *se* fuisse sufficiens ad *totum* humanum genus redimendum et salvandum. Conuenit quartò, De *actu*, vel *eventu*, gratiam *salutarem* omnibus non *applicari*; nec ex *parte Dei* obicem hîc statui, sed *hominis*, qui in istas angustias *propriâ perversitate* seipsum præcipitauit. Nec displicent quintò (sed nobiscum potiùs faciunt) ista *Bellarmini* effata; *Auxilium gratiæ Diuinæ non æqualitèr omnibus adesse, nec quouis momento* sufficere ad *resurgendum à peccato*; lib. 2. de grat. et lib. arb. cap. 2. Illud igitur restat solummodò discutiendum, *An gratuitus Dei favor tam benignè singulos respiciat, vt omnibus, sive Ethnicis, sive Christianis, infantibus, aut adultis, reprobis, aut electis, in statu eorum post lapsum, pro loco, aut tempore, mediatè, aut immediatè, ordinario, vel extraordinario modo, ad salutem sit sufficiens?* Negamus *nos*, asserunt *aduersarij*. Argumenta nostra *præcipua* sic se habent.

Arg. 1 am. 6 Primum efformatur ex textu: *Gratia* Dei non extenditur *vltra decretum*; sed non *decreuit Deus* vt omnes salutem consequerentur, quia vt *Iacobum* dilexit, ita *Esavum* nondum natum *odio habuit*: Ergò gratia

gratia Diuina non æquè se exerit in *Esavum* & *Iacobum*, et per consequens non est *vniversalis* ad salutem omnium *sufficiens*. *Resp.* Vix habent Adversarij quod vel *probabiliter* opponant huic argumento. Vnicum *refugium* est, decretum Dei non *absolutum* esse, sed pro intuitu *boni* vel *mali* vsus *Liberi arbitrij*, hos ad *salutem*, illos ad *interitum* designare: quod quia resutatum habuimus in *lectione primâ* in *hunc textum*, ex hoc *loco*, actum agerem, si eadem importuniùs hic inculcarem. *Secundum* argumentum sumitur à *medijs*, quæ vel *eadem* diuersis, vel diuersis *diversimodè* Deus suppeditat. Forma sic erit: Si gratia *sufficiens* omnibus concederetur, tum *omnes* per verbum *vocarentur externè*, & *internè* æquales motus *Spiritûs* ex parte *Dei* sortirentur. Quia supponimus, nullum consequi *salutem* absq; *Christo*; Christus non innotescit nisi per *verbum*; verbum non penetrat nisi efficax Spiritûs Sancti motus *assensum* & *fiduciam* operetur. Sed inter Christianos quamplurimi sunt, qui *eadem* audiunt cum *electis*, et tamen non *credunt*. Inter omnes *generatim*, sunt *infantes*, *insani*, *Ethnici*, qui de Christo et verbo, vel *audita* non intelligunt, vel ne fando quidem *audivêrunt*; Ergò gratia salutaris *talibus* omninò non conceditur, et per consequens non *sufficiens*. Resp. *Iesuitæ* & *Lutherani* in hanc se recipiunt *latebram*; Christianis quidem omnibus proponi *gratiam sufficientem* ex parte *Dei*, sed obstaculum esse in peruersitate *voluntatum*, quâ hic gratiam oblatam reijcit, dum alter *amplectatur*. At contrà. Quòd *Iacobus* recipit gratiam et non *Esavus*, vel illud habet *à se*, vel ab *ampliori* Dei *benignitate*. A *Arg. 3.*

non potest; quia supponimus *Esavum* & *Iacobum* in eâdem *volutare* corruptionis *massâ*; ergò in *se* æquè à gratiâ auersi, ergò propriæ voluntatis *nisu*, plus præstare non potest *Iacobus* quàm *Esavus*, dicere autem discrimen esse à *Deo*, est hoc ipsum quod volumus. Succurrunt *Remonstrantes nouo* modo loquendi, sed *noto* subterfugio: Redemptio per mortem Christi est omnibus impetrata, licet non sit omnibus *applicata*, Oppono. *Impetratio* supponit *petitionem*, petit qui impetrat; at *Christus* non oravit pro *omnibus* sed pro datis à patre. At *sufficiens* (inquiunt) erat Christi Ioh.17. λύτρον, pro totius mundi *redemptione*. Resp. Alia est *lutri*, alia *gratiæ* ratio: primum se habet ad modum *causæ materialis*, & *meritoriæ*, altera vt *efficiens*. Sufficit *Sol* ad illustrandum *omnium* oculos; *cæci* tamen Mat.13. non *vident*, nisi *visus* restituatur; *Vobis datum est, a-* Arg.3um. *lijs non*. *Tertij* argumenti loco adduci possent confertissima *Patrum* testimonia; sed brevitati studendū. *Augustinus* qui præcipuè sudauit in hoc argumento, quemq; *Prosper*, *Fulgentius*, et *Scholastici* saniores sequuntur, imò ex ejus scriptis decreta *Consilij Arausicani* secundi contra *Pelagianos* et *Semipelagianos* (vt ipse agnoscit *Binnius*) contexuntur sit *vice* omnium. Hæc autem est (inquit ille) *immobilis veritas* De præd. sanct. cap.17. *prædestinationis*, et *gratiæ*, *non alios*, sed *quos prædestinavit*, *ipsos & vocavit*; nec *alios*, *sed quos ita vocavit*, *ipsos*, *& iustificavit*; nec *alios*, *sed quos prædestinavit*, *vocavit*, *iustificavit*, *ipsos & glorificavit*, *illo vtiq; fine qui non habet finem*. Vnde de *Tyrijs* & *Sidonijs* speciatim alibi pronunciat: Quoniam vt *crederent* De bono persev. cap.13. non erat illis *datum*, etiam vnde *crederent* est *negatum*

gatum. Conqueruntur *Papistæ* (vt supra ex *Sixto Senensi* et *Stapletono* annotaui) *Augustinum* cum *Pelagianis* non satis *circumspectè* egisse. Apertiores sunt *Remonstrantes*; *Arminius*, Ego *authoritati Augustini non sto*: *Corvinus* contra *Tilenum*, *Augusti-* Ju Perkins
nus tecum errauit; Frivola est ratio *Augustini*, sic *Grevinchovius* et alij. Resp. *Augustinum* et Patres non vrgemus, ac si *humanâ* authoritate articulum *fidei* sanciremus; sed vt omnibus innotesceret nos in hâc controversiâ, non aliter *docere*, aut *Scripturas interpretari*, quam *Patres* isti, qui ob profligatum *Pelagianismum* maximè claruerunt. *Quartò* suffra- *Arg. 5um.*
gatur ratio certissimis nixa fundamentis. Si *sufficiens* gratia sit omnibus concessa, ergò *efficiens*; ergò omnes saluarentur. Connexio patet. Exemplo sit *Esavus*, cui Deus exhibet (ex sententiâ *Remonstrantium*) gratiam *sufficientem*; vel ergò ipsum *convertit*, vel *non*: si *non*, ergò gratia illa non erat *sufficiens*, quia defuit *ἐνεργεία* vnde *Esavus* converteretur. At ipse posuit *obicem*: quid aliud expectandum ab *homine animali*? Atqui si *gratia* fuisset *sufficiens*, quare æquè hunc obicem non sustuliisset in *Esavo*, ac in *Iacobo*? Nam vt rectè contra *Arminium* *Tilenus*, Vniuersalem gratiam, quam defendit *Arminius*, aut *parem* experiuntur omnes, aut *imparem*: si *imparem*, non ea jam *vniversalis*, sed quædam communis erat, quædam *singularis*: si *parem*, cur *effecta* sunt tam *imparia*? Dices, ex impari hominum *affectu* & *arbitrio*, quia iste *recipit*, iste *respuit*. Ergò vel *impar* fuit *remedium*, quod non sanauit vtrumque; vel *impar morbus* naturę quod voluit *Pelagius*, negat *Apostolus*, Rom. 3. 12.

Nec obstat quod respondet *Corvinus*, gratiã cõsiderari vel secũdùm *modum principij*, vt *præveniens*; vel secundùm modum *concursus*, vt in actu *concomitantiæ*: sic vt primo *modo*, imprimat *sensum exse*; secundo operetur *assensum*, partim ex præuenientis gratiæ *impulsu*, partim ex *liberâ* voluntatis *potestate*; quæ si non *resistat* impulsui *prævenientis* gratiæ, ipsa *gratia* assensum operatur, vnà cum voluntate *concomitanter*, ad quam anteà invitârat *præveniente*r. Non valet (inquam) hoc χρηστεύματον, quia iste *concursus* gratiæ in actu *concomitantiæ*, vel *æqualis* est in *Esavo* & *Iacobo*, vel *non*. Si *non*, habeo quod vrgeo. Sin *æquali* sit *mensurâ*, quid impedit cur non *idem* sequeretur *effectus*? Diversa (inquis) arbitrij *dispositio*: *Repono*. At ea æquè est *corrupta* & *aversa* in omnibus, *gratiâ* non *sanante*. Verum est (ais) corruptione *naturali*, non *acquisitâ*. *Regero*: Ergóne *gratia* quæ naturæ sanat *radicem*, non sanabit *fructum*? Et quæ aufert *cor lapideum*, impeditur à *pericardio*, ne in ipsius locum *cor carneum* substituatur? *Telæ* sunt istæ *aranearum* ad capiendas *muscas*, quas volatilia *robustiora* facilè perrumpant ac dissipent.

Arg 5um. 7 *Vltimi argumenti* loco adducere possem *diffidẽtem* adversariorum, sive *tergiversationem*, sive *dissensum*. Distinctionem istam *Damasceni*, quam tanti faciunt cum *Iesuitis Remonstrantes*, in voluntatem Dei *Antecedentem* & *consequentem*, cui innititur tota hæc *Pelagianismi* fabrica; non probat *Lombardus*, apertè refellit *Tostatus* in *Exod.* 33. *Corvinus* fatetur ipsum *Arminium* statuere gratiam ad *regenerationem sufficientem* omnibus non concedi: Si non ad

a Sent, d. 25.

regene-

regenerationem, quomodò ad *salutem*? num salvus quis esse potest *non regeneratus*? Sed solenne est hoc *Remonstrantibus*, sententias suas ab alijs *relatas* non agnoscere; sed *detortas* aut malè *intellectas* inclamare; ac si tam *recondita* essent ipsorum *mysteria*, ut aliorum *captum* effugerent. Quibus nil aliud repono, quàm quod in eodem argumento respondet *Cumel Gabrieli Vasquez*, acumen *ingenij* nimium *efferenti*, *Experientiâ cernimus plures ex hominibus acutissimi ingenij*, & *validioris*, *plurimùm resistere gratiæ Dei*, & *perditos esse in Repub.* alios verò, *mediocris ingenij*, *modestos esse*, & *minùs gratiæ Dei repugnare*. Cùm ergò Deus *gratiam salutarem* vltrà *decretum* non extendat; *Actu* non *omnibus* suppeditet *æqualia* ad salutem *media*, *Patres* & *Concilia* adversariorum de gratiâ sententiam in *Pelagianis* & *Semipelagianis* condemnârint; *consequentys* ex *Scripturis* ductis sit prorsùs *absona*, nec constantèr *certo aliquo fundamento* ab adversarijs stabiliatur; Concludo, *gratiam* ad *salutem necessariam* non *omnibus concedi*, quod erat demonstrandum. *Disput. Variarum Tom. 3.*

8 Restant *Adversariorum argumenta*, brevissimè diluenda, non *omnia* (infinitum penè illud esset) sed *præcipua*, ex quibus reliqua æstimentur. Ista referuntur ad hæc tria capita, *Scripturas*, *Patres*, *Rationem*. *Primò* vrgent ex V. T. illud *Esaiæ* 5. *Quid est quod debui vltrà facere vineæ meæ*, & *non feci ei*? & *Ezekielis* 33. *Nolo mortem peccatoris*. vndè *argumentum*: Si Deus *velit* conversionem peccatoris, & nihil *omittat*, quo *convertatur*; tum suppeditat illi *gratiam sufficientem*: Sed verum prius, *Nolo mortem*, *volo vt* *Obiect. 1ma.*

convertatur: *Nil amplius facere debui vineæ meæ quod non feci.* *Respondeo* breviſſimè. Locus *Ezekielis* denotat tantùm Dei *affectum* in puniendis *impijs*: אחפץ-אם. Si *delector* morte improbi, ut reddit *Iunius*; non *effectum* quo liberare illos *potuiſſet*, ſi *placuiſſet*; idque in *hunc finem*, ut diſcerent impij *propriam malitiam* incuſare, non Dei *ſeveritatem* cavillari. Locus *Eſaiæ* anguſtior eſt, quàm ut inſeriviat præſenti *inſtituto*. Nam quid ſi Deus nihil *omittat* quod *profit vineæ* ſuæ? num indè extenditur *gratia* ejus ad *omnes* extra *vineam*? Deinde, fecit quod fieri *debuit* à *plantante*, non quod præſtiturum erat *fœdus gratiæ*. *Secundò*, ex N. T. duo *palmares* deducuntur *textus*, 1 *Tim.*2.4. *affirmativè*, Deus *vult omnes homines ſalvos fieri*. 2 *Pet.*3.9. *Negativè*, Nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti: ergó *gratiam*, ut hæc fierent, *ſufficientem* ſuppeditavit. *Reſp. Vult*) voluntate quâ *invitat*, non *ponens* obicem; non voluntate quâ *efficit*, tollens *omne impedimentum*. 2 *Omnes homines*) hoc eſt, *omne genus hominum*, non *Iudæos* ſolùm, ſed *gentes*, tam *Reges*, quàm *ſubditos*, pro quibus ſine diſcrimine eſt *orandum*, vt ſuadet *textus*: Non *ſingula generum* (vt loquuntur *Scholaſtici*) ſed *genera ſingulorum*: ſic vt nota *vniverſalitatis* denotat *collectivè*, *quoſvis*, (ut reddit *Beza*;) quo ſenſu *ter* occurrit, in *uno* verſu, *Coloſſ.* 1.28. non *diſtributivè* homines *ſingulos*. 3. Vult *ſalvos fieri*, ſi faciant quod jubet, non *ſalvos facere*, efficiendo ut *faciant*. Vndè patet quomodò interpretandus ſit *Petrus*; *Neminem* vult *perire*, hoc eſt, ipſe non eſt in *cauſâ* cur homines pereunt; non tamen

Solut.

Obiect.2^a.

Sol.

men indè *tenetur* gratiam sufficientem post lapsum, *singulis* exhibere *ne pereant*, *Tertiò* de Patrum testi- *Obiect.3ª.*
monijs, quorum *decem* hic congerit *Bellarminus*, non
est cur magnoperè laboraremus. Nam de ijs qui *Au-* *Sol.*
gustinum præcesserunt, respondet *ipse Augustinus de*
præd. cap. 14. Non *accuratè* illos hanc *difficultatem*
tractâsse, quia defuit ante *Pelagium*, *hostis*, qui vrgeret.
De ijs verò & omnibus post *Augustinum*, sic conclu-
dit lib. 2. de *gratia*, *& lib. arb. cap.* 5. *Bellarminus*, Ex
Scripturis & *Patribus satis tantùm probabiliter*, *pièq;*
credi, nemini *deesse*, *aut vnquam defuisse auxilium*
sufficiens ad salutem. Notantèr dicit, *probabiliter*,
& *piè creditur*. Quid certò hic statuant *Iesuitæ*, illis *Ob.4ª.*
adhuc non est *satis* compertum. *Quartò* rationes,
quas vrgent, *hæ* præcipuè videntur premere. Venit
Filius hominis, *ut salvaret quod perierat*, at omnes *Luc.19.*
perierant. *Resp.* Non negamus salvâsse *Christum* *Sol.*
quod anteà *perijsset*; indè tamen non sequitur, *quic-*
quid perijsset Christum salvâsse. Nec habet textus, vê-
nit ut salvaret *omne*, sed *id)* hoc est *tale*, non *totum*
quod *perierat*. *Instant*: sic minus esset *beneficium* *Instantia.*
per adventum *Christi*, quàm *damnum* per *Adami* lap-
sum; *contra* illud *Apostoli Rom.5.* Sicut *per unius de-*
lictum reatus venit in omnes homines, *ad condemna-*
tionem, Sic, *per unius iustitiam*, *beneficium redunda-*
vit in omnes ad iustificationem. *Resp.* Non confert *Resutatio.*
ibidem Apostolus *formas*, sive *modos*, *delicti* & *resti-*
tutionis quoad *extensionem*; sed *efficientes* quoad *o-*
riginem; ita vt, sicut *per solum Adamum* intravit deli-
ctum; ita *non nisi per Christum*, subsecuta est *restitu-*
tio, non autem *omnibus*, sed ut sequitur v. 19. *Multis*.

Postremò

Obiect. 5. *Postremò* (nam cætera quæ confertim accumulant *Paulus Windeck*, & *Sluterus*, qui *integra* hâc de re conscripsêre *volumina*, *Hemmingius*, *Hunnius*, & passim alij *Lutherani*, sunt necessariò omittenda) hâc argutiâ præcipuè nituntur *Arminiani*. Omne fœdus supponit fœderatorum *sufficientiam*: Alitèr Deus ageret hîc cum suis ut *Pharao* cum *Israelitis*, subduceret *stipulam*, & *pensum* nihilominùs *exigeret*. Sed Deus post fœdus *legale*, cui impar erat *homo* post lapsum, *novũ* inijt sub *Evangelio*, quo illud resarciretur. Ergò gratia *sufficiens* sub *Evangelio*, omnibus exhibetur, ad implendum hoc *fœdus Evangelicum*. *Resp.*

Solut. (Vt omittam *fœdus* de salute per *Messiam* semper idem fuisse, sub vtroque *Testamento*.) Dat reverà Deus *gratiam sufficientem* omnibus *fœderatis*; sed nego omnes post Evangelij *prædicationem*, fuisse de *fœderatorum* numero. Nam ut adventum *Christi* permisit ille *gentes* deviare *extorres*, absq; expectatione *Messiæ*; ita post adventum, *vobis datum* est, non *illis*; & *Quis te discrevit? Instant:* At *mandatum* & *promissiones* sunt *generales*, ergò & *fœdus*. Negatur connexio: quia *fœdus* nititur *occulto* Dei *consilio*, (quod non proponit *absolutè* quid Deus vult de nobis *facere*, sed quid à nobis oportet *fieri*) *promissiones* verò *revelato*. At ista essent *illusoria* si proponerentur non *capacibus*. *Resp. Mandata* & *promissiones* (ut fatetur *Arminius*) propriè *electorum* esse, aliorum verò per *accidens*, ratione *consortij*; quo fit ut *zizania* tritico *immista*, fruantur ejusdem agri *succo*, licet hisce cedat in *alimentum*, illis in *venenum*. Cùm igitur Deus non *internè* trahat, quos *externè* ratione *consortij*

Act. 14.

Matth. 13.

2 Cor 4.

Instantia. Refutatio.

Instantia Refutatio.

sortij cum *electis* invitat; non *illudit*, vel *excludit* aliquos: tantùm *non dat* aliquibus, quod impertit *cæteris*, & *nullis* dare tenetur: atque hoc ad *testimonium* (ut habet *Prosper*) non ad *remedium*, quia utcunque *pretium* ad omnes, *proprietas* tamen ad *paucos* extenditur, ut rectè concludit *Augustinus*. Vbi & ipse etiam figo *baculum*. *Lib. de artic. falso impos.*

Atque ita *habetis* (*P.* & *F.*) sũmæ hujus *difficultatis*, per tot diffusæ *volumina*, aliquod saltẽ *compẽdiũ*, cujus *prolixitatem* fortassè excusarem, nisi *id* agendo *fierem* prolixior. A *gratiâ* duximus *exordium*, per *gratiam* progressus fecimus, in *gratiâ* tandem desinamus: *Gratia Domini nostri Iesu Christi, charitas Dei Patris, & communicatio Spiritus Sancti sit cum omnibus nobis, nunc & in æternum.* AMEN.

O

LECTIO III.

IN VESPERIIS COMITIORVM habita Oxon. Iulij 10. Ann. Dom. 1619.

De Conversionis modo.

ROM. 9. 11, 12.

11 *Cùm enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali; ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante.*
12 *Dictum est ei, Quia major serviet minori.*

DVo sunt (*P.* & *P.*) quæ perspicacissima Theologorũ semper torserunt ingenia; *providentiæ Divinæ* & *contingentiæ*; *Prædestinationis* & *liberi arbitrij* discors *harmonia*. Primum respicit fixam Dei *dispositionem* de omnibus creaturis *in genere*; alterum verò *speciatim* ad *nos* spectat. In quo jam *quartâ* vice explicando desudat mea ex hoc loco qualiscunq; industria. Nec *horarium* hujus pensi *compendium*,

dium, neq; vestra fert expectatio, ut prolixè repeterem, quomodò à *decreto absoluto*, per *scientiæ mediæ* abrupta, ad amœniorem *gratiæ* paradisum tandem devenimus. De *gratiâ* (vt meminisse potestis) *tria* discutienda proposui; Primò, ipsius *extensionem*; Secundò, *efficaciam*; Tertiò *durationem*: hoc est, quâ mensurâ *offertur, confertur, aufertur*. Accepistis superiori anno, de primo, *Gratiam sufficentem ad salutem omnibus non concedi*, sed pro inscrutabili donantis beneplacito, *quibusdam vberiùs* ad gloriam; alijs *parciùs*, ad ἀνατολογίαν, solummodò destinari. Superest itaq; jam juxtà proscriptos mihi cancellos, ut ejusdem *efficaciam* aggrediar. Hæc autem primò in *peccatoris conversione*, deindè in ejusdem *iustificatione*, commodè subibit examen. Et quoniam Textus (ut videtis) duos exhibet fratres, *Esavum*, & *Iacobum*, ortu, merito, conditione, prorsus pares; quibus tamen *nondum natis, & cùm nihil fecissent boni vel mali*, προθησις τοῦ Θεοῦ κατ' ἐκλογὴν, *præstitutũ Dei* quod est *secundùm electionẽ, libertatem, & servitutẽ, odium, & amorẽ*, inæqualitèr designâsset, quæri potest hîc non immeritò, *An ex duobus in æquali gratiâ constitutis, alter convertatur, & salvetur, alter resistat, & pereat?*

3. Quam lubricum autem sit hîc æquilibrium, ut in hoc quasi מעלה עקרבים, *ascensu* (ut ita dicam) *scorpionũ* non declinet *viator*, vel ad dextram *gratiæ*, in exterminium *liberi arbitrij*, vel ad sinistram *arbitrij*, in *gratiæ* præjudicium; ostendit illud *Augustini*, Epistolâ 26. ad *Valentinum*; *Si nõ est Dei gratia, quomodo salvat mundum? Si non est liberũ arbitriũ quomodo indicat mundum?* Quod reponit *Bernardus* in vestibulo

Num 34.

vestibulo tractatûs de *grat:* & *libero* arbitrio, *Tolle liberum arbitrium non erit quod salvetur, tolle gratiam, non erit undè salvetur.* Vnde aureum est illud corollarium Archiepiscopi nostri *Bradwardini* ad cap. 31. lib. 1. de *causa Dei, &c. Scripturam* & *Patres* ex hâc parte præcipuè, non *pium* tantùm, sed & *prudentem* requirere *lectorem*, qui & dubia perpendat, opposita conferat, *Doctores ipsos*, vel inter se, vel sibi ipsis non obscurè contradicentes, ex *Scripturis*, vel testimonijs expressioribus, exponat & corrigat; ne dum *Pelagianismi* refugiat *Scyllam*, incidat in *Manichæismi* & *Enthysiasmi* Charybdim. Quarè solicitè subtilissimus Patrum *Augustinus* in lib. *De naturâ* & *gratiâ*, naturam vtcunque à lapsu depravatam, à *Pelagianorum* calumnijs vindicavit; Quià autem ibidem *Gratiam*, ut par est, evehit, vellicatur ab *infirmioribus*, vt libero arbitrio *iniurius*. Hisce autem dum de *gratiâ* & *libero arbitrio* accuratiorem elucubrat tractatum, quo ostendit, *gratiam* arbitrium non destruere; sed *libertatem* ad bonum per lapsum *amissam*, restituere: prosiliunt quasi ex insidijs alij, qui inde *correptiones omnes* supervacaneas esse concluderent, quibus coactus est in libro de *correptione* & *gratiâ* tertiò satisfacere. Ita *Natura*, *Arbitrium*, *correptiones* inverêrunt causidicos, qui quasi ex *iure* manu consertum, res à *gratia* repeterent. Et quanquàm *Prosper*, *Fulgentius*, & cæteri ex eâdem disciplinâ *Patres*, *Conciliorum*, & *Romanorum Pontificum* muniti *decretis*, orthodoxam *Augustini* de *Gratiâ* doctrinam, adversus *Pelagij* reliquias egregiè sunt tutati; tam *tenui* tamen pendet *filo*, hujus veritatis *statera*, & tam per-

plexè subindè loquuntur, ut *Eridis* potiùs *pomum*, quàm pacis *olivam* videantur posteris, eandem litem moventibus, reliquisse. Circumferuntur *Fausti anathematismi*, & *Lucidi* Presbyteri *palinodia* vnà cum decretis Synodorum, *Arelatensis* & *Lugdunensis*, fusè à *Baronio* & *Binio* exhibitis: sed ità lubricè hîc proponuntur omnia, vt nescias vtrùm *Lucidum* potiùs *Prædestinatianorum* & *Adrumetinorum* rigiditatem (quam *Epist.* 46. & 47. emollit *Augustinus*) præfractiùs vrgentem, averseris: an *Faustum*, *Semipelagianismi virus* subdolè instillantem ferires *anathemate*. *Godeschalcum* eandem posteà gratiæ *efficaciam* in primâ peccatoris conversione, contrà *vafros* arbitrij *proxinetas*, præcipitantiùs forsan efferentem, non tam oppugnant in Concilio *Moguntino*, *Rabanus Maurus*, *Haymo Halberstadensis*, & *Hincmarus Rhemensis*; quàm in *Synodo* defendunt *Valentinâ*, *Remigius Lugdunensis*, *Egilmarus Vicanensis*, & *Rolandus Arelatensis*: Vnde *Remigio* non dubitat *Maldonatus* in Matth. 20. 28. *Prædestinatianorũ hæresin* impingere: Dum è contra edunt *Colonienses* in recentissimâ Patrum *Bibliothecâ*, Tom. 9°. Ecclesiæ *Lugdunensis* librum vnà cum tribus Epistolis, quibus *Iohannes Erigena Scotus*, & alij qui *Godeschalcum* acriùs sunt insectati, piè & nervosè retunduntur. Quanquàm libuerit *Andreæ Duvallio*, Doctori *Sorbonico*, & Regio in Academiâ *Parisiensi* Theologiæ *Professori*, notulis quibusdam Patres *Lugdunenses* perstringere, & *Semipelagianismum Scoti*, philosophicis fucatum argutijs, non obscurè meruisse.

Tom. 2. Concil. part. 1.

Vidi Voss. Hist. Pelagian. lib. 7. part. 4.

3 Sequuntur *Scholasticorum* de ijsdem *gratia* & *libe-*

ri

beri arbitrij finibus regundis, clamosissimæ altercationes; quas non dissimulant, sed discutiunt liberiùs præ cæteris, *Bradwardinus* noster & *Gregorius Ariminensis*. Calumniosè autem impingit *Waldensis Wiclevo*, ipsum *gratiam* Divinam *tacere*, vel abnegare. Ostendunt siquidèm vbertim *Manuscripti* illius, quiapud nos superstant, in *Psalmos* commentarij, quam acris semper *meritorum hostis*, & gratiæ *vindex* extiterit. Vt verò *Laurentius Valla* pro innato in barbariem *Scholasticorum* odio, et pugnacis ingenij *pruritu*, non ferendus videtur (vt rectè animadverterit *Chemnitius*) in necessitate *Stoicâ asserendâ*: ita nimium laxrunt habenas humanæ præcipitantiæ, insequentes *meritorum nundinatores*; quos ita sophisticè tandem componunt *Tridentini Conciliabularij*, vt non tam *priores* conciliâsse, quàm *posteriores* inter se *commisisse* videantur. Diceres *Satanam* omnes machinas admovisse ad hanc compagem dissipandam. Nam qui in cæteris articulis indivulsè coeunt, in hoc, quasi *Esau* & *Iacob*, in eodem vtero colliduntur. Inter *Pontificios*, quis nescit *Iesuitas* & *Dominicanos prælas* onerare, & implere *Bibliothecas*, ex consarcinatis de *hâc controversiâ* litigijs. Sicut autem, è *Lutheranis* prodijt *Huberus*, qui lib. 1. *Antibellarmini*, cornu 9°. cap. 6. per latera *Bellarmini* & *Pontificiorum*, suos gratiæ *faventiores*, non obscurè fodit & transverberat, eorum placita cum *Turcico Alcorano* componens: Sic è contra *Iohanni Schlusselburgio Stradlesundensi Philippus Melanchthon, Victor Strigelius, Maior, Eberus, Crellius, Lasius*, & omnes *Wittebergenses* Theologi, sub titulo *Synergistarum* veniunt, eodemque

Tom. 3. p. 14. & 25.

Se. 6. c. 1. & Can. 4

demqúe nomine *lib.* 5°. sui *Catalogi Hæreticorum*, volumine sat crasso refutantur. Atque vtinam inter purgatiores *Evangelij* symmistas, incondita illa *Remonstrantium* & *Contraremonstrantium* vocabula, nunquam fuissent audita: expeditiores profectò multò essemus, ad venandam *Bestiam Apocalypticam*. Nunc autem--*Bellageri placuit nullos habitura triumphos.* Vbi *pares* vidéntur *aquilæ*, vtrinq; *Scripturæ*, & Patres, in æquilibrio quasi Doctorum *Phalanges*. Itaq; cùm in gratiam *Contraremonstrantium*, ante *biennium*, ex antiquis contexta *commentaria* de *Pelagianis* & *Semipelagianis*, duobus libris edidisset *Iohannes Lasius*: triplicatâ insurgit industriâ, anno sequenti (vtinam & pari synceritate) *Gerardus Vossius*, & septem librorum mole, totius antiquitatis fastos ad *Remonstrantium* subsidium intorquet. Hisce autem inflammatis partium studijs, *sequestrum* si quis se candidè interponat, impetus fit vndequáq; in eum tanquàm in *hostem* publicum. *Gratiæ* studiosiùs partes agis? *Manichæus*, *Prædestinatianus*, *Borborita*, *Enthysiasta*, *Florianus*, *Puritanus*, *Calvinista*, *Gomarista*, *à Pontificijs*, *Lutheranis*, & *Remonstrantibus* audies. Sin arbitrio relinquas vel *minimas* in primâ *conversione* partes; vix *Pelagiani* aut *Semipelagiani*, *Iustitiarii*, *Operistæ*, *Particularij*, *Prævisiarij*, *Synergistæ*, *Arminiani*, lituram effugies. Cuin & non *pennis* tantùm, sed et *penicillis*, jam tandem bilem evomunt. Vt enim *Belgæ* nescio qui, *Arminianum quinq;* capitibus, *quatuor* brachijs et manibus, *totidem* etiam pedibus, *Iustitiam* et *innocentiam* conculcantem, monstrosè anno superiori depinxerunt: Eodem artificio

ficio speciosè delineat *Aquinatem Matthias de Rispolis*, vmbone, pennâ, et pedibus, omnes illos prementem, transfigentem, et conterentem, qui aut *physicam* negant voluntatis *prædeterminationē*, aut *scientiam mediam* astruunt. Ita dum incurvum tenellæ arboris statum corrigere studet, (quod de imperitis *institoribus* Ep. 41. scitè notat *Basilius*) nimiâ *attractione* in alteram partem peccant. Et certè quicquid *Philosophi* de concursu Dei cum *secundis causis*; *de viribus* et voluntatis *facultate*; quicquid *Scholastici* de gratiâ *præveniente, subsequente, operante, cooperante, excitante, adiuvante*; de voluntate Divinâ, *antecedente, consequente, signi, beneplaciti, occultâ, revelatâ*: Quicquid de *motionibus, auxiliys, prædeterminationibus, præfinitionibus, decretis, decretionibus, scientiâ, præscientiâ, providentiâ*, et *prædestinatione*: Quicquid denique de gratiæ communicandæ *modo, infallibilitate, resistibilitate, necessitate, contingentiâ*, disputarunt *Recentiores*, ad propositi problematis latifundia commodè revocentur. Quod rectè animadverterit *Franciscus Suarez*, in brevi resolutione controversiæ de gratiâ efficaci, *Sect.* 2. vbi *Punctus*, inquit, *controversiæ* est, quid addat *auxilium efficax* supra *auxilium sufficiens*; aut cur in vno habet *actualem efficaciam*, et *non in alio?* Id est, cur cùm duo homines, eandem omninò gratiam consecuti sunt *vnus* convertatur et non *alter?* Obsservâsset hoc anteà *Lutherus*, ideoq; *liberum arbitrium* vt totius Papismi *fundamentum*, obnixiùs convellit. Quod in *drama* quoddam lepidum, coëgit *Franciscus Niger Bassanensis*; cujus argumentum, quia lucem adfert huic

negotio, non gravabor brevibus subijcere. *Liberum* (inquit) *arbitrium, voluntatis* & *Rationis* filius, & provinciæ *humanarum actionum* inter *Ethnicos* Princeps; per *Lumen Naturale*, summæ authoritatis inter Scholasticos *Doctorem* et *Professorem*, in *Romanam Curiam* tanquam *hospes honorarius* (declinante Evangelij puritate) tandem deducitur, ibidemq; à *Pontifice Romano*, operum *bonorum* et *Spiritualium regno* præficitur. Habitabat tunc temporis Romæ, *Heroina* opulentissima, nomine *Gratia de Congruo*. Hanc, proxinetam agente *Actu elicito*, (Arbitrij hujus humani *procuratore* vaferrimo) in vxorem ducit, ex eâque suscêpit filiam vnicam, *Gratiam de Condigno* formæ tam stupendæ, vt cœlicolas ipsos hâc ex parte, provocaret. Cùmq; diu nimium hanc regalem familiam, ex fisco et vestigali, nomine *Meriti* aluisset: dilapsa est tandem è cœlo *Gratia justificans*, quæ aulæi complicavit, & fallacissimum hoc antiquitatis *mysterium* sub dio constituit. Videtis quantum nostri interest (*Academici*) penitiùs hujus abyssi vada pertentare, ne de *Naturâ* vtcunq; per lapsum miserrimè *deformata*, abiectiùs statuamus quàm par est; nec resarcienti et refingenti *gratiæ*, vel minimum detrahamus. Cuneus enim idoneus huic nodo adaptatus, non tantùm *liberi arbitrij* curvitatem, ad amussim exiget: sed & reliquos *quatuor articulos* in *Synodo Dordracensi* contra *Remonstrantes* (vt fertur) jam fœliciter ab *Orthodoxis* conclusos, eâdem operâ expediet. Nam si constaret semel *conversionem* peccatoris in *solidum gratiæ* fic esse *referendam*, vt duo *eâdem* affecti, effectus *æquales* indubitatò sortiantur; Concidit statim

ista

ista *prædestinatio* ex præviså quâvis in obiecto *conditione*: nec vlteriùs *indulgentiores* turbaret, ex vaporibus nescio quibus *Pelagianis*, de *Redemptione universali* insomnium, nec resisteret quispiam deinceps, de *resistibilitate gratiæ*, nec dubitaret de *sanctorum perseverantiâ* Desertor *Hyminæus*, cùm intelligat *salutem*, non ex hominum protervitate periclitari, nec *gratiam efficacem* assensum voluntatis præstolari; sed efficere *tempore* statuto, quod ante *tempora secularia*, non *fieri* tantùm, sed per media certissima *facere* statuisset. In tantâ autem difficultatum *sylvâ cæduâ*, vtcunque operosissimum sit semitam invenire; id agam tamen vt multa paucis contraham, & succum exprimam; idq; methodo jam vobis notâ: in qua præcedit *terminorum* explicatio, & Adversantium *Consensus*, vt quid controvertitur distinctiùs eruatur: sequitur deinceps, sententiæ orthodoxæ *confirmatio*, & ab opponentium sophismatis *vindicatio*, quam claudet *tertiò* argumentorum, quæ præcipuam pariunt difficultatem, succincta *refutatio*.

4 *Sed progressum (ut videtis) intercipit* Filiorum *hæc solennis interpellatio*; *qui non satis se munitos putant, aut* dignitatis *(quam gestant)* purpurâ, *vel* Medici doctissimi *præsentissimâ antidoto, nisi Theologiæ etiam Matris accedat* Benedictio. *Hos verò adeò iunctim & instanter supplices, si asperiùs tractarem, & tristiori, pro severitate paternâ, dimitterem supercilio;* Struthionem *referrem apud* Iobum, *qui* ova Benedict. Cap. 39.

ponens *in terrâ*, induratur ad filios, *nil sensi habens, quomodò eos* pes *conculcet*, *aut* bestia *agri conterat. Quòd si vnquam rerum anceps conditio* benedictiones *& vota efflagitaret: non deessent præcipuè in hoc feraciſsimo* Metamorphoseôn *seculo, in quo non ingruit tantùm ab occidentali* Gog, *ab orientali*, Magog, *in pulsillum Christi gregem, procella; sed vidimus.*

----Pares aquilas & pila minantia pilis.

In eodem vtero conflictantes Esau *&* Iacob, *B.* Pauli *discipulos &* Pelagij *emissarios. Cui extinguendo maturiùs incendio, nisi arrepto* Sanctuarij thuribulo *constanter & providè nuper fuisset itum, vix avertisset à nobis flammam, inter nos &* Belgium *interfusus* Oceanus. *Parùmne etiam nobis vlteriùs videtur, vt cùm quasi proximus ardeat* Vcalegon, *cùm tot vicinos vndiq; involvant tumultus; nos in* Petram *elevati, spumantes inferiùs decumanos* fluctus, *ut inane* frementes, *intueamur tuti desuper, & contemnamus? Bello fervet* Bohemia, *trepidat* Gallia, *sibi metuit* Germania, *vbiq; suspiciones, vbiq; stratagemata, ab irrequietis* Antichristi Hamaxarijs: *vbi nos interea vnusquisq; sub* vite *suâ, & sub* ficu *propriâ, altâ pace fruimur*, Comitia

mitia *celebramus*, Candidatos *promovemus*, *novos quotannis extrudimus* operarios *in messem Domini*. *Quomodò ergò hîc desit messorum illud* הידד *sive torcular calcantium* celeusma? Esaiæ 16. *cùm tam vberrima vndequaq; circumfluat* benedicendi *materia? In hoc autem (vt ità dicam)* Patriarchali *munere obeundo, illustriorem non sequamur facem, quam iamdudum prætulit* regius Psaltes, *ad cuius* Psalmorum *quinpuepartitam distinctionem (vt rectè observavit* Gregorius Nissenus) *tanquam epimone, aut versus intercalaris, intertexitur semper* solennis benedictio. *Ad* primam *Psal.* 40 *Sectionem*, Benedictus Dominus Deus Israel à seculo & in seculum; fiat, fiat. *Ad* secundam, *in clausula* 71, Benedictus Dominus Deus Israel qui facit mirabilia solus, & benedictum nomen Maiestatis ejus in æternum, & replebitur majestate eius omnis terra, fiat, fiat. *Ad* tertiam, *periodus est* 88ui. Benedictus Dominus in æternum, fiat, fiat. Quarta, *terminatur, ad calcem* Psal. 105. haud absimili. δοξολογία; Benedictus Dominus Deus Israel à seculo vsq; ad seculum, & dicat omnis populus fiat, fiat, Halleluiah. Quintæ,

& *ultimæ sectionis, non minus insignis est* Epilogus, *quàm fuit primæ* procœmium; *ut enim ibi incipit* Beatus vir; *ita hîc concludit*, Omnis spiritus laudet Dominum, Hallelujah. *Ita* Benedictiones, laudes, Hallelujah, Tehilla, *&* Tephilla, שירים המעלות (*sive* graduum cantica, *copiosè suppeditant & inculcant* sacra *Dei* oracula, *ut discamus nos quâvis causâ adhibitâ, &* benedictum Dominum *deprædicare, &* benedictiones Domini *impertire*, *&* benedictos *Domino consecrare, &* benedicentium *charitatem nostro zelo referre, ut* benedicta *sit* Ecclesia *in quâ vivimus*, benedictæ Academiæ, *quarum ubera exuximus, redeant in sinus* benedictiones, *quas aliis impertimus, & obturentur ora maledica, quæ venenum* aspidum *gerunt sub* labijs. *Oderat* Esau Iacob, *pro* benedictione, *Gen.* 27. *At benedicit* Hiram, *& vehementèr gavisus est*, *quòd amico suo* Davidi *sapiens successisset* filius. *Cujusmodi debet esse nostra, in hâc* successionis *spe*, *& futuræ messis auspicio exultans congratulatio.*

5 *Atque hîc non placet* Theologos *meos* à Iurisperitis, *aut ingenuarum artium* candidatis, *inter* benedicendum *secernere. Conjunxit*

vos

vos hactenùs (Filij) ejusdem Matris gremium, vniat vlteriùs eadem ejusdem benedictio, recreet & illustret gratia, quæ pluribus paritèr dimensa, pares effectus indiscriminat imprecreat. Neque enim est volentis aut currentis, sed Dei miserentis & benedicentis cur Iacobus Esavo præfertur. Hæc enim si non obtineret persuasio, cur aliquis benedictiones omnes vel hili æstimaret? Num peterem (inquit Iesuita aut Remonstrans) illud aliundè, & frustrà, quod mearum est virium, et muneris, meo Marte præstare? Ita maledictionem accersunt ingrati, dum quod gratiæ in solidum debetur, partim arbitrio suffurantur. Vestram aliam esse mentem, in eo quod petitis, apparet, quò ampliorem â gratiâ Divina, cui solummodò innitimini, benedictionem expectetis. Ergò ut Caleb filiæ Axæ benedictionem petenti, irriguum superius, et irriguum inferius concessit: ita profusissimo gratiæ Divinæ imbre è cœlo desuper, et è reconditis terræ thesauris inferiùs Iehovah יי vestra pascua lætificet. Illa gratia quæ prævenit nos omnes ut velimus, et subsequitur ne frustrà velimus, cataractas suæ beneficentiæ in salutem vestram aperiat: moretur inter vos Iehovah tanquam Iosue. 15.

quam

quam in thalamo, *et inter humeros vestros, in omnium onerum leuamen placidus requiescat. Transfigantur* lumbi *eorum qui adversùs vos insurgunt, fiant ficut* Madian *et* Sisera, *sicut* Iabin *in torrente* Kishon, *qui perierunt in* Endor *et facti sunt* sicut stercus terræ. *O quàm invitus descendo ab hoc monte* Gerezim, *ad turbidam* controversiarum *penitùs penitúsq; iacentem (mei* Caucasi *) convallem. Arescente vndiq; circa vos* areâ, *benedictionis Divinæ* ros, *vellus vestrum vberrimè humectet: A* cacuminibus *montium* antiquorum, *et delicijs æternorum collium,* voluntas habitatoris in rubo, *vos vt pueros in* fornace Babylonicâ *illæsos conservat. Fortitudo & gladius* Gedeonis, Phineæ *zelus, defæcatum cor* Davidis, *ardor* Eliæ, παῤῥησία Ioannis Baptistæ, *adversùs renascentes huius seculi* Idololatras & Herodes, *prosperè vobis succedat. Subcineritius hordei* panis *à vestris prodiens* castris, *subvertat vel artificiosissimè instructa* Midianitarum *tabernacula. Nox involvat quemvis* Bar-Iesu, *qui vestris pijs conatibus se opponat. In decore vestro fœliciss imè* agite, equitate *super verbum* veritatis, mansuetudinis, & iustitiæ: *sufficiat*

Psal. 82.

at vobis Altißimi gratia, *contra* carnis *aut* Satanæ *pungentis, cribrantis, aut colaphizantis, periculosißimos insultus. Et licet reviviscat denuò in* Iesuitis *prodigiosa* Anakim *progenies,* Shesai, *&* Achiman, *et* Talmai, *qui monstrosos otij partus, et munitißima suæ* Kiriath-sepher *mœnia, elatiùs venditant: non desit tamen inter vos succenturiatus* Caleb, *aut* Othoniel, *qui istorum moles diruat, ac dißipet, speluncas evisceret, claustra & antra* Polyphemica, *sale conspergat. Hoc vt efficiat gratia* Domini exercituum *per* Iesum Christum *vnigenitum suum, animitùs opto, et voveo.* Quæ quomodò *æqualiter*, diversis *impertita*, eosdem constantèr producit salutares *effectus*, superest jam vt spinosiori orationis texturâ, pergam demonstrare.

6 Quod vt enucleatiùs fiat, observandum est in limine, è multiplici istâ *gratiæ* distinctione (quam superiori *lectione* proposuimus) gratiã *excitantẽ, prauenientẽ, operantem*, hic solummodò examen subire. Hæc autem duplex est (vt cautè notat, cum *Dominicanis, Alvarez*) *Externa* & *Interna*. *Externa*, elucet in publico verbi *ministerio, fusionibus, correptionibus, minis, promissis*, & hujusmodi; *Interna* verò immediatè à *Deo* profluit, quoties intùs *cor alloquitur*, intellectum *illuminat*, voluntatem *flectit*, affectus *subiugat*, vt *semen* fidei & *fructum* efficaciter recipiat. Inculcat hoc multotiès *Augustinus*, sed

Disp. de Auxil.

 præcipuè

præcipuè cap. 34. de spir. & lit. Repetit explicatiùs Prosper cap. 14. cont. *Collat.* nec Adversariorum quispiam (quod sciam) negaverit. Vtrùm verò tam arcta semper intercedat, inter hanc *externam*, & illam *internam* gratiam σύνοψις vt semper *externum* impulsum, *internus* motus comitetur, vt *opus* Pontificiorum *operatum* locum inveniat, (quod admittere videtur *Arminius*, defendit contra *Tilenum*, cap. 12. ejus interpres *Corvinus*) aliam serit litem, quam hujus non est *instituti* discutere. Habendum est secundò *conversionem*, *regenerationem*, *renovationem*, veteris Adami *mortificationem*, & *vivificationem*, vtcunq; scrupulosiùs forsan aliàs distinguuntur, hîc tamen sub *eodem censu* venire, vt *converti* nil aliud significet, quàm à potestate tenebrarum in *libertatem* filiorum Dei *vindicari*. Nec omittendum tertiò, *resistentiam* seu *resistibilitatem* (quod præcipua *Adversarijs* est petra scandali) nil aliud vel ex vi *vocabuli*, vel ex *Philosophorum* placitis, vel ex *Adversariorum* interpretationibus, nobis designare, quàm *reactionem*, *repugnantiam*, *oppositorum luctam*, vel actionis *reciprocationem*, quæ inter *æquales* agentium *vires*, vel *nulla* solet esse, vel *inanis* absq; victoriâ: Inter *vires* verò ex parte debilioris agentis *inæquales*, succumbens & incompleta, sed *actionem* aliquo modo *retardans*; ex parte verò prævalentis, *completa* & *triumphans*. Quibus positis, vtcunq; non immeritò conqueruntur de Iesuitis *Dominicani*, illos sophisticè (quod hîc asserunt) inuoluere potiùs quàm proferre: vt de *Remonstrantibus* Orthodoxi, hos in consectandis argutijs totos esse, vt ab *acumine* captent plausum, & ex

Ripa ad 1. part. Aq. q. 19 d. 1. c. 13.

Ameſy Coron. Art. 4. c. 1.

Mustaceo

Mustaceo aureolam. Nec dissimulant è suis *Lutherani* quamplurimos, ad *Synergistas* defeciſſe: Consensus tamen est inter omnes 1° ex parte *gratiæ* contra *Pelagium*, eam non solùm *necessariò* ad conversionem concurrere, vel *externè* tantùm, in *verbo* et *sacramentorum* ministerio *sensus* semper pulsare; sed *intellectum* etiam et *voluntatem* ita illuminare, afficere, & renovare, vt initium, progressus, & *totius conversionis* perfectio gratiæ solummodò ascribatur. Convenit *secundo*, ex parte *arbitrij*, illud non vt *inanime* quoddam (quod *anathemate* ferit *Concil. Trident.*) gratiam prævenientem recipere: sed vt *subiectum capax* tantæ mutationis. Neq; enim voluntatem sustulit *Se. 6. c. 4.* lapsus (vt rectè in *Antidoto Calvinus*) sed ex liberâ *servam* fecit. Vnde titulus iste *Lutheri de servo arbitrio*, quem *Erasmus* elegantèr potiùs, quàm nervosè exagitat. Largiuntur deniq; *tertiò Remonstrantes*, nec repugnant *Iesuitæ*, quoad conversionis *modum*, intellectum per gratiam illustrari, affectus sanari, & renouari, quin & *voluntatem ipsam* excitari, & *invitari*, saltèm per modum *affectûs*, virtute quâdam *irresistibili*, atq; eò vsq; gratiæ tractum infallibiliter sequi *affectum*; vt sic *irresistibiliter* gratia *affectum* imprimat, *resistibiliter* verò *effectum* eliciat, vt habet contra *Bogermannum Corvinus*; quoniam tum demùm po- *Pag. 158.* test *voluntas* â gratiâ sic affecta, dissentire. Vnde *& 162.* ad hoc tandem quasi *acus foramen*, tenuissimi hujus (vt videtur) *dissidii* filium redigitur; *vtrùm datis omnibus gratiæ, internæ, prævenientis, excitantis, & operantis, adminiculis duobus eodem modo subiectivè dispositis, alter actu convertatur, alter liber è dissentiendo*

tiendo, eandem gratiæ virtutem irritam seu inefficacem efficiat? Affirmant hîc securiùs *Tapperus, Driedo, Soto, Vega*, & reliqui superioris seculi mercium *Pontificiarum clitellarij*, Apertiùs verò è *Iesuitis Molina*, & eius *Hyperaspistes Leon. Lessius*; captiosiùs autem & sub infinitis distinctionum tendiculis *Fonseca, Vasquez, Suarez, Bellarminus, Albertinus, Becanus*; quibus succenturiati accedunt *Stapletonus, Mascarenhas, Remonstrantes, Pseudo-Lutherani*, & quæ obscuris missitat in angulis, *Socinianorum* & *Huberianorum* colluvies. Repugnant *Alvarez, Bannes, Camel, Rispolis*, & cæteris (vt mihi videtur) in hâc causâ non copiosior tantùm, sed punctior, *Did. Nugno*, in 3am *Aquin. part.* qm. 62. art. 1. q. 2. Alios nominâsse forsan erit temporis jactura, quam sentio moram meam in præcedentibus antevertisse. Cùm hâc autem *secunda aut horum classe*, nos negamus. Argumenta quæ premunt præcipuè ad hæc sex reuocantur capita.

8 Primum sumitur ex testimonijs istis scripturæ, quæ *voluntati nostræ post lapsum*, omnia detrahunt, & *gratiæ*, quicquid obvenit boni, in *solidum* ascribunt. *Omne figmentum cordis humani est* רק רע tantummodò malum, *Gen. 6. Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei, stultitia enim sũt ei, & non potest intelligere, quia spiritualiter iudicantur. 1. Cor. 2. Non sufficientes sumus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis. 2. Cor. 3.* Vnde, *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, Io. 15. Deus est qui operatur in nobis velle & perficere*, Phil. 2. *Quis te discrevit? quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? 1. Cor. 4. 7.* Eodem hæc

Arg. 1um.

tendunt

tendunt omnia; sed vltimus locus evidentiùs constringi, sub hâc vel simili formâ: Qui cum eâdem *gratiæ mensurâ* convertitur, quâ alius non convertitur, seipsum *discernit*: habet enim quod non *acceperit*, & vnde *glorietur*. Quod non dissimulat *Bellarminus*, dum *Molinam*, & qui ipsum sequuntur, suppresso nomine perstringit, lib. 1. de grat. & lib. arb. cap. 12. *Nonne* (inquit) *dicere poterit is qui credidit, se discerni ab infideli, per liberum arbitrium, quia ipse inspirationem recepit, quam alter reiecit, non gloriari poterit contra infidelem, quòd ipse Dei gratiæ cooperatus sit, quam ille contempsit?* Ipsa sunt *Bellarmini* tela in suum jugulum promptissima, qui addit insuper *minorem*; sed *Apostolus hæc omnia prohibet*, & ipsam, quam volumus conclusionem subjicit: ideò non solùm *posse credere*, sed *ipsum credere esse donum Dei*, Phil. 1. Ergò nil concurrit ad conversionem, de quâ loquimur, ex parte voluntatis *causativè*, sed tantùm *subjectivè*, vnde *æquali gratiâ* excitati, *æquales* ex hâc parte effectus necessariò sortiuntur. *Molina*, *Lessius*, *Oppos.* & qui apertè quid sentiant proferunt, expediunt se hic facilè cum *Pelagio*, discrimen *liberæ arbitrio* rotundè *designando*. Sed fraudulentiùs distinguunt alij: *Motionem Divinam* considerari bifariàm; vel præcisè *in se*, & ita ex thesi esse *indifferentem*: vel *relativè*, respectu *annexæ congruitatis* (vt loquitur *Bellarminus*) vel *debitæ applicationis*, vt *Fonseca*, vel *intentionalis dictinctionis*, vt *Suarez*, atq; hîc oriri discrimen, quia eadem (inquiunt) *Eleemosyna* vel *gladius*, non æquè afficiat *satiatum*, aut *securum*, *periclitantem*, aut *famelicum*. Quinimò ex talium circumstantiarum *varie-*

tate, illud eveniat, vt levior gratiæ *impulsus*, plus promoveat. Sed *contra:* Aut congrua ista gratiæ *applicatio*, ex intentione Divinâ referenda est, vel ad ipsam *gratiam solùm*, vel ad liberũ *arbitrium solum*, vel ad *vtrumq́*, ex *æquo*, vel *inæqualitèr*. Si arbitrio hoc concedas, vel totalitèr, vel ex parte, cur *Pelagium* & *Molinam* deseris? sin recurras cum *Mascarenha* ad solam *gratiam*; ea tùm non erit *æqualis*, quià alteri defuit *congrua applicatio*, quam alterius *gratia* inclusit, & ita *suppositum* destruetur. Agnoscunt hîc *Iesuitæ* inæqualitatem gratiæ in genere *beneficij*, sed non in genere *motionis*: vndè *æqualis* (inquiunt) gratiæ *motio* vtrisq; ex *parte Dei* adhibita, ob diversam tamen *obiectorum* dispositionem, & captam à proponente *opportunitatem* diversos effectus producat. Quanquàm miserum sit hoc κρησφυγετον, secluso *gratiæ* beneficio, ad nudam *motionem* confugere, eámq; vice gratiæ incautioribus obtrudere: *motio* tamen hæc *Chimarica* ambulans in vacuo, cujusmodi sit videamus. Si ob diversam convertendorum *dispositionem*, diversus ejusdem *motionis* effectus prodeat; ergò discrimen hoc quodcunq; sit, non à *gratiâ* fluit, sed à recipientis, quę superadditur, *promptitudine*; ergó seipsum *discernit*, ergò habet quod non *accepit*, vndè glorietur. Nec obstat, quod interponunt *Remonstrantes*, Gratiam agere *principalitèr*, voluntatem verò ita *cum*, & *sub* gratiâ, vt effectus gratiæ dicatur, & non *voluntatis*: Pergo enim, aut *concursus* iste voluntatis cum gratiâ *coordinatus* est, aut *subordinatus*: si *subordinationem* agnosnoscant, manus dant; nec opus est ut litem vlteriorem moveamus: Sin *coordinationem* tueantur, parùm refert

Refutatio.

Instantia.

Amotio.

fert cujuscunq; sit *inæqualitatis*, modò confert agens debilius (vt *puer* ad *gigantis* robur in *navis tractione*) quodvis *momentum*, absq; quo fortioris agentis conatus non *succederet*; semper enim recurrit *difficultas*, illud quicquid est *accessorij*, discrimen ponere, vndè qui illud adjecit, seipsum *discernit*, & per consequens aut *Apostolus*, vel *Iesuitæ* & *Remonstrantes* in Errore versantur. *Secundum* argumentum est ab istis locis, quibus *conversio peccatoris* appellatur *creatio*, vt Psal. 51. *Regeneratio*. Io. 3. à mortuis *suscitatio* & *vivificatio*, Ephes. 2. *potens insitio*, Rom. 11. & si qua hujusmodi. Sed ad *creationem*, *generationem*, *vivificationem* à mortuis, *insitionem*, è *creatis*, *genitis*, *vivificatis*, *insitis*, non plus *unus* confert quàm *alius*. Nam ita etiam pro *iustificatione primâ*, *Bellarminus*, lib. 4. de Iustif. cap. 18. *Quemadmodùm* (inquit) *nemo potest opere suo seipsum procreare, aut à morte revocare: sic etiam homo per peccatum mortuus, non potest meritò operum suorum se iustificare.* Ergò cùm nihil hic vel iste conferat ad conversionem, necesse est vt ex *æquali* gratiæ *tractatione*, vel *vterque* veniat, vel *ambo* reluctentur. *Iesuitæ* hanc transiliunt foveam, sed implere conantur *Remonstrantes* in *Colloq. Hagiensi* aggere duplici; 1° à *similitudinibus* hujusmodi argumentum non procedere, quià multiplex, inter *naturaliter* & *spiritualiter* mortuum, occurrit *discrimen*. Deinde *irregenitos* etiam esse in *duplici* conditione; quosdam omnis *vocationis* expertes, qui *mortui* propriè dicuntur; alios veritate aliquâ salvificâ *illuminatos*, & amore quodam affectos. Atq; istos *innatam* nolendi & volendi facultatem (*solicitante* primùm

Argum. Oppos. Pag. 251.

gra-

Refutatio.

gratiâ) in actum producere, alios non. Sed *bullæ* sunt istæ tenuissimorum *flatuum*, quas pueri facilè dissipent. Neq; enim in similitudinibus istis *omnimodam* vrgemus nos *convenientiam*, sed *scopum*: vt *horologium* casu aliquo turbatum, *indicet* nihilominùs *tempus*, sed falsò: vt *pixis* nautica *fulmine*, vel aliàs à *cynosura* aversa, indigitet constanter rumbum *aliquem*, sed *obliquum*, vel *oppositum*; ut *vinum* (sicut inflat *Raymundus* à Sabunde) in *acetum* acescens, *colorem* retinet, & *quantitatem*, sed cum qualitate *edaci* & *noxiâ*: Ità *arbitrium* perlapsum deformatum, liberè vult illud ad quod fertur *bonum*, ad *Bonum* tamen *salutare* non omninò assurgit. Non corrumpitur igitùr (ut rectè *Paulus Ferrius in specimine Theologiæ Scholasticæ*) quoad agendi *radicem*, sed *terminum*: ideoq; licet in cæteris quæ sub *rationis ambitu* continentur (ut appositè se exprimunt *Bohemi* in suâ recentèr editâ *Latinâ confessione*) *libertatem* aliquam retinuerit, aspirare tamen non plus valet ad *salutarem terminum*, vel ad suam *conversionem*, plus conferre, quàm *creatura*, *genitus*, planè *mortuus*, *horologium*, *acus nautica*, *acetum*, ad *integritatem* non habitam acquirendam, vel ad amissam *perfectionem* recuperandam. Deindè vt omittamus quàm destruant *Remonstrantes* gratiam suam *sufficientem* & *universalem*, dum agnoscunt quosdam *irregenitos* vocationis omnis esse *expertes*; Quis præterea vnquam dixerit, finxerit, somniaverit, *irregenitos* etiam esse tales, quibus intellectus & affectus sunt prorsùs *vivificati*, & *voluntas renovata*: tametsi enim gradatim crescat *conversionis* fructus, in instanti tamen (vt cum *Philoso-*

phis

phis loquar) per primum *sui non esse* imprimitur ipsius *forma*. Vnde quæstio non est, An *voluntas* liberè *assentiatur* primo gratiæ impulsui; sed vnde sit iste *assensus liber*, num à *voluntate*, an ab *operante gratiâ*, quæ in solidum illud restituit, vt *prima conversioni* liberè assentiretur; *assensum* enim non negamus; sed illum à gratiâ *effectum* cum *Bernardo* contendimus. *Tertium* argumentum suppeditat *Bellarminus* Arg. 3^m. cap. 12. lib. 1. de *Grat. & lib. arb.* ex adamantinâ istâ *catenâ* ad *Rom.* 8°. inter *immutabile* Dei *propositum*, & *effectum* ipsius *constantissimum*: forma sic erit. *Quod euertit omninò fundamentum prædestinationu*, quam *S. Augustinus* (verbis utor *Bellarmini*) ex *Diuinis literis solidissimè comprobavit*, nullo modo est admittendum. Subsumo; sed asserere *gratiam æqualem* sic duobus esse *internè* oblatam, vt *vni* liberum sit assentire, *alteri* assensum cohibere, disrumpit *catenam Apostoli*, quos *prædestinavit hos vocavit*; & *irritum* reddit *decretum*, quia aliquid saltem ponit in *Iacobo*, *prater*, vel *accessorium* proposito divino, quod illum ab *Esavo* discernit: Ergò non *Molinæ* tantùm, sed *Bellarmini* & *Remonstrantium* interpolatior *Semipelagianismus*, ex eodem fundamento prorsùs evertitur. Dicent, *Propositum* illud Dei *æternum conditionatum* esse, ex prævisione *per scientiam mediam*, moralis cuiusdam persuasionis, cui *præscit Deus* hunc vel illum non repugnaturum, licet ex *arbitrij libertate* possit dissentire. Haud secùs (illustratio est *Cardinalis* ex *Augustino*) *ac si pastor oviaramum viridem ostendat*, vel parens filiolum *nucibus* illiceret, quos novit certò secuturos, tametsi fieri potest vt ista non *Instantia.*

moveant. Atquî loquitur *Augustinus* ibidem, de *externis* tantùm *mediis*, quæ dubitauerit nullus, quin voluntas sæpius reijciat, sed quæstio est de *internâ* gratiæ *efficaciâ*, quæ prædestinationis *decretum* exequitur. Hæc autem an actio *physica* sit dicenda, (vt loquuntur *Dominicani*) vel potius *Divina*, *supernaturalis*, vel *occulta* (cui fortasse aptiùs nomen non occurrit, sicut cautiùs cum *Augustino* nostri ferè statuunt) parùm interest. Verùm vt *moralis* tantùm *persuasio*, ex obiecto *congruè* proposito, quæ sit causa solùm *alliciens* (vt balbutire didicerunt *Recentiores* ex *Iohanne Bacònio*) non *efficiens*, infallibiliter conversionem operaretur, manente tamen semper in convertendo, *arbitrio adoppositum*; fermentum ducimus esse mutuatum ex *Semipelagianissimi* massâ, à quâ nobis sollicitè est cavendum. Nam quis non videt *suasionem* istam, potentiam & vires *præsupponere*, præstandi id *quod suadetur*, in eo qui *suadetur*, quem Scriptura tamen *cæcum*, *surdum*, *mortuum*, convertenti obijcit. Videant autem novi isti *declamatores*, quâ arreptâ *occasione*, aut *medullâ Suadæ*, cæco, vt *videat*, surdo, vt *audiat*, mortuo, vt *vivat*, non adhibitis *alijs mediis*, persuadeant. Adde quòd si vltra *moralem suasionem*, efficacia gratiæ non extendatur, non intelligo quid plus conferat *Deus* ad peccatoris *conversionem*, quàm ad *subversionem*, *Diabolus*. Et quoniam pro eo quo intumescunt acumine, familiare est *Iesuitis* præcipuè, *Patres* et *Scholasticos* in suas partes cogere, *Quasi argumenti* loco, sit judiciũ ipsius *Augustini*, & *Aquinatis*: uorum primus vtcunq; juvenis, adversus *Manichæorum impium Principium*, & *sinistrum fatum*, alicubi

c De grat. Christi ap. 24.

Arg 4um.

cubi arbitrij vires liberiùs extulerit, præsertim ad *Simplicianum l. 1. q. 2. moralem persuasionem*, cui liberè assentimus vel dissentimus, agnoscit. *Senior* tamen (quod *Bellarminus* ipse non diffitetur) constantiùs & meditatiùs asserit, contra *Pelagianos*, Efficacem gratiam à *nullo duro* corde respui, quia ipsa *cor emollit*; de præd. sanct. cap. 8. Operari non tantùm veras *revelationes*, sed & bonas *voluntates*; De *grat.* Chri. c. 24. Ex *nolentibus volentes* efficere, cont. duas Epist. Pelag. l. 1, c. 19. Deniq; ad illud Apostoli, Quis te *discernit*? asserit commentarij vice, de persever. sanct. c. 5. Possit dicere *inflatus homo adversus alterum*, *Discernit me fides mea, iustitia mea, & si quid aliud.* Sed talibus occurrens cogitationibus bonus Doctor, *Quid habes* (inquit) *quod non accepisti? & à quo nisi ab illo qui te discernit ab alio, cui non donavit quod donavit tibi?* *Augustini* insistit vestigijs *Aquinas*, vt præ cæteris prolixè ostendũt *Cumel* & *Nugno*, quod molestum esset delassatis repetere. Vbi autem dissentit *Baconius* Carmelitarum *Doctor resolutus*, concedendo plus quàm par est humanis viribus; monet obitèr *se dubitare an ista opinio possit sustineri.* Quid ad hæc Adversarij? occurrit *Gerardus Vossius*; Augustinum in hac causa, quædam *antiquioribus* attexuisse, quæ *Ecclesia* nunquam probavit. At quænam (quæso) Ecclesia? *Massilienſium* forsan & *Remonstrantium*; quam *Orthodoxa* (vt nuper in *Synodo Dordracenſi*, sic olim in plurimis receptis *Conciliis*) vt *Schismaticam* condemnavit. *Augustinum* autem vnà cum *Aquinate*, dum *fidiculis* contendunt *Iesuitæ* in suas partes torquere; lepidè reponit *Nugno*, se timere

Confer cap. 18. de peccat. Merit. & Remiss. lib. 2.

1. 2. q. 99. art. 2. & quæst. 112. art. 3.

Oppoſit.

Refutatio.

ne *se etiam post mortem vtcunq; in ipsos tam acriter sit invectus*, vt sententiæ *Iesuitice* assertorem producerent. Tam candidè agunt *Loiolitæ* in authoribus citandis, vt *sublecta* ipsorum fides, incipit jam tandem *suis symmistis* vilescere. *Quintum argumentum* intorquet *Ripa* ex *Philosophicis Principiis*, ex quibus constat *causam primam* movere *vltimam*, vt expressè dicit *Aristoteles 8. Phys. text. 33.* Hoc autem si fieret (vt Adversarij docent) motione *simultaneâ*, sic vt prima cum secundis in effectum vt *concausa* influeret: Inanis esset nota illa *Aristotelis* scala, *Quicquid movetur movetur ab alio*, ad causam *primam* investigandam; Cùm in termino ascensus duas *partiales causas* æquè primas inveniremus. Respondet *Bellarminus*, ordinem istum tantùm esse inter causam *primam* & *secundas instrumentarias*, qualis non est voluntas *propriè*, sed solummodò *metaphoricè*; Ieiune. Ac si *voluntates* nostræ non æquè essent Dei *instrumentâ*, & dependerent à *Deo*, vt cæteræ omnes creaturæ, quas *torquet* & *flectit* ad malum (vt alibi fatetur *Cardinalis*) quod tam *crudè* nunquam asseruit *Calvinus*. *Sextum* nostrum argumentum *absurda* nonnulla premit, quæ adversariorum comitantur *thesin*, nec vlla arte possunt eludi: Indicabo tantùm in transitu, quia sentio horam fugere, & dicenda quamplurima superesse. Nam si penes sit liberum arbitrium, *gratiâ vtcunq; operante*, dissentire nihilominùs, & salutarem effectum *impedire*, *sequeretur* 1°. Plus in conversione tribuendum *hominis arbitrio* quàm ipsi Deo, quia Deus tantùm *movet*, at homo *paret*: nemo autem in eo quòd *movetur*, aut *monetur*, bonus est, sed in eo quòd *moventi*

Arg. 5tum.

Oppost. De grat. & lib. Arb. l. 4. c. 15. Refutatio.

De grat. & lib. Arb l. 2. c. 13. & 15. Argu. 6um.

venti aut *monenti* paret; & ita *bonus* esset homo præcipuè, quia *vult*, non quia *Deus* talem fecit, sed *monuit* tantùm vt *esset*. *Sequitur* 2°. omne discrimen filiorum Dei & seculi, esse à *natura*, non *gratiâ*; quia gratiâ recèt vti, (hoc est *consentire*) est *arbitrij*, illud autem à *natura*. Vnde 3°. instò, Cui, quæso, (*Iesuitæ* & *Remonstrantes*) ex vestrâ sententiâ conversionem meam acceptam referam? an *Deo* gratiæ authori? at illa, nisi benè vsa, resilit et excutitur: num *Deo* vt arbitrij, & naturæ conditori? at *natura communis* est, illud quod discernit *speciale*. Vnde 4°. reponerem *arbitrium* non tam Deum se, sed illud Deum elegisse: quia *assensus* meus efficit ex vestra thesi, vt gratia mihi potiùs, quàm alteri esset *salutaris*. Quis autem de se *demisse* aut de Deo sentiet *magnificè*, qui *in se* aliquid inveniat, quod à *gratia* non acceperit; vel in *solum Deum* collocet fiduciam, quam putat non minimâ ex parte, ab *assensu proprio* dependere? Enervat hoc 5°. *preces* & gratiarum *actiones*; nam quid *à Deo petierem*? num *gratiam sufficientem*? at istam, *ex pacto* possideo, vnà cum *hypocritis*, qui non *petunt*. Num *bonum vsum* istius gratiæ? at hic *proprio nixu est* eliciendus, ex innata arbitrij indifferentiâ. Quis autem seriò ab alio *petit*, quod possidet? vel ob illud *gratias* agit, quod non *accepit*, sed *contulit*? *Postremò*, non minus præjudicat arbitrij libertati (vt rectè animadvertit *Nugno*) Iesuitarum *moralis suasio*, quàm *Dominicanorum physica predeterminatio*. Natn positâ Divinæ *præscientiæ infallibilitate* (quam junctim defendunt) de *Iacobo convertendo* et *Esavi* pertinaciâ, vel *Iacobus* est *necessariò* convertendus, vel *non*:

Si nobis libera quædam voluntas ex Deo est, quæ adhuc potest esse vel bona vel mala, Bona vero voluntas ex nobis est, multo magis est id quod à nobis quàm quod ab ipso est. Aug. de Peccat. Merit. & Remiss. l. 2. c. 18.

Vid. Aug. de peccat. Merit. & Remiss. l. 2. cap. 2.

Ibid. c. 6. Quid est stultius, quàm orare vt facias, quod in potestate habes? Idem de Nat. & Gras. c. 18.

si sic, obtinemus quod volumus; si non, falli potest ista *præscientia*, quæ ex thesi statuitur esse *infallibilis*: undè eadem incumbit, tam ex istâ *suasione*, quàm ex illa *determinatione* effectus necessitas; quare si illa *vim* adferat *arbitrio*, quomodò non & *altera*? Cùm ergò adversantium sententia, tot manifestis *Scripturæ* repugnet *locis*, *proposito* Dei quod est secundum electionem *incertum* constituat; terminos â *Patribus* fixos loco moveat; *Scholasticis* sanioribus non *probetur*; cum principijs *Philosophiæ receptissimis* non cohæreat; plaustra invehat *absurditatum*; nec tamen illud quod volunt *expedit*, sed *arbitrium* necessitati subiectum semper relinquat; concludo, *ex duobus æquali gratiâ donatis, si vnus convertatur, alterum eandem consequuturum esse fœlicitatẽ*, ὅπερ ἔδει δεῖξαι; Quod adversus tot opponentium impetus operosius erat astruendum.

9 Argumenta adhuc restant *Adversariorum* tanto facilius expedienda. *Quinque* ponit *Alvarez*; *Ripa* [illegible]; *Nugno* 14. Ipse revoco ad tria capita, *Scripturas*, *Patres*, *Rationem*. Ex *Scriptura* palmarium est illud, *Matth.* 11. 21. Væ tibi *Corazin*, væ tibi *Bethsaida*; nam si in *Tyro* & *Sydone* editæ fuissent virtutes, quæ editæ sunt apud vos, olim in *sacco* & *cinere* sedentes respuissent. Vndè *Suarez* & *symmistæ* ipsius; Eodem auxilio quo *Iudæi* potuerunt pœnitentiam agere, egissent illam *Tyrij* & *Sydonij*, si eis tribueretur: Ergò cum *æquali auxilio stat vnum converti, & non alium*. Huic argumento variè respondent *Dominicani*: Exclamat *Bannes* illud *Pelagianissimum* sapere, quia tribuit conversionem *externis miraculis*; *Cumel* excipit,

Obiect. 1ma.

nil

nil aliud hinc sequi, quàm non tot *obiecturos* fuisse impedimenta prædicationi Christi *Tyrios* & *Sydonios*, quot opposuissent *Iudæi Rispolis* afferit, Christum tantùm *occasionem* ostendisse, quâ *Tyrios* & *Sydonios* convertisset per *internam* gratiam, si *externam* illis dedisset. Nec aliter *Alvarez*, Conversi fuissent ex *auxilio Divinæ* gratiæ, *quod Deus illis misericorditer dedisset, si ea signa apud eos facta fuissent.* Sed non desunt hîc *Iesuitis* quæ satis nervosè reponant: & fateamur necesse est, multa hîc gratis esse dicta, nec *Scopũ* salvatoris attingere. Punctiùs igitur ex *textu* respondeo. Aliud est in *sacco* & *cinere* conceptum dolorem exprimere, & eousq; veram *pœnitentiam* aliquo modo inchoare: aliud & sublimius *quiddam*, per *gratiam efficacem* regenerari, & penitus *converti*. Sic apud medicos corporis, aliud est *humores* noxios *excutere* & *dissipare*; aliud salubriori pharmaco *exhaurire*, & *ægrotum* sanare. Interminatio *Eliæ* terrorem incutit *Achabo*, terror humiliavit, humilitas avertit vindictam Dei pro tempore. *Cilicium* & *saccum* cum *ieiunio* hîc videmus, veram tamen *conversionem* non invenimus. Vndè colligamus inter *reprobos*, alios alijs esse *nequiores*, sic vt vtriq; variè afficiantur ad *Prædicationem* verbi, & *virtutes cœlestes*; illi contemnunt & indurescunt, alij tremunt & aliqua saltèm exhibent indicia *doloris*, et *pœnitentiæ*. Loquitur autem hîc *Salvator*, ut tota indicat contextûs series, de *externo* tantùm *auxilio*, per *prædicationem*, et *miracula*; non de *interno* per efficacem *gratiæ* operationem. Atque ita exponunt hunc locum *Augustinus* & *Gregorius* referente ipso *Suarez*. Gravissima tamen est (quic-

Solut.

quid

quid contra obiectet *Lessius*) ipsius exprobratio in hunc sensum vibrata. Vtcunque deploratæ estis salutis vnà cum *Tyriis* & *Sidoniis*; puderet tamen vos (ô cives *Corazin* et *Bethsaida*) illis *Ethnicis* esse obstinatiores. Certè *verba* mea et *virtutes*, quæ vos vel *susq; deq;* habetis, aut malitiosè fugillatis, in illis saltem *aliquos fructus externos pœnitentiæ* produxissent: quod discrimen vtcunq; non valet ad *conversionem*, valebit tamen ad pœnæ *diminutionem*, quia remissius erit illis in die *iudicii quàm vobis*. Perinde est (inquit *Nugno*) ac si quis *Christianum* corripiens, si *Turca* (diceret) *esses*, *mecum egisses humanius*. Ista igitur omnia citra *conversionis salutaris* terminos, in *moralibus* subsistunt: in his autem *varios* inveniri liberi arbitrij profectus, nemo (quòd sciam) negaverit. *Alterum* attexunt argumentum ex illis locis, quæ *gratiæ sufficienti* oblatæ resistendi *facultatem permittunt*. Vos semper *Spiritui sancto resistitis*, Act. 7. 51. Quoties *volui vos congregare & noluistis*, Matth. 23. 37. vnde argumentum. Si Spiritus Sancti operatio sit *resistibilis* et illi quos vult *Christus congregare*, impedire possint, ne *congregentur*, tum ex *duobus æquali gratiâ constitutis alter converti potest*, & *non alter*: sed verum prius, ergò & posterius. Respondet apositè *Calvinus*, non agi in illis locis de *causis conversionis*, quæ pendent ab intentione Dei; sed de *modo convertendi*, vt promoveatur *externo* hominum *Ministerio*. Resistere igitur *convertendi* possunt Spiritui Sancto, *externè* per *ministros* suadenti, non *internè* per *gratiam efficacem* operanti, et qui sequuntur *irresistibiliter*, pedo *gratiæ* trahentem, ab eodem resiliant

Obiect. 2°.

Solut.

resiliant *fistulâ* tantùm verbi congregante.

10 *Secundò*, è Patribus vrgent præcipuè *Augustinum*, vt in hâc causâ sibi ipsi apertè *repugnantem*. Nam vbi asserit *vniversim*, Deum sinere res agere, pro *inditâ* in primâ creatione *facultate*, motus suos: De civit. Dei lib. 7. cap. 30. quod *illustrat* in *Pharaone* & *Nebuchadnezzar*, cap. 15. & in *duobus* æquè *tentatis*, non eodem successu eluctantibus: l. 12. de Civ. Dei cap. 12. Indè inferrent, *Patrem* illum *acutissimum*, de Ecclesiâ optimè meritum, in peccatoris *primâ conversione* aliquid *humanis viribus* concessisse. Sed expedita est responsio (vt suse ostendunt *Dominicani*) *Augustinus* enim & cæteri *Patres*, arbitrij libertatem adversus *coactionem* solummodò asserunt; Vt *indifferentiam* quam obtinet inter *secundas causas*, astruant; quod non obstat, quin à *primâ causâ*, absque omni *violentiâ*, in rebus ad salutem spectantibus, certò *determinetur*. Nam ita expressè *Augustinus*, *Bona voluntas non ex vobis est, sed ex Deo qui fecit voluntatem*: lib. 12. de C. D. c. 7. *Ab eodem bonus vsus liberæ voluntatis*, 1. Retr. c. 9. *Vndè iustitia quæ ex gratiâ provenit, sic nostra fit vt sit nobis ex Deo*. De grat. & lib. arb. cap. 13. Neque enim *omnem*, in conversione primâ, voluntati negamus *actionem* (vt rectè concludit *Ripa*) sed dicimus *eam actam agere*, sic vt primò habeat à *gratiâ efficaci* vndè agat, cum quâ vt *liberata* potiùs quàm *libera*, statim *coagit*. Et risu dignum est (vt idem ibidem notat) *Iesuitas* tam solicitè, vt hoc oppugnent, testimonia è *Patribus* congerere, quæ nisi *cautè* ab illis explicarentur *contrarium nimis probarent*.

Obiect. 3ª.

Sol.

11 *Tertiò à rationibus* (quas vltimò subijciunt) illa videtur maximi ponderis, quæ *gratiæ* & *liberi arbitrij* (sicut præfert titulus libri *Molinæ*) ex nostris fundamentis, non *componendum* vrget *discordiam*. Forma fiet erit: Opinio quæ tollit concordiam inter *gratiam* & *liberum arbitrium*, sic ut actualis vsus *voluntatis* humanæ, cum *infallibilitate præscientiæ, providentiæ, & prædestinationis* Diuinæ nusquam consistat, non est in Ecclesiâ tenenda: sed talem æstimant nostram esse *sententiam*, quâ totam conversionem *gratiæ* in solum attribuimus, & *effectum*, in *diversis* arbitrij libertate ad *velle* & *nolle* paritis, *æquales* ex *æqualitate* gratiæ concludit. Hunc nodum quia solvere non potuit *Cicero*, (ut habet *Augustinus* l. 5. de Civ. D. c. 9. & 10.) negavit Dei præscientiam. *Scotistæ, Nominales*, & *Carmelitæ* plerique hæc seminant per *prævisionem* quandam, decreto prædestinationis *præcedaneam*, quam *Iesuitæ* decorârunt titulo *Scientiæ Mediæ*, quæ *cuiusmodi* fuerit alias vidimus. Nunc autem quid si respondeam cum *Gregorio Ariminensi, Marsilio, Cajetano*, concordiam istam *captum nostrum* superare? Neque enim necesse est, cùm *mysteria* revelata teneamus, de *modo non revelato* nimium esse importunos. Sed recte occurrit *Ciceroni*, *Augustinus*: Absit à nobis ejus negare *præscientiam, vt liberi esse velimus, quo adjuvante sumus liberi & erimus*. Sed facilius componuntur hanc litem cum *antiquis*, *Nostri simul & Dominicani*. Quanquam necessitas inconcussa *infallibilitatis* & *dependentiæ* in *sensu* (vt loquuntur) *composito*, eventibus omnibus *creatis*, respectu *primæ causæ*: nil obstat tamen quin ex *habitudine*

1 *Sent. d. 39. q. 2. art. 2.*
1 *Sent. q 45. art. 2.*
Ibid. q. 22. a. 2. 20.

dine secundarum inter se *causarum* & *effectuum*, hoc *necessariò*, illud *contingenter* & *liberè* eveniat; quia Deus ita *causas secundas* disposuit, vt sic agerent *contingenter*, vel *necessariò*. Voluntas igitur *conversi*, salutares effectus *necessariò* producit, & tamen *liberè*, gratiâ ipsam *liberante* & *agente*: licèt in sensu *diviso* (hoc est *sepositio* hoc salutaris gratiæ *ductu*) retineat semper *facultatem* vt aliò se *divertat*. Et mirum est (sicut acutè *Nugno*) si voluntas *per se* agat *liberè*, & Deo illam *agente* eadem *liberè* non *ageret*. *Discordiæ* igitur litant, qui hîc desiderant *concordiam*, vbi *creatura* creatoris ductum sequitur, ad agendum *liberè*, vel *necessariò*, prout ipse disposuerit. Et ita habetis quæ de *controversia* hâc *implicatissima* in unius Lectionis *compendium* potui redigere. Deus Opt. Max. ita *velle* det nobis & *perficere*, vt nosmetipsos *abnegantes*, in ipsius gratiâ & misericordiâ solùm acquiescamus, per Iesum Christum Dominum nostrum, Cui cum Patre & Spiritu Sancto sit omnis laus & gloria in secula seculorum. Amen.

dine secundarum inter se *causarum & effectuum*, hoc *necessario*, illud *contingenter & liberè* eveniat; quia Deus ita *causas secundas* disposuit, vt sic agerent *contingenter*, vel *necessariò*. Voluntas igitur *conversa*, solutarcs effectus *necessariò* producit, & tamen *liberè*, gratiâ ipsam *liberante & agente*: licèt in sensu *diviso* (hoc est *sepposito* hoc salutaris gratiæ *ductu*) retineat semper *facultatem* vt alio se *divertat*. Et mirum est (sicut acuté *Nugno*) si voluntas *per se agat liberè*, & Deo illam *agente* eadem *liberè* non *ageret*. *Discordiæ* igitur licitam, qui hic desiderant *concordiam*, vt i *creatura* creatoris ductum sequitur, ad agendum *liberè*, vel *necessariò*, prout ipse disposuerit. Et ita habetis quæ de *controversia* hâc *implicatissima* in unius Lectionis *compendium* potui redigere. Deus Opt. Max. ita velle decuobis & *perficere*, vt nosmetipsos *abnegantes*, in ipsius gratiâ & misericordiâ solùm acquiescamus, per Iesum Christum Dominum nostrum, Cui cum Patre & Spiritu Sancto sit omnis laus & gloria in secula seculorum. Amen.

LECTIO V.

IN VESPERIIS COMITIORVM habita Oxon. Iulij 8. Ann. Dom. 1620.

De Iustificatione.

ROM. 9. 11, 12.

11 *Cùm enim nondùm nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali; ut secundùm electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante.*
12 *Dictum est ei, Quia maior serviet minori.*

ILlustris est ille Concilij *Arausicani* secundi canon 12us. *Tales nos amat Deus, quales futuri sumus ipsius dono, non quales sumus nostro merito.* Quod patet in *duobus pueris* hoc in textu propositis, *Maior serviet minori*, non quià *minor* per se præstantior, aut *maior* despicatior: sed quia *vocanti* ita placuit, priusquàm illi fuerunt, ut operarentur, quò pla-

placerent. Quærit *Augustinus* tom. 7°. lib. de *bono perseverantiæ*, cap. 8°. *cur in vnaeâdemque causa tàm diversum sit iudicium?* Et respondet hoc modo; *Nonne similis quæstio est, cur in diversa causa idem sit iudicium? Recolamus illos operarios in vineâ, qui toto die laboraverunt, & illos qui vna horâ; nempe causa diversa est impensi laboris, & tamen idem iudicium in redditione mercedis. Numquid & hic audièrunt murmurantes à Patre-familias, nisi hoc volo? Ita quippe eius erga alios fuit largitas, vt erga alios nulla fuit iniquitas. Et isti quidem vtrique in bonis sunt. Verùm quantum ad iustitiam spectat & gratiam, potest & de reo, qui liberatur rectè dici, volo: Potest & de eo qui damnatur, tolle quod tuum est, & vade: Huic autem volo quod non debetur, donare. Annon licet mihi facere quod volo? An oculus tuus nequam est quia ego bonus sum? Hic ille si dicat; cur non & mihi? Meritò audiet, ô homo, tu quis es, qui respondeas Deo, quem certè in vno vestrum benignissimum largitorem, in te verò exactorem iustissimum, in nullo tamen cernis iniustum? Cùm enim iustus esset, etiamsi vtrumq; puniret; qui liberatur, habet, vnde gratias agat; qui damnatur, non habet quod reprehendat.* Ex quibus liquidò infertur quod in sequenti cap. 9. idem Pater subijcit, ex *duobus parvulis originali peccato pariter obstrictis, cur ille assumatur, ille relinquatur; & ex duobus ætate iam grandibus impijs, cur iste ita vocetur, vt vocantem sequatur, ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur, vt vocantem sequatur, inscrutabilia sunt iudicia Dei. Ex duobus autem pijs cur hic donetur perseverantiâ usque ad finem, ille autem non donetur,*

donetur, inscrutabilia sunt iudicia Dei. Illud tamen fidelibus debet esse certissimum, hunc esse ex prædestinatis, illum non esse. Ita omne os obturetur, dum hic figulus τὸν πηλὸν jus suum exercet in suum lutum, *Non volentis est, neq; currentis,* sed cujus *vult* Rom. 9. Rom. 11 36. *miseretur, & quem vult indurat. Nam ex eo, & per eum, & in ipsum sunt omnia,* ne intumescat creatura, sed quicquid possidet boni, gratiæ in solidum acceptum referat. Ab hujus autem gratiæ *fonte*, ad *dispensationem* hactenus descendimus, in qua occurrit 1° ipsius *extensio*, 2° *efficacia*, 3° *duratio*. Quoad *extensionem* ostendimus eam sub ratione *subiectorum*, non esse *universalem*. *Efficacia* deinceps in *duobus* se exerit, 1° in *peccatoris conversione*, 2° in *conversi iustificatione*. Conversionis exhibuit *specimen* spinosissima illa superiori anno eventilata quæstio, *An ex duobus æquali gratiâ constitutis, alter convertatur & servetur, alter resistat & pereat.* Succedit igitur hodie *Iustificatio* ab eisdem argumentis eâdem methodo vindicanda. Ubi non opus est *Ariadnes* filo, dum *Apostoli* Rom. 8. adsit catena; Quos *prædestinavit eos vocavit, quos vocavit, eos etiam iustificavit*, & quia *Iacobum* hic dilexit, *Esavum* autem odio habuit, concessit *minori* in tempore, ut per *iustitiam*, quæ est ex fide, *maiori* anteponeretur. Ita à *decreto* ad ejus *exequutionem*, à *prædestinatione* & *lapsu*, ad *Iustificationem* progreditur *Doctor gentium*, ut patet hujus capitis versibus 20 & 21. Cujus nos vestigijs, det *Pater luminum* per *Filium* ipsius *splendorem*, ut pie & cum fructu insistamus.

2. Ac ut paulò altius securim ad radicem admoveam, cùm

primi

primi Parentes post lapsum proprię nuditatis conscij, in *dumeta* se recepissẽt: primò subijt tremulis de hoc *articulo* cogitatio, quomodò se advenienti *Domino* sisterent; vbi non alia affulsit nisi ex *promisso semine* consolatio. Quid cruentum illud inter *primos fratres* dissidium? Ortumne existimabimus de finibus regundis, aut ut illud inter *Discipulos, quis esset maior?* Nihil profectò minùs. Sed *Abel* (inquit *Apostolus*) per *fidem, maioris precij sacrificium obtulit Deo, quàm Cain, per quam testimonium obtinuit, quòd esset iustus, testimonium perhibente Deo de donis eius, & mortuus adhuc per eam loquitur.* Vt paucissimis constet de hujus doctrinæ in *Veteri Testamento progressu*, sint istæ fixæ nobis periodi, 1° quæ *ante* captivitatem *Babylonicam*, 2° quæ *post*, usque ad adventum *promissi semininis* invaluissent corruptelæ. Ante captivitatem, *Iustificationis fidem* orthodoxam triplex oppugnavit oberrantium phalanx: *Primò* cæremonijs implicati *Mosaicis*, tanquàm ex *opere operato*, non vlterius nucleum attendẽrunt, sed *umbris* tantùm innixi, *iustificationem* sibi confinxerunt planè *umbratilem*. Hos severè corripit *Psalmista* Ps. 50. vnà cum *Isaiah*, cap. 1° & 58, & *Hieremia* cap. 7. 22. 23. Erant *secundò* alij, qui *cultus electitios*, & *opera supererogationis* sub opinione *meriti* cumulabant: Quos præ cæteris refellunt, *Michaias* cap. 6. & *Ezechiel* cap. 20. & sequentibus. Nonnulli *tertiò* speciosius *iustitiam* ex lege Morali *salvificam* expectabant: adversus hos etiam operæ pretium est observare, quàm obnixè insurgunt Prophetæ. *Davidem* hîc habemus vndique *confitentem* reum, *carnem nullam* illis modis in *conspectu Dei* iustificari,

Gen 3. Gen. 4.

Luc. 22. Heb. 11.

Chemnitius loc. part. 2. pag. 236.

Vid. Esa. 53. 3. 4. 5.

stificari, Psal. 142. Excluſis igitur vel ſpecioſiſſimis propriæ iuſtitiæ *apologÿs*, miſericordiam implorant, propter *nomen Domini* Ps.25. propter *ſeipſum* paſſim petit *Eſaias*, למען ארני propter *Dominum*, *Daniel* cap.9. Et quàm illuſtre eſt illud *Ieremiæ*, pactum vetus *irritantis*, & de nouo *Evangelizantis*, cujus hæc eſſet ſumma, *propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor amplius cap.*31. Vnde *Ezechiel*, Dedi eis *præcepta non bona, & iudicia in quibus non vivent* cap.20.v.25. Rationem attexit *Apoſtolus*; quia concluſiſſet *Scriptura* omnia ſub peccato, vt promiſſio *ex fide Ieſu Chriſti daretur credentibus* ad Gal. 3. Poſt *captivitatem* verò *Babylonicam*, quale *deliquium* paſſa eſt hæc doctrina, æſtimet quiuis (ὡς ἐν πίνακι) vel ex libris *Apocryphis*, in quibus *rara* ferè, aut *nulla ſeminis promiſſi* intercurrit mentio; ſed *moralia* tantùm ingeruntur, ac ſi *prora* ſalutis et *puppis*, in iſtis ſolummodò verſaretur. Et quid aliud adducit *Philo Iudæus*, ſuorum cenſu doctiſſimus, præter vertiginoſas quaſdam *Allegorias*, & anilem *Cabalam*; quæ *quóvis* potiùs nos ducunt quàm ad ſalutis *portum*? In libro quem ſcripſit de *victimis*, ne minima quidem occurrit iſtius *victimæ* quæ *Patris iuſtitiæ* ſatisfaceret adumbratio. *Patriarcharum* charitatem, *Gentis* prærogativam, pœnitentium *profectum*, vt totidem apud Deum advocatos, alibi ingerit; At de promiſſo omnibus *Meſſia*, de *Shiloh*, de *Angelo fœderis*, de *radice Ieſſe*, de virginis filio *Emmanuele*, et *lapide angulari Sionis*, altum apud eum ſilentium. Nec mirum: Obtinuiſſet ſiquidem vbivis tunc temporis inter populares ſuos, hinc

Phariſæorum è *propria puritate* elatio, illinc *Sadducæorum* incredulitas plus quàm *Ethnica*; vt illum quem ſtupuerunt *loquentem*, vltra humani ingenij aleam, rectiùs *inſtituentem* non ferrent. Quin et adhuc ita inficit iſtam maſſam *fermentum Phariſæorum*, vt *Meſſiam*, quem tantis hodie expoſcunt *vlulatibus*, non vt redemptorem expectant à *peccato*; ſed ex *Gentium*, quibus inſerviunt, temporali iugo.

3 In novo Teſtamento, vt *Servator* hanc doctrinam in integrum reſtituit, & præcipuè inculcavit, in celebri iſta de *Phariſæo* & *Publicano* parabola Luc. 18. in quovis ferè cum *Phariſæis*, *Sadducæis*, & *Scribis* congreſſu, qui de *Moſe*, de *lege*, de *ſemine Abrahæ*, de *magno mandato* interceſſerat, & privato cum *Diſcipulis* colloquio *Matth.* 19. 20. & *Luc.* 17. Quemadmodum etiam *Apoſtoli*, hoc *depoſitum*, adverſus *legis ceremonialis miſturam*, in Concilio *Hieroſolymitano* Act. 15. adverſus *operum iuſtitiam*, ad *Romanos*, & *Galatas*, adverſus *Philoſophorum* argutias, ad *Coloſſ.* 2, & paſſim alibi, ſartam tectam conſeruârunt: ita nunquam deſtitit *Satan* novas copias armare, qui partim *occultis* cuniculis, partim *apertis* Epicuriſmis, hos illimes turbarent fontes. Atq; hinc eſt quòd ſicuti priores *Pauli Epiſtolæ*, gratuitam per Chriſtum *electionem* et *iuſtificationem* ex ſola *fide* vrgent prolixiùs: ita poſtiores *Iacobi*, *Petri*, et *Iohannis*, dilectionem, et novam obedientiam premunt arctiùs, ne vice *libertatis* Chriſtianæ, invaleſceret carnis *licentia*, et *Evangelium* non tam cœli *anguſtam* portam, quàm nequitiæ *clauſtra* laxaret. Notum eſt quomodò primis ſexcentis annis, *Simon Magus* Epicuriſmum ab orco

Chemnit. vbi ſupra pag. 38.

orco reuocavit, impudentèr asserens, *liberum* esse hominibus vt agerent quicquid vellent (teste *Theodoreto* de *Hæreticorum fabulis*) *Valentiniani* opera quæcunq; *bona* vt *Psychicis*, non suis *spiritualibus* necessaria, àversabantur (referente *Iræneo*) *Eunomius* quoduis indulget scelus suis *sectatoribus*, apud *Hieronymum* in 4. cap. *Oseæ*. Astutiùs *naturæ vires* adversus *gratiam* et *fidem*, vnà cum suis asseclis, astruit *Pelagius*, apud *Augustinum*, *Prosperum*, *Fulgentium*, et alios. Nec defuerunt scripta *supposititia*, fabulis et nænijs turgida; in quibus nomina *fidei* et *Iustificationis* frustra quæsieris. *Proto-Evangelium* quod circumfertur *Iacobi*, remissionem peccatorum in frontispicio tribuit *eleemosynis*. Apud *Hermæ pastorem*, rarissimè occurrit vel ipsius *Christi* mentio. *Dionysius* iste *Pseudo-Areopagita* ita totus est in *Hierarchijs* (nescio quibus) *Angelicis*, et *Ecclesiasticis*, vt vix sententiam aliquam de *Iustificatione* obiter admisceat. *Ignatij*, *Polycarpi*, *Martialis* (et si quæ aliæ) ejusdem *monetæ* sunt *Epistolæ*. Incassum *rusparet* quispiam hujusmodi *sterquilinia*, vt *gemmas* alicuius pretij offenderet. Has autem qui declinarint sordes *Patres seniores*, incommodè sæpiùs sunt loquuti, vel quia attemperarunt nimiùm hanc doctrinam *Philosophorum* salivæ, ne primo aspectu videretur *solutior*, et disciplinæ severioris *habenas* nimiùm laxari. Vndè de *operibus*, hyperbolicè plerunq; loquuntur, vt populo *veternum* excuterent, et *studium* bonorum operum accenderent, Defuit deinde illis secundò inter *Iustificationem* et *Sanctificationem* accurata distinctio; vnde *legis* sæpè cum *Evangelica*,

Lib. 1. cap. 4. Vid. Bell. lib. 4. de notis Ecclesiæ cap 9.

confundunt iustitiam. Nec ausi sunt tertiò *humanis viribus* nimiùm detrahere, ne naturæ potiùs *hostes*, quam *medici* audirent. Postremò de gratiæ *inhærentia*, & *imputatione*, non tam necessaria istis incubuit solicitudo, quià nondum *Satan* suas *machinas* ad istos parietes movisset. At postquam semel in *Pelagianismo*, exeruisset se hoc *serpentis caput*, studiosiùs *gratiam* extulerunt, & *opera* parciùs. Nam multa ad fidem pertinentia (vt rectè habet *Augustinus*) dum hæreticorum *callidâ inquietudine* exagitantur, et adversùs eos *defendi possunt*, et considerantur *diligentiùs*, et intelliguntur *clariùs*, et instantiùs *pradicantur*, et ab *adversario mota quæstio*, *discendi existit occasio*. Ergo in *Iustino Martyre*, *Irenæo*, *Cypriano*, *Tertulliano* *sparsim* quædam occurrunt, ad hanc *doctrinam* stabiliendam spicilegia. Sed *Hieronymus*, *Augustinus*, *Gregorius magnus* (et istarum partium reliqui) excitati à *Pelagio*, accuratiùs ingerunt quid tenendum, & cautiùs præcipiunt quid declinandum. Post *sextum* tandem *seculum*, excreviſſent *Antichristi* cornua; *primatus*, *ceremonia*, *bella*, omnem implésſent paginam, donec tandem ad *Monachos*, et *Scholasticos*, totum religionis negotium erat devolutum. Isti verò *superstitionibus* potiùs et *subtilitatibus* litabant, quàm textûs simplicitati: *Paulus* cessit *Aristoteli*, et *gratia naturæ*. *Lombardus* aliud agit, *Halensis*, *Albertus*, et *Aquinas* de *iustitia inherente*, de *præparationibus*, de *merito vtrumnosè* philosophantur, pro *temporum* et *institutionis* ductu; ita tamen vt per *dilucida* quædam *intervalla*, quod res est fatentur. *Remigius*, *Bernardus*, et *Anselmus*, arctiùs *texui* et *Patribus* adhæ-

De Civit. Dei l. 16. cap. 2.

rescunt.

rescunt. Et vt *generatim* de totâ istâ inter *Gregorium* & *reformationem* intercapedine pronunciem; saniores plerunq; omnes fuerunt in *commentarijs*, quàm *disputationibus*, in *meditationibus*, *soliloquijs*, & tentationum *luctâ* (vt de *Bonaventura* & cæteris rectè affirmat *Chemnitius*) quàm *Polemicis*. Imò quadriennio ferè ante *Concilium Tridentinum*, ita justo tractatu asseruit orthodoxam de *Iustificatione* doctrinam, *Cardinalis Contarenus*, vt fœlici ipsius propagationi, (*veneno* vt creditur *sublatus*) non diù supervixerit. Præ cæteris *Scotus* & *Scotista de viribus humanis*, de *merito congrui*, & *condigni*, de *præparationibus*, de virtute *gratiæ inhærentis*, de *fide* acquisita et informi, noxia sparserunt *zizania*, quæ neglecto puriori *tritico*, studiosiùs reposuerunt *Tridenticolæ* in *Pontificis* horreum; vt impleatur illud quod dictum est per *Prophetam* ἐσκοτέσθη ὁ ἥλιος *obscuratus est Sol*, & aër à *fumo putei*, *Apocalyp.* 9. dum doctrina *Christi*, & *Apostolorum* de *præcipuo* salutis *articulo*, synagogæ istius pestiferæ subiit *Anathema*, § 6ta.

Loc. part. 2. pag. 244.

4 Sed misertus tandem *agnus* sponsæ, *Lutherum*, *Zuinglium*, *Calvinum*, & cæteros ejusdem *classis* (quasi ἀπὸ τῆς μυχανῆς) demisit è cœlo *Heroas*, qui inter purgandum *Augæi* illud *Romanæ* superstitionis *stabulum*, hujus articuli puritati præcipuè prospexerunt. Obstitêrunt hisce *principijs Antinomorum*, *Osiandri* & *Saxonicorum* de abrogatione legis *moralis*, de justitiæ *essentialis* imputatione, de *præsentia* & non *efficientia* operum in salutis negotio, *intempestiva* rixæ. Sed facilè posteà vel coaluerunt, vel evanuerunt. De justitia etiam *activa* & *passiva* Christi (an

Apud Schlusselburgin. Catalog. Hæret. vid. Colloquium Altenburg.

passiva tantùm, vel *utraq;* imputetur, & apprehendatur) fervor qui cœpisset incalescere, partim *Regis doctissimi* divino moderamine, partim dissidentium moderatione *fraterna*, facilè deferbuit. Soli ergò restant hodiè, qui adhuc hanc *arcam* salutis impetunt, *Iesuita*, *Sociniani*, & ab eorum putredine nati, *Remonstrantes*. Iesuitæ, *Tridentinorũ hyperaspistæ*, seu potiùs *hamaxaryj* in *tribus* hîc à nobis dissentiunt, in fidei justificantis *obiecto*, *subiecto*, & *actu*. Objectum fidei extendunt ad omne Dei *verbum*, ne *traditiones* illorum aniles, *Ecclesiæ præcepta* superstitiosa & tyrannica, omni prorsùs fundamento destituerentur. Ejus sedem figunt in *voluntate*, tanquàm in adæquato *subiecto*, ut ipsi *cor* & *intellectum* eo liberiùs dementent. Quem in finem *notitiam* etiam omnem excludunt; *fiduciam* verò in *Christi* promissiones, cane pejus & angue detestantur, & vbivis expungunt, per *indices* suos *expurgatorios*. Sufficit siquidem ipsorum *proselytis* sine cerebro, sine sensu, *assensus*. Prædicatur *Carbonarij fides*, qui credidit vt *Ecclesia*, ignorans penitùs, vel quid *esset Ecclesia*, vel quid credidit, imò *quid* ipsum esset *credere*. Quarè *fidem* meliùs per *ignorantiam* definiri contendit *Bellarminus*, quàm per *notitiam*. Nam si vulgo semel innotesceret, *fiduciam* in Christi *merita*, solummodò pro tribunali Dei nos justificare, actum statim esset de *purgatorio*, de tot indies *divenditis missis*, pro vivis & mortuis. Quid opus esset *invocatione Sanctorum* & *Imaginum cultu*? Cui vsui inservirent *Fraterculorum* vota, aut *thesaurus Ecclesiæ*, si *sola fides* id gratis præstet, quod tanto pretio pollicentur *indulgentiæ*? Viderunt hoc *Publicani* fisci

Inter P. Molinæum & Tilenum. &c.

Lib. 1. de iustif. cap. 7.

fisci *Papalis*, ideoq; non tam nostram sententiam improbant, quàm suo *abdomini* consulunt. *Sociniani* impudentiùs negant *Christum* pro peccatis nostris *satisfeciſſe*, & vbivis asserunt *Patrē, liberâ cōdonatione*, sive remissione, nos propter *Christum* in gratiam recepisse. Passim hoc spargitur venenum apud ipsum *Socinum* in libris de *officio Christi* & *prælectionibus* Theologicis, in *Ostorodij* institutionibus, & *Gitichij* synopsi, quibus antidotum exhibuerunt *Lubbertus*, *Winterus*, *Fortus*, *Lucius*, & antè hos omnes vbivis ferè in *Commentarijs* in *Epistolas S. Pauli Pareus*, & ipsius compilator in *Anti-Socino Lavaterus*. In eosdem exacuit stylum vt *Socinianissimi* suspicionem amoliretur *Hugo Grotius*, sed prævaricantem aliquoties vellicat in censurâ *Ravenspergerus*; & declinantem potiùs quam repellentem *Socini* ictus (qui respondet illi) *Io. Crellius Socinianista*, *Arminiani* postremò succedunt, istis nihilo in hoc præsertim articulo *saniores*. Inter hos autem quosdam obserues *crassiores*, quosdam *cautiores*. Nam quale est illud Adolphi *Venatoris*; Salus *non potest alligari historicæ* de *Iesu morte*, & *passione fidei*. Vndè infert ipsos Ethnicos non per fidem in *Christum* quem ignorârunt, sed per fidem in *Deum*; quâ in extremo vitæ agone *exclamârunt*, *O ens entium miserere mei*, salutem fuisse consequutos. Eisdem scatet blasphemijs *Welsingius*, in libro de *officio hominis Christiani* (vt sedulò annotavit *Festus Hommius in controversiarum Belgicarum specimine ad articulum* 22.) Idem (vt videtur) sensêrunt reliqui, sed speciosiùs incrustant. *Fides* (inquit *Arminius*) *iustificans* non est *quâ* quis credit propter *Christum* remissa esse peccata.

Vide declarationem modestam Belgorum P. 2. 258.

cata. *Arminio* minimè placuit (ait ejus interpres *Corvinus*) quòd fides dicitur *instrumentalis* justificationis nostræ *causa*. Bonâ igitùr fide dic *Armini*, pro tuo acumine, quâ ratione fides justificat? τὸ credere, hoc est, *actum fidei* (dicit) *imputari* in *iustitiam*, idq; proprio *sensu*, non *metonymicè*, quatenùs *obiectum apprehendit*, in Ep. ad *Hippolytum* à Collibus *Principis Palatini* legatum. Num igitùr omninò excludis *Christi iustitiam*? Nequaquàm (inquit) quia vt fides est *obiectum imputationis*: ita *Christi obedientia* est *causa iustificationis impetratoria*, seu *meritoria*, cùm *Christus* cum *sua obedientia* sit *obiectum fidei*: Fides igitùr in hoc negotio consideranda est, (*thesis* est 5ta de iustificatione *Simonis Episcopij*) non tanquam *instrumentum*, apprehendens *iustitiam* hanc quæ *imputatur*, sed tanquam apprehendens *Christum Iesum*; per quem justitia ista *impetrata* est. Non enim (vt habuit thesi *præcedenti*) *iustitia Christi* est propriè *id quod imputatur*, sed *id propter quod imputatur* nobis in ipsum credentibus *iustitia fidei*. Hoc ipsum est quod paucioribus in *catalogo* errorum *Sibrandi*, complexus est *Vorstius*. Fides imputatur *immediatè*, & *formaliter*, meritum Christi *mediatè*, & *effectivè*. Vbi per fidem vlteriùs ostendit se *observationem Christianismi* solummodò *intelligere*, quia *credere* idem est quod *observare* Christi præcepta. Nec dispuduit tandem concludere, *fidem iustificantem* illam esse *inhærentem iustitiam*, quam *Papistæ* vrgent. Ecquid mirum igitùr est *Malderum Episcopum* Antuerpiensem in *Antisynodicis* cap. 6. ita *Remonstrantibus* caput demulcere, vt ad *Pontificiorum* vomitum in hoc

hoc *articulo* ferè relapsis, & ipsorum partes adversùs *Contra-Remonstrantes* tueri? Hanc sententiam *meritum Christi* excludere, agnoscit in Epistola ad *Lubbertum*, *Bertius*. Vndè loco *satisfactionis* per Christum, subdolè obtruditur, juxtà eundem, *fidei acceptilatio*. An ergò *Remonstrantes* dubitant de Christi *deitate*, & *satisfactione*? Respondet *Cupus Arminianista Taurino* (referentibus *Ministris Belgicis*, in *Christiana & modesta declaratione*) *etiam, & non solùm de illis, verùm & de divinis sacræ Scripturæ.* Quod vt blasphemum *Socinianorum* hæresin, *Smiglesius*, & *Sandeus Iesuitæ*, meritò detestantur, & refellunt. Videtis (*Patres* & *Fratres* in *Iustificationis* consortio fœliciſſimi) quomodò inter *Ethnicismum*, *Phariſaismum*, *Papismum*, *Ieſuitiſmum*, *Socinianiſmum*, demùm & *Arminianiſmum*, periclitata ſit hactenùs hæc *doctrina*. Noſtrum eſt *fœnum*, & *ſtipulam* ab *auro*, roſam à *ſpinis*, triticum à *paleis*, ſecernere, & pro *gratia* per *Chriſtum conceſſa*, ſuperioris *narrationis* prolixitatem, gratâ quâ fieri poteſt in ſequentibus, brevitate compenſare.

5 *Benedictionis loco vobis ſufficeret* (*dilecti* Benedictio. Filij) *juſtificantis fidei explicatio. Quid enim beatius eſt, quam* peccata *noſtra* remiſſa *eſſe intelligere, & quod adverſus nos erat* chirographum *per Servatoris* ἀνάλυσιν, *ſpongiâ quaſi inductum, ob oculos ſemper habere? Beatum ſe exiſtimat* reus, *ad judicis* abſolventis *ſententi-*

am, exultat obæratus ad sponsoris liberantis conspectum. Per fidem de futuris benedixit Isaacus Iacobo & Esavo, per fidem etiam Iacob singulis filijs Ioseph benedixit, ad Heb. 11. tàm benedicentis votum, quàm quod in optatis habet benedictus, incassum diffluit absque fidei auctoramento. Fides manus est quâ apprehendimus illam salutis tabulam, per quam è Syrtibus desperationis enatamus. Iustificatio principium & cardo est (vt ingenuè cum Pighio agnoscit Bellarminus) à quo pendent, vel in quo versantur, omnes inter nos & Pontificios controversiæ. Illam igitur & istam, tàm indignis modis à tenebrionibus habitam, in lucem absque fuco protractam, & nitori innato restitutam conspicere, quis non seriò triumpharet, qui suam rem indè agier animadvertit, vt gratis plura consequatur, quàm vel traductâ, vel contractâ labe miserè perdidisset? Cum lucernam accendendo, verrendo, & singula accuratè perlustrando, inveniisset mulier drachmam deperditam, Luc. 15. congratulamini (ait) mihi, nam inveni drachmam quam perdideram. Latuerat hæc fidei drachma, nimiùm diù, sub immenso superstitionum & Idolomaniæ cumulo; ita vndiq;

De Iustif. lib. 1. cap. 4.

con-

congerebantur fœnum & stipula, *vt rimula vix restabat ad hac argentum effodiendum*; Gryphes *qui incubabant huic thesauro, lapicidas & fossores suis vnguibus deterrebant. Pro* fide *invaluisset* meritum, *pro* justificatione justifactio, *pro* gratiâ *cœlitùs* infusâ, *inhærens* qualitas, *sub scamno (vt loquitur* Lutherus *) conculcabantur sacra Dei* oracula. *Accessit & vltimus* Satanæ *conatus, vt fides objecto satisfactionis* destituta, *tanquam* nomen *sine* re *substrata, in paucorum hominum* obtutibus, *tanquàm* Idea Platonica *volitaret. Lucernâ hâc accensâ, verrit mulier* Ecclesia, *idq; scopis non* dissolutis, *sed cœlesti manu* colligatis, *& exporrectis, & invenit tandèm quod quærit; Et nonne copiosa hæc satis ad* amicos convocandum & gratulandum *materia? Sanè, nisi* fides nostra, *(vt* testudinis *alicujus* fides *) quâvis aeris mutatione* flaccesseret, *non interturbarent* Corybantûm clamores *tantæ benedictionis* harmoniam. *Veruntamen cùm venerit* filius hominis, *num reperturus est* fidem *in terris? In* paucis *certè est repertu-* Luc. 18.
rus, quò impensiùs nobis enitendum est (dilecti Fili*) vt illorum paucorum augeamus numerum. Nam licet*

Τρέμει δ' ορη, καὶ γαῖα, καὶ πελώριος.
Βυθὸς θαλάσσης, κωρέων ὕψος μέγα,
Οταὶ ἐπιβλέψῃ γοργὸν ὄμμα δεσπότου.

vt loquitur apud Iustinum Martyrem, Æschylus, *Cùm attollat* Dominus severa lumina, Oceanus ingens & gravis tellus tremit; montes subsiliunt vt arietes & colles sicut agni ovium. *In hoc tamen* misericordiæ *tribunali, vel avertet oculos, ne videat quod vindicet, vel palpabit (cum cæcutiente* Isaac) *vt ex* vestibus dilecti Filij, *quibus venimus induti, non ex* voce propriâ, *quâ tanquam* sorices *prodimur*, Iustificationis *ferat sententiam. Ergò pro* titulis, *aut* cathedris, *aut* latifundijs, *(quibus plurimi se* beatos putant) *ego hoc* fidei depositum *vnicè & solicitè vobis commendo. Vt benedixit* Iehovah Obed-Edom, *& vniversæ domui ipsius propter* arcam Domini, 2. Sam. 6. *Ita qui* fidem *gratissimo acceperit* hospitio, *in communi* penuriâ *ex domini* horreis *saginabitur; non deficiet* farinæ hydria, *vel* olei, *si cum*
2 Reg. 17. *viduâ* Sareptanâ *in* Dominum *promittentem*
2 Reg. 19. fiduciam *collocet. In fortitudine hujus* panis subcineritij, *quadraginta dierum & noctium conficiet iter. Contrà hoc* Moly, *non valebunt,*

vel

vel hominum incantamenta, *vel inferorum* portæ. *Vili emit hunc* thesaurum, *vel* margaritam, *qui agrum in quo latet, comparat, vel omnium* mundanorum *dispendio. Ista igitur si teneatis (dulcissimi* Filij) *&* ἀκαίρως *&* εὐκαίρως *fratribus teneris inculcetis, venient super vos vniversæ* benedictiones, *quas vel* Deus *pollicitus est* populo, *vel* Patriarchæ *posteris:* Benedicti *eritis in* vrbe, *&* benedicti *in* agro, *benedicti in piorum* consortio, *&* adversus *hostes* fœlices. *Aperiet* Dominus thesaurum *suum optimum, vt* abundare *vos faciat rebus omnibus, &* eritis *in* caput, *et non* in caudam; *supra non* subter, *quia* Iehovah *recubare vos faciet in tugurijs* germinis, *iuxta aquas* requierum. *Si descendant* nimbi, *veniant* flumina *longè latèq; omnia corripiant* turbines, *non concutietur super* talem petram *fundatum ædificium. Cum* amici *pedem referunt,* divitiæ *dissipantur,* Iurisperiti *&* Medici *nil possint, sub* crucis, Satanæ, *et tandem ipsius* mortis *extremo discrimine,* sola fides *iudicem adibit. &* advocatum *aget, interponendo* Filij meritum, *inter* Patris iram, *&* peccatoris *miseriam. Atque hæc est* generatio quærentium *te,* quærentium

Deut. 28.

rentium tuam faciem O Deus Iacob. *Quarum internas, & æternas,* benedictiones, *candida & generosa vestra* pectora, *pleno sinu accipiant;*

6 *Inter* Medicos & Iurisconsultos *omnia video (vt in domo* Marthæ & Mariæ) *ob defunctum* Lazarum *conturbata, &* Domina (*inquit* Iurisprudentia Medicinæ) *si tuas egisses partes,** Professor *meus non fuisset* mortuus. *Sed muliebres sunt isti planctus; Beati illi qui moriuntur in* Domino, *et benedicti qui sic vivunt vt ita moriantur. Vlcus hoc propter* * vicinum damnum *non video nimium attrectare, ne aliquid quod non deceret, effutiret affectus. Quo festinantiùs ad vos descendit* benedictio (Egregij *in Artibus* Inceptores). *Nam vbi desinunt vestræ scientiæ, ibi* incipit *nostra* fides: *Nec latè se expandunt nostræ* arbores, *nisi* transplantatæ *fuerint è vestris seminarijs. Quanquam enim* fides *non habet* meritum, *vbi humana ratio præbet experimentum,* (*vt rectè* Gregorius) *& ioble* argumenta *vbi* fides *quæritur,* (*præcipiente* Ambrosio) *non excludit tamen, sed perficit philosophiam,* Theologia, *quæ tum* habenda *est* liberrima, *cum*

* *Doctissimus vir Iohannes Budden Aulæ Late-portensis Principalis.*

* *Per Mortem clarissimi viri D. D. Goodwin Ædis Christi Decani Celeberrimi, et soceri mei Charissimi.*

In Evangel. Ho. 26. De fide lib. 1. cap. 5.

studioßimè ancillatur. *Siquidem quid aliud sunt omnes* disciplinæ, *quàm* præparatio *quædam* Evangelica, *vt doctißimè 15. libris demonstravit* Eusebius, *quarum scopus est præcipuus, abducere animum à* sensibilibus (*sicut alicubi monet* Plato) *vt* sublimioribus *assuescat. Etenim tum demùm dulcescunt vestræ* aquæ, *cum* fidei *& pietatis* sale *condiuntur, et* sanantur. *Quid enim iuuaret in* Grammaticis, concordantias partium *ad vnguem tenere, &* perpetuos *in tota conversatione* solœcismos *admittere? In logicis*, elenchos *soluere, & Diaboli* sophismatis *illaqueari? dicendi consectari* veneres, *et bene* vivendi cultum *negligere? Quàm tædet in* Physicis *de animæ* facultatibus, *tam* subtilia *audire, et de* salute *nihil? de* generatione *et* corruptione *tot indagare nodos, vbi de* regeneratione *aut* mortificatione *non occurrit apex? Fides mea quandò de* loco *speculatur*, locum *istum cogitat, quem* Christus *suis Discipulis vivit paratum. In* tempore *non tam* fluxum, *quàm* vtum *respicis; in* motu *quorsũ progreditur, et quò* tendit. *Eius* Arithmetica *numerat* vitæ *momenta*, Geometria *componit se ad* Christi *mensuram*, Astronomia

nomia *illum celebrat, qui defudit* Pleaidum *influentias, et educit* Arcturum *cum* filijs *suis. Dum* Metaphysica *nescio quæ balbutit incerta, de* separatis mentibus, *fides nostra, fruitur eorum* beatissimo consortio, *et* lucem *illam penetrat* inaccessam, *cuius* stricturas Optica *non potest intueri. Quare accingite vos ad* tantæ benedictionis *palmam (Egregij* Philosophi *) nec pudeat artium* Magistros, *Christi fieri* discipulos: *sed captivetur* intellectus, *vt liberiùs* apprehendat *fides, quæ captum humanum superant. Fatigatus et deficiens deflebat*

De Cain & Abel lib.2.c.6. Esavus *(inquit* Ambrosius *) quia cibum suum (vt* Iacob *) coquere* nesciebat, *Certè* cruda *futura sunt vestra omnia, nisi in devotæ meditationis excocta* fornace, *in* succum *convertantur Theologicum.*

Gen.9. יפת אלהים ליפת *Deus igitur persuadeat* Iaphet *vt habitet in tabernaculis* Shem, *vbi discat ex* Theologo *Philosophus, non vitam ex ijs quæ ipsi suppetunt in eo sitam esse, vt redundet,* Luc.12. *Sed ex* sola fide

Rom.1. *iustum vivere, et* iustificari, *quod* punctiùs *deinceps est demonstrandum.*

7 Atque hic *primò* occurrunt termini explicãdi, *fides, sola, iustitia, iustificatio,* vt ad sententiarum *collationem,* quæstionis *statum, argumenta* nostra & *adver-*

aduersantium, distinctior fiat progressus. *Fides* sumitur vel *obiectivè* vel *subiectivè*. *Obiectivè*, pro eo *quod creditur* (explicante *Lombardo* & *Augustino*) 3 Sent. dist. 23.
Sic *Paulus* evangelizat *fidem* quam aliquando *vastabat*, hoc est fidei *doctrinam* ad *Gal.* 1°. *Subiectivè* verò occurrit pro *eo quo* tanquàm facultate aliqua *inhærente* creditur: estque vel *veracitatis*, quâ fit quod *promittitur*, vulgò dicitur *fidelitas*, vnde *fides Dei* ad *Rom.* 3°. Deus *fidelis* 1 *Cor.* 1. 9. vel *credulitatis*, qua assentimur *promissis*, vt pulchrè docet *Augustinus* libro de spiritu & litera cap. 31°. Atque hæc vlteriùs, est vel *actualis* quâ *profitemur* quod credimus, sic fides *Romanorum* annunciatur in *toto mundo*, hoc est, *fidei professio* celebratur, ad *Rom.* 1°. vel *habitualis* quâ credimus *vt profiteamur*. Ista autem prodiversitate *graduum*, aut *effectuum*, *communis* potest dici, vel *propria*, siue *iustificans*. *Communis*, tam *reprobis* competit quàm *electis*: estq; vel *historica*, vel *temporaria*, vel *miraculorum*. Propria, est solummodò *electorum* ad Titum 1°. et complectitur in se hos tres actus, *intellectus* notitiam, *voluntatis* assensum, *cordis* fiduciam; adeò vt nil aliud sit *fides iustificans*, quàm *assensus fiducialis præsupponens notitiam*. Et de *hac* solummodò præsens instituitur controversia. Quæ *sola* dici potest *duobus* modis, vel respectu aliarum *virtutum*, quas non admittit *comites*: vel ratione *muneris*, quod *obit* in iustificationis *negotio* ex *parte* tantùm *hominis*. Atque hoc fieri potest *dupliciter*; 1°. *formaliter*, ac si sola ista forma *fidei*, vel *actus* eiusdem *credere*, per *inhærentem* aliquam *virtutem* iustificaret: Secundò, *relativè* siue *instrumentaliter*; quatenùs

tenùs fides vt *manus* apprehendit Christi *iustitiam*, & *fideli applicat* vt inde iustificetur. Tertiò *Iustitia* ista *Christi* duplex esse potest, *essentialis* vel *accidentalis*. Accidentalis rursus vel *originalis*, illi innata, vel *actualis*, perfectissima scilicet illa *obedientia*, quam *Patri* præstitit, tum satisfactione pro peccato, tum legis *impletione*, vnde plena emergit *Iustificatio*. Iustificatio autem ista *duo* significat, vel iustum *aliquem facere*, vel *declarare*. Ad hanc requiritur *iustitia* legis *inhærens*, ad alteram *Iustitia* Euangelij *imputata*. Sic vt Iustificationis causa *efficiens principalis*, sit gratuita *Patris* in *Filio* dilectio; *instrumentalis* interna *apprehendens*, sit fides; *obsignans*, Spiritus Sanctus; externa, verbi *prædicatio*, et *sacramentorum* perceptio: *Materia*, est Ci^ti *meritum* extra nos *subiectiue*, imputatiue vere *nostrum*. *Forma*, est tam *activæ* quam *passivæ* obedientiæ Christi *imputatio*: Finis *vltimus*, est *Dei gloria*; *proximus*, nostra *salus*. Omitto criticismum inter δικαίωμα, δικαίωσιν & δικαίωσιν (quem multis prosequuntur *Centuriatores*) ac si δικαίωμα, Iustitiæ *normam* in Deo, δικαίωσιν iustitiam Christi imputatam, δικαίωσιν iustificandi *actionem* præcipuè indigitaret. Quemadmodum et illud aliorum, de *Iustificatione activa* Dei, et *passiva* fidelium, quia et mihi properandum est, et huiusmodi, scrupulum non injiciunt. *Convenit* autem 1°. inter omnes, ex *parte Dei*, gratuitam in Christo dilectionem, ex *parte hominis*, *fidem* aliquo modo ad *iustificationem* concurrere. *Convenit* 2°. ex parte *Iustificationis*, remissionem ad illam requiri peccatorum *plenariam*, quia non habitabit *iuxta Deum* iniustus, & nil coinquinatum civi-

tatem

tatem *sanctam* ingredietur. *Convenit* 3°. ex *parte iustificandorum*, illos nil omninò conferre de *proprio*, quo absolvantur, vel non *tantum* saltem, *quantum* satisfaciet. Et quanquam *Sociniani* liberam et gratuitam vrgent *condonationem* absque omni *lytri* interventu, largiuntur tamen 4°. *Pontificij* et *Arminiani* Christum pro nobis satisfecisse, licèt ista *satisfactio* nobis non *imputetur*, sed in *nobis charitatem aut fidem infusam* ad tantam elevat *dignitatem*, vt vel ista valeant ad *meritum*, vel loco *meriti* sufficiat illius *acceptilatio*. Sic ut controversiæ *nucleus*, his includatur terminis: Vtrum *fides*] non vt *obiectivè* est *salutis doctrina*, sed vt *subiectivè*, doctrinæ isti *revelata* assentitur, non *quà* aliquid *promittimus* ut *fiat*, sed *promissionibus* in Christo *innitimur*, ut *satisfiat*; *sola*] non ratione *existentia*, absque *spe*, et *charitate*, sed *muneris*; *Iustificet*] non per modum *præparationis*, cum cæteris *virtutibus*; vel ut *conditio* requisita per *inhærentem* credendi *actum*, sed *relativè*, per modum *organi*, satisfactionem Christi *apprehendentis*, et *fiducialiter applicantis*. Asserimus *nos*, negant *Pontificij* unà cum *Socinianis* et *Remonstrantibus*. Et quoniam oppugnant præcipuè Pontificij fidei *naturam*, Sociniani *obiectum*, Remonstrantes *vsum*, sic instituenda est nostra disputatio, ut *istas partes* in processu studiosius muniamus.

Vid. Faust. Socin. in tractatu peculiari de iustif. Gittichium

8 Primum igitur argumentum nostrum à *particulis* sumitur *exclusivis*, quibus ostenditur 1°. *negativè*, cæteras *virtutes* ad iustificandum non concurrere: 2°. *affirmativè*, gratis hoc fieri 3°. *collativè*, vtroq; modo hoc fieri non posse, forma sic erit. Iustificari *fide*, idque

Arg. 1um.

idque *gratis*, quia *opera fidem evacuant*, est *solâ fide* iustificari: sed arbitramur hominem *iustificari fide*, *sine operibus legis*, *ad Rom.* 4. 28. *non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos*. *Tit.* 3. 8. *non nisi per fidem*, ad δωρεὰν *gratis*, ad *Rom.* 4. 24. Si ex lege *hæredes* sunt, *exinanita* est *fides*, et *abolita est promissio*, *ibid.* *v.* 14. Ergo *sola* restat *fides* quæ nos iustificet. Responsum vulgò fuit ante hac à *Pontificijs*, excludi tantum per *Apostolum* opera legis, *cæremonialia*, non *moralia*. Sed corrigunt *Iesuitæ*. Per opera (inquit *Bellarminus*) quæ *fidei* opponuntur, & à *iustificatione* excluduntur, intelliguntur *opera* quæ fidem *præcedunt*, quæque *solis viribus liberi arbitrij fiunt*, non quæ sequuntur *ex fide*. Gratis autem hoc fit respectu meriti *de condigno*, quod excluditur, non de *congruo*, quod non vt fidem *antecedit*, sed vt *sequitur*, vnà cum fide in *Iustificatione*, ita partes suas agit, ut eam non tollit ut *oppositum*, sed perficit vt *conditio necessaria*. Atquî constat fideles fuisse *Romanos* et *Galatas*, quorum opera *Apostolus* excludit, vt *sola fide* inniterentur. Quid ergò hîc nugarum de *operibus legis* aut *naturæ* ante *Iustificationem*? Quamprimùm homo credit (inquit *Chrysostomus* in 3. ad Rom. Homil. 7.) *simul est iustificatus*; et *bona opera* sequuntur *iustificatum*, non præcedunt *iustificandum*, August. de fide et operibus cap. 14. Quòd si *meritum* cuiusque generis hîc interueniat, quomodo iustificamur *gratis*? Annon perinde est ac si diceres, hoc tibi *largior*, absque omni *pretio*, et tamen aliquid *solves*? Addo, quod *meritum* de *congruo* oppugnarunt acriter in Concilio *Tridentino Dominicani*, ut constat in historia

Gal. 4. 6.

Except. de Iustificat. lib. 1. cap. 19.

storia Petri Soaue *Polani* nuper edita, assentiente *Stapletono* cum *Waldensi*, *Gregorio Ariminensi*, & quamplurimis alijs. Illud verò quod præcipuè vrgent *Lutherani* ad *Gal.* 2. non *nisi per fidem*] nescio quo consilio intactum relinquit *Bellarminus*, cũ *Aquinas* & *Adamus Sasbout* in illum *locum* sic reddunt, non nisi per *fidem*, id est, *tantùm ex fide* Christi, ut agnoscit *Iesuita* Cornelius à *Lapide*. Nec obstat quod in *colloquio Altenburgensi*, requirunt *Theologi Electorales*, *præsentiam* operum, non *efficientiam*, quia illud intelligendum est, non de *iustificationis actu*, sed de *iustificationis progressu*, non vt fidei designetur *concausa*, sed *fidelium officium*, quod nostri semper inculcant, et *Aduersarij* nesciunt refellere. ἐὰν μὴ διὰ πίστεως. v. 16.

9. Secundum nostrum argumentum est ab *exemplo* *Abrahæ*, ter à *Paulo*, & semel à *Iacobo*, in hunc *finem* adducto. Quâ ratione *Abrahamus* Pater omnium credentium est *iustificatus*, eâdem iustificantur omnes *hæredes filij*, quia non spectat tantùm ad *illum* quod scriptum est, sed etiam *ad nos*, vt accommodat *Apostolus* ad *Rom.* 4. 24. Sed credidit *Abraham* Deo, et *imputatum est ei in iustitiam*, non ex *debito* propter *opera antecedentia fidem*, aut *subsequentia*, sed ex *gratia*, ut nil *haberet* de quo *gloriaretur*, ad *Rom.* 4. *Gal.* 3. *Heb.* 11. ex *Genes.* 15. Ergo omnes *fideles* eodem modo *solâ fide* iustificantur. Excipit *Stapletonus*, Apostoli *scopum* esse in illis locis, ut ostenderet, *Abrahamum amicum Dei fuisse* appellatum, & habuisse vndè *gloriaretur*, non ex *operibus* simplicitèr, sed in fide *factis*. Quod confirmat ex *Augustino*, qui asserit *Apostolum* protulisse illud *Mosis* testimonium, vt ostenderet *Arg.* 2um. *Excepti.*

Refutatio. deret *Abrahami* operibus affuisse fidem. *Respondeo*, non attingere *Stapletonum* scopum *Apostoli*, sed *alienum* prorsùs impingere. Quæstio enim non erat qualia fuerant *Abrahæ opera*, sed quomodò *iustificatus*. Nec *Augustinus* urget opera ut *Iustificationis causas*, sed *fidei fructus*. Si *fidem* (inquit) opera non *præcesserunt*, tamen *sequuta* sunt. Nunquid enim *fides tua est sterilis*? Si sterilis *non es*, sterilis *non est* ipsa.

Præf. in Ps. 31.

De Iustif. l. 1. c. 19. §. Deniq; loquitur. Delirat autem *Bellarminus*, cùm ita nodum putat esse solutum; *satis constat Abrahamum habuisse gloriam etiam apud Deum*. Vndè colligit *Apostolus eum non fuisse iustificatum ex operibus sine fide*, sed *ex fide*. Animadvertite enim quàm bellè ista *cohærent*. Verba sunt *Apostoli*. *Si Abrahamus ex operibus iustificatus fuerit, habet de quo glorietur, sed non apud Deum*. Glossa *Iesuitæ* est: satis *constat Abrahamum habuisse gloriam etiam apud Deum*. Num constat *Iesuitæ*, *habuisse*, cùm Apostolus dicat, *non habuisse*? Quod verò disertè asserat *Iacobus* ex *operibus iustificari hominem*, & non ex *fide tantum*, de *ostensione* Iustitiæ coram *hominibus*, rectè à nostris exponitur. Nam suffragatur textus; *Ostende mihi fidem tuam absq; operibus, ostendam meam ex operibus*, ver. 18. Et postea, fides *mortua* est *absq; operibus*, sed ex operibus *consummata* est. Ergo *inanis* est ista fides quæ in operum *fructu* non se exerit, quia vt *fides* hominem, sic opera *fidem* justificant. Pontificij *recentiores* hanc Apostoli ἀντιφανείαν sic conciliare satagunt; Iustificatio (inquiunt) est vel *prima*, vel *secunda*; Prima est *infusio* charitatis *iustificantis*, quâ homo ex *iniusto* fit *iustus* coram Deo *formalitèr*: Secunda, est *præstatio* operum coram

Cap. 2. v. 26.

Except.

ram Deo *meritorie*, vndè etiam fit ex *iusto iustior*. Et primam *fidei effectum* juxta *Paulum*, secundam, operum *mercedem* ex doctrina *Iacobi* esse statuunt. Sed hoc putidum commentum quod vel febricitantibus *Scholasticis* nunquam per somnium incidit, seipsum elidit. Quæro enim an in *primâ* istâ *iustificatione*, perfectè reconciliemur Deo, vel *non*? Si *sic*, quid opus est *Iustificatione secundâ*, quæ vlteriùs justificet? Si *non*, quâ ratione *secunda* merebitur, cùm per primam non absolvamur? Accedit & *hoc*, dum *primæ iustificationis* causam *meritoriam* statuunt Christi *iustitiam*, secundæ *habitum infusum*, si ex secundâ *Iustificatione* prodeat quispiam, quàm ex primâ justior, sequetur *opera nostra* Christi *meritum* vel *superare*, quod est *blasphemum*; vel *perficere*, quod est ridiculum.

10 Tertium argumentum *Obiectum* Iustificationis *Arg. 3um.* suppeditat, & sic formetur. Per quod solummodò imputatur nobis *Christi iustitia*, quæ *lapsui*, & *legi*, satisfecit, per *illud* justificamur. At per *solam fidem* imputatur nobis *Christi iustitia*, & *satisfactio*, Rom. 3. 22. & 4. 5. Ergò *sola fides* justificat. Occurrunt *Sociniani*, Christi *vitam* & *mortem* vel *obsignâsse* solummodò credentibus *veritatem vocationis* & doctrinæ, vel sibi *impetrâsse* privilegium remittendi peccata, vel patientiæ & obedientiæ *exemplum* præbuisse, vel fecisse *fidem* sive *spem* consequendi *vitam æternam*, tam illustri *mortis* & *resurrectionis* victoriâ, nullo autem modo divinæ justitiæ *satisfecisse*. Sed linguam hanc bisulcam antiqui *serpentis primò* contrit *semen mulieris* in proto-Evangelio, Gen. 3. 15. quod *dissolvit* opera *Diaboli*, Io. 3. 8. Cujus dictum *Abraham*

Except.

Refutat.

braham gavisus est videre, Io.8.56. In cujus nomine expectabant omnes *fideles* remissionem peccatorum, Act,10.43. *Secundò*, convellunt *sacrificiorum typi*, quæ *agnum* illum adumbrabant, qui peccata mundi *tolleret*, Ioh.1.29. *Tertiò*, penitùs dissipant *disertissima* in novo Testamento *testimonia*, Christus factus est pro nobis *execratio*, Gal.3.13. *peccatum* 2.ad Cor. 5.21. *sapientia, justitia, justificatio, redemptio*, 1 Cor. 1.30. Sed quo fine? Vt *comperiamur* in eo, non *habentes nostram justitiam quæ est ex lege, sed eam quæ est per fidem Christi*, Phil.3.9. Vt nos *efficeremur justitia Dei in eo*, 2 Cor.5.21. Vndè *Livor* ejus, *sanitas* fuit nobis, Esaiæ, 53.5. & *obedientia, justitia*, Rom.5. 19. Sed quoniam contendunt *Papani*, hoc per *qualitatem infusam*, & *inhærentem præstari*, & non *relativè* imputari.

Arg.4um. 11 Sit *quartum* nostrum argumentum; Iustificamur per justitiam Christi, non *personæ*, quâ ipse est vestitus, sed *meriti*, quâ suos vestit, nobis *imputatam*. Atqui fides ex *parte nostrâ* hanc *justitiam* sic à Deo *imputatam*, apprehendit *solummodò* & *applicat*, quia neq; *charitati*, vel *spei*, vel alteri *habitui* hoc munus competat. Ergò *fide tantùm*, & non alijs justificamur *virtutibus*. Minori litem non intendunt *adversarij*. Sed Iustificationem non consistere in *justitiæ Christi imputatione*, decem argumentis probare nititur *Bellarminus* lib.2, de *Justif.* c.7. quæ quia molestũ nimis esset minutatim proponere, et refellere, satisfacietillud *in genere*, quod in *eodem loco* habet ipse *Bellarminus*. Verba quæso attendite & perpendite. *Si solùm* (inquit) *vellent* (intelligit *Protestantes*) *nobis imputari*

Christi

Christi merita, quia nobis donata sunt, et possimus ea Deo *Patri offerre pro peccatis nostris, quoniam Christus suscepit super se onus satisfaciendi pro nobis, nosq; Deo Patri reconciliandi; recta esset eorum sententia, quamvis modus loquendi in Scripturis & Patribus, aut nunquam, aut rarissimè inveniatur. Sed ita imputari nobis Christi iustitiam, vt per eam formaliter iusti nominemur, et simus, id nos cum recta ratione pugnare contendimus.* At quis vnquam à nostris, nos per *iustitiam* Christi *imputatam, formaliter iustificari* asseruit? Annon *formam* quamlibet *inhærentem*, quâ *formaliter* iusti denominemur, semper explosimus? Annon *fidem*, vtcunq; inhæret, non vt *formam* sed vt *organon*, non *formaliter* sed *relative* tantùm, *iustificare* astruimus? Ergò (vel iudice *Bellarmino*) *recta nostra* est *sententia*, seq; vel *perverse*, vel *inconsultò* larvas sibi fabricare agnoscit, dum oppugnat illud in *extremis*, quod in medio capite iustificeat. Sed vester (inquit) *loquendi modus* in *Scripturis* & *Patribus* aut *nunquam*, aut *rarissimè* invenitur. *Scripturas* oscitanter consuluerit, qui *Cardinali* hìc fidem haberet. Annon ista sunt in *vtroq; Testamento* celebratissima? *Credidit Abraham Deo & imputatum est ei ad iustitiam*: et *beatus cui Dominus non imputat peccatum*, ex Psal. 32. Quid dicam *vndecies* (observante *Osiandro*) *Iustificationem* vocare Apostolum *imputationem* ad Rom. 4. *Patres* verò an abhorreant à nostro *loquendi modo*, observetur ex ipsorum *testimonijs*, quæ loco *Quinti argumenti* adduximus. Gen 14. Rom. 4.

12 Nam ita de sola fide *Chrysostomus*, *si credis fide* Arg. 5m.

quidvltra differs, quasi fides iustificare non sufficiat sola? Hilarius; Remissum est à Christo quod lex laxare non potuit. Fides enim sola iustificat. Ambrosius. Non ergò opus est lege, quando impius per solam fidem iustificatur. Basilius novit se esse inopem veræ iustitiæ, solâ autem fide in Christum esse iustificatum. Quis credere solâ est iustitia, vt habet Nazianzenus. Augustinus, quantælibet fuisse virtutis antiquos prædicat iustos. Non eos salvos fecit nisi fides. Non ergò in factibus nostris, non in actibus nostris, sed in Aduocati nostri ablegatione confidamus, in quit Gregorius. Nec aliter de iustitia imputata Augustinus. Ipse peccatum & nos iustitia, non nostra, sed Dei, nec in nobis, sed in ipso, sicut ipse peccatum, non suum, sed nostrum, non in se, sed in nobis. Sic ergo sumus iustitia Dei in ipso, vt ille est peccatum de nobis, nempe imputatione. Sub Christi primogeniti nostri fratris pretiosa puritate delitescimus, vt testimonium iustitiæ à conspectu Dei referamus clamat Ambrosius. Atque hoc non est paruum breue, quod secundum Prophetam, non possit aperire duos, addit Bernardus. Sed iustitia tua, iustitia in æternum, & te pariter & me operiet. Suauissime hæc applicat Anselmus. Si Dominus voluerit te iudicare, dic, Domine, mortem Domini nostri Iesu Christi obtuli inter me & te, & iudicium tuum, alter tecum non contendo. Si dixerit quòd meruerit damnationem, dic mortem Domini nostri Iesu Christi pono inter me & vnla merita mea, ipsius dignissimæ passionis oblationem offero pro meritis quod habere debuissem, & heu non habeo. Cæterum huiusmodi ad salutem præcipua, Index expurgatorius

tandem

Ant. Tit. Hom. 3. In Matth. cap. 8. In cap. 4. ad Rom. εἰ γὰρ δι' ἔργων ἦν ἡ δικαιοσύνη, οὐκέτι χάρις ἀλλὰ μισθὸς ἦν ἀποδιδόμενος. de humilitate. Διακεκριμένη ἐστὶ τῶν πεπλανημένων μόνον. Cons. duas ep. Pelag. l. 1. c. 4. In Exec hom. 7 Enchir. c. 41. De Iacobo. l. 2. In Cant. ser. 61. Vlemberg lib. caus. cau. 14.

tandem *luctantibus* in agone mortis eripuit. Non ignoro quomodo *Bellarminus*, horum acutiorum *Patrum* configit oculos. Vel *opera* (inquit) *externa*, vel *caeremonialia*, vel *naturae* viribus *facta*, fidei opponunt *Patres*. Sed quàm *dilutum* sit hoc κ, ἐκ ὑπόνοιαν ex dictis patet. Constat enim *Patres* opera quae sequuntur *iustificatum*, vnà cum caeteris omnibus, *ab actu iustificationis* separare, sed ea nihilominùs *fidei iustificanti* ita annectere, vt *sanctificationem* (tanquam *fructum fidei*) *gradatim* perficerent. *Iustificationem* autem, à *sanctificatione* distinguere nolunt *Iesuitae*, vt in *confusione* inveniant latibulum. *Scholastici* verò vel *hoc nomine* non tanti sunt à nobis faciendi, quia in hoc *Iustificationis* articulo vix quicquam tradiderunt *solidi*. Vnde destituti à suis *Magistris* in Concilio *Tridentino* ipsorum *assecla*, nesciebant quâ arte *Orthodoxos* condemnarent, quorum sententiam (sicut refert *Soave*) non intellexerunt. Quòd si fides *aliena* infantibus prosit in *Baptismo*, vt contendit cum suis (*Bellarminus* lib. 1°. de *Baptismo* & cap. 11. adeòne *absurdum* videtur vt *fidelibus* prodesset *imputata* Christi *iustitia*.

Vid. Vsserium de Christian. Eccles. succes. c. 7. Se. 21. De Iustif. l. 5. c. 25.

13 Vnde emergit nobis *vltimũ argumẽtũ* ex *Adversariorũ testimonijs*. Reprehenditur à *Bellarmino*, *Albertus Pighius*, quòd ex lectione nostrorũ, *Lutheranus* tandẽ in hoc articulo evasit. Nã quae de gratia Dei iustificante *Scholastici* scribũt, *commentitia* (inquit) *vniversa existimo*. *Pighiũ* sequuti sunt *Colonienses Canonici*, vnà cũ authoribus *libelli oblati à Caesare* colloquutoribus *Protestãtibus*, in Comitijs *Ratisbonẽsibus*, referẽte *Vega* lib. 7. de *Iustificatione* cap. 9. Eandẽ calcârunt

Arg. 6um.

De grat. & lib. arb. c. 3.

carùnt semitâ, *Cassander*, *Stapulensis*, *Peraldus*, *Ferus*, *Arias Montanus*, qui miserè eam ob causam ab *Indicibus expurgatorijs* castrantur. Quid quòd Iesuita *Costerus* in *Enchiridio* fatetur *peccata nostra*, cum ex læsa maiestate *infinita* sint, non nisi ex *infinito merito* expiari: Quod in vlla actione creaturæ non potest inveniri. Postremò ipse *Bellarminus* post Iustificationem ex *sola fide*, graviter *per* 5^e^. *libros* exagitatam, in *portum* hunc tandem sese recipit, *Propter incertitudinem propriæ iustitiæ, & periculum inanis gloriæ, tutissimum est fiduciam totam in sola Dei misericordia & benignitate reponere.* Quæ eius assertio (vt observabat *Rex Serenissimus*) *totiillius de Iustificationis doctrinæ, è regione est contraria.* Cũ igitur *Scriptura*, tam *expressè* cæteros quoscunq; siue *habitus*, siue *facultates*, siue *dona*, siue *inhærentia*, sive *adhærentia*, præter *solam fidem* à nostra *iustificatione* excludat: Cùm *Abrahamum Patrem fidelium*, & omnes eiusdem fidei *participes*, sic *iustificatos* proponat; cùm Christi *satisfactionem*, et misericordiæ Divinæ *imputationem*, vt *præcam* & *puppim* tam *immensi beneficij*, solummodò nobis commendet; cùm suffragentur *Patres*, nugentur *Scholastici*, Andabatarum more inter se digladientur *Recentiores*, et oppugnent istam *sententiam*, quam *rectam* ipsi fatentur esse, & *tutissimam*; nostrum sanè est, quod est *tutissimum* constanter *amplecti*: & *solâ fide* nos *iustificatos* esse *concludere*, ὅπερ ἔδει δεῖξαι quod erat demonstrandum.

De iustif. lib. 5. c. 7.

14 Videamus strictùm quid opponunt *Adversarij*:
27. *Neotericus* quidam proponit *Pontificiorum* argumenta;

gumenta; alius 28 pro *Socinianis*; *Bertius* in disceptatione *Epistolica* cũ *Sibrando Lubberto novè* aliaplus minus, in *Arminianorum* adijcit gratiã. Sed exhausta est *clepsydra*, nec licet abuti vestrâ *patientiâ*. Ipse igitùr hæc omnia revoco ad *classes quatuor*, vndè in proclivi erit de *omissis* facilè æstimare. Primum est *Pontificiorum*: Iustificamur *spe*, spe *salvi facti sumus* ad Rom. 3°. *dilectione*; remissa sunt *Magdalenæ* multa peccata, quia *dilexit multum*, Luc. 7. Nec *fides* à cæteris virtutibus separari potest, quas præcedit, vt *primaria* tantùm ad justificationem *præparatio*. Ergò *sola fides* non justificat. *Respondeo*. Iustificatio *quintuplici* ferè respectu æstimanda occurrit, vndè totidem *subiectis* diversimodè attribuitur: Iustificat primò *Deus Pater, admittendo*, & *imputando*. 2° *Deus Filius, satisfaciendo* & advocatum agendo. 3° *Spiritus sanctus, revelando*, & *obsignando*. 4° *Fides apprehendendo*, et *applicãdo*, 5° *opera, manifestãdo*, et *declarãdo*. Quod breviùs sic exprimũt nõnulli; Iustificamur *tribus modis*; *effectivè à Deo, apprehẽsive à fide*, *declarativè* ab *operibus*. Spes autẽ *servare* dicitur, nõ *iustificare*, vt fidei *partus*, nõ vt justificationis *causa* aliqua *partialis*. Differt enim *fides à spe, ordine* et *obiecto*. Ordine, *fides* prior est ut *causa*, spes vt *effectus* posterior. Fides in bonorum *promissionem*, spes in *bona promissa*, ut in *obiectum* fertur *proprium*: vel si eadem respiciant, *fides* amplectitur, vt *præsentia*, spes vt *futura*. Fructus igitur fidei est *spes*, et *adiunctum* justificati, nullâ ratione *concausa* justificationis. *Dilectio* autem mulieris Luc. 7. *argumentum* erat remissa ipsi fuisse multa peccata, non *causa*, vt *ele* sive *quia*, ibi sit *notificativum*,

Obiect. 1ª.

Sol.

non *impulsivum*. In summa, fides alitèr consideratur in *personâ iustificati*, alitèr in *ipsâ iustificatione*, alitèr in *effectu iustificationis*. In personâ *iustificati* est *initium* omnium virtutum; in actu *iustificationis*, est *instrumentum* apprehendens, et applicans illud quod *iustificat*; in *effectu*, est *ianua*, et *via* ad novam *obedientiam*, et gloriam. Vndè fidem non *quæ* justificat, sed *quâ* justificat, *solam* non *solitariam* esse prædicamus. Neque enim quæritur *quæ virtutes quibus* cohabitent, sed quid *cuique* sit *proprium*. Nam aliud est *causa iustificationis*, aliud *qualitas iustificati*. Dilectio et pœnitentia conditiones sunt *fidei*, et personæ, non *iustificationis*. Nec enim fides *merito* justificamur, sed *medio*, non *efficiendo*, vel *afficiendo*; quia non διὰ τὴν πίστιν, sed διὰ τῆς πίστεως, non *propter fidem*, sed *per fidem*, non *iusti facti* sumus, sed *declaramur*, apprehendente scilicet *fide*, non nudâ tantùm *cognitione*, et *assensu*, sed *fiduciâ*, quod *divinâ iustitiæ* satisfaciat.

15 Atq; hic incidimus in *Socinianos*, qui ex *Catechismo Rackoviensi*, secundò contra nos insurgunt. Iustificamur nō per *plenariam* Christi *satisfactionem*, sed per *liberam* Dei *condonationem*, ergò *imputata* Christi *iustitia* non est necessaria: Antecedentem stabilire conantur *Socinus*, *Ostorodius*, *Eneidinus* et *Gitichius* his præcipuè quisquilijs. *Remissio* quæ est prorsus *gratuita*, quamcunq; excludit *satisfactionem*; 2. Nec *Christus* subijt *mortem æternam*, quæ erat *debitum solvendum*. 3. Nec *debitum* hoc erat *solutum* legi, vel *Diabolo*, qui captivos nos detinuerunt, sed *Deo* qui *liberè remisit*. 4. Quia Christus non *nostro loco*, sed *nostro*

Obiect. 2ª.

Bono,

Bono, & legem *implevit*, & *passus est*, vt *vivendi* et *moriendi* exhiberet nobis *exemplum*. Haud aliter ac *Moses* ipsius *typus*, qui eduxit *Israelem* ex *Ægypto*, non *pretij* alicujus *solutione*, sed *potenti* Dei *brachio*, nihilominus λυτρωτὴς dicitur, *Act.* 7. 35. Respondeo Sol. *Lubbertum* nervosè refutasse Socinum; Ostorodium, *Iacobum à Porta*, Eneidinum *Pareum* in *Romanos*, et *Lavaterum* in *anti Socino*; Gitichiū, *Lodovicum Lucium*, et *Henricum Alstedium* in parte tertia *Theologiæ Polemicæ*, vna cum *Catechismo Rackoviensi*. Compendium hoc esto. Satisfactio *duplex* est, prima, quam *debitor* exhibet *de proprio*, & per *se* solvit; *secunda*, quâ aliunde accipiens quod debetur, creditori satisfacit per sponsorem. Prima est ἀνάστασιν remissionis, *secunda* eum eâ potest complicari. Merita igitur *hominum*, non *Christi*, cum *gratuita* Dei *remissione* sūt incōpatibilia. Deinde *Christus* dicitur subijsse *mortem æternam*, quatenus *eandem mortem* quæ nobis *futura esset æterna*, non *succumbendo*, sed *patiendo* vicit. Æternitas enim non est de *ratione pœnæ* peccatis *debitæ* (vt rectè *Scotus*) sed *peccatores concomitans*, qui non possunt vt *Christus*, vel cum *Christo* eluctari. Istam autem *Diabolo carnifici*, et non *Deo legislatori* deberi, ridiculum est asserere. Hanc autem Deus exigit *necessariò*, vel à *reo*, vel à *sponsore*, non quod *liberè condonare* non potuit quoad *exercitium actus*, sed *posito* hoc quod velit *iustè agere*, non potest *nisi iustè*, et vt *Iudicem immutabilem* decet, agere. Acceptavit igitur *Deus* in *Christo*, quod nos debuimus, ideoque non tantùm *nobis* cessit in *exemplum imitationis*, sed in λυτρὸν, ἀντίλυτον et ἱλαστήριον redemptionis, non *præcundo*

eundo tantùm ut *Moses ministerialiter*, sed *satisfaciendo*, et *liberando* merito suo *efficaciter*.

Ob.3. 16 Hinc *satisfactionem* admittunt *Arminiani*, sed *vsum* eius sic tertio in loco pervertunt. Satisfactio (inquiunt) Christi id effecit, vt *fides* nostra *imputetur nobis in iustitiam*, ergò non justificat *relativè*, vt *organon* apprehendens *obiectum*, sed *inhaerenter*, quia eius rō *credendi* per meritum *Christi* gratiosa

Sol. est apud Deum *acceptilatio*. At qualis est hæc *obtusa subtilitas*, vel *confusa* potiùs *perversitas*? Crediderant ego *satisfactionem* propriè spectâsse *iustitiam* partis *offensa*, & non *fidem rei*. Neq; enim *fidei*

Ob.4. Epist Disput. pag.78. *nostra* satisfit, sed Deo iudici. Pergit *Bertius*; Habitui *animi*, non tribuitur *affectus*, seu «ad» sui *obiecti*: vt quia *scientia* mea apprehendit *triangulum habere tres angulos aequales duobus rectis*, non rectè infertur, ergo scientia mea *habet tres angulos aequales duobus rectis*: At fides est *habitus*, Iustificatio obiecti (scilicet satisfactionis Christi) *affectus*, sive

Sol. *effectus*; ergo non *fidei* rectè attribuitur, vt dicamus *nos solâ fide iustificari*. Respondeo, Animadvertere potuit *Bertius*, nos non propriè *iustificationem* fidei attribuere, sed *metaleptice*, quatenùs *obiecti* actus propter arctam *connexionem* inter illum, & *habitum*, *vsitata* Scripturæ *phrasi*, in habitum *transfertur*. Nam ita *spe salvi facti sumus ad* Rom. 8. Salus quæ est *obiecti*, attribuitur *habitui*. Et *amor meus crucifixus* est (inquit *Martyr Ignatius*) hoc est, *ille quem*

Ad Rom. Ep. 25. Obiect. 5. *amo*, & semper sum amaturus. Vltimò accedit ratio. Si Iustitia Christi *imputata*, fide nostrâ *apprehensa*, nos solummodò iustificaret, ergò non *minùs*

iusti

iusti haberemur, quàm *Christus* aut *Beata Virgo* (vt blasphemat *Lutherus*) Respondeo. In *iustitia* nobis *imputata* duo sunt spectanda, *Veritas*, & *habendi modus*, Iuxta *veritatem*, *æquè* sumus justi, quia *eâdem iustitiâ*: licèt non *æqualitèr*, nec *eodem modo*, cùm ille justus sit *subiectivè*, nos *imputativè*, Ille de *proprio*, nos illius *largitate*. Beata autem *Virgo*, vtcunque cæteris omnibus fidelibus censeatur *sanctior*; per *iustitiam* tamen *redemptionis imputatam*, non cæteris evasit (si ita loqui liceat) *iustificatior*. Sed familiare est *adversarijs Iustificationem* cum sanctificatione confundere, ut *incautioribus* imponant hujusmodi offucias, & *doctioribus* conflent *invidiam*. Faxit Deus Opt. Max. vt nos omnia *pro detrimentis* habeamus, ut Christum *lucrifaciamus*, & *comperiamur* in eo non *habentes iustitiam nostram* quæ est ex *operibus*, sed eam quæ *est ex fide*, ut justificati hîc *in via*, regnemus tandem in *patria*, per *Iesum Christum Redemptorem nostrum*, cui cum *Patre* & *Spiritu Sancto*, sit omnis *honor* & *gloria* in secula seculorum. AMEN.

Phil. 3. 9.

LECTIO VI.

IN VESPERIIS COMITIORVM habita Oxon. Iulij 7. Ann. Dom. 1621.

De perseverantia Sanctorum.

ROM. 9. 11, 12.

11 *Cùm enim nondùm nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali; ut secundùm electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante.*
12 *Dictum est ei, Quia maior seruiet minori.*

DVo (vt videtis) proponit textus, *Decretum* Dei, & ejusdem *firmitatem*: Nam ita hæc verba ἵνα ἡ κατ' ἐκλογὴν τῆς θεοῦ πρόθεσις μένῃ, vt *secundùm electionem propositum Dei maneret*] reddit *vulgaris*; *Firmum maneret*] adijcit *Beza*; *Ratum esset*] *Castalio*. Deus siquidem non est sicut *filius hominis*, vt mutetur, *Num.* 24. Sed χαρίσματα ipsius & *vocatio* sunt

ἀμεταμέλητα, *Rom.* 11. *Dec retum* autem accepistis non in *prævisâ fide*, aut *operibus fundatũ*, aut per *scientiam Mediam* involutum, aut *promiscuâ* participatione *omnibus* publicatũ, aut *versatili* arbitrij *concursu*, anceps prorsùs aut pendulum, sed *peccatorem* indubitatò, per *eam* quam gratis confert *fidem*, justificans. Superest igitur hâc vice vt ejusdem *firmitatem* perpendamus. Hæc autem cùm sit duplex, *obiecti* sive quoad *rem*, quâ perseveramus; & *subiecti* quoad nos, *quâ scimus* cum *Apostolo*, cui credidimus, quàm certò potest *depositum* in *finem* vsque conservare; *perseverantia sanctorum* à *salutis certitudine* meritò in hoc argumento est *distinguenda*, quia ista Dei *immutabilitate*, hæc *nostrâ persuasione* innititur. Horario autem hujus diei *penso* sufficiet, (vt spero) *sanctorum perseverantia*, quam *Certitudo salutis* (Deo propitio) suo *loco* & *tempore* subsequetur.

2 Tim. 1. 12.

2. Ac de *perseverantiâ sanctorum* quàm lubricè philosophati sint ante *Augustinum Patres*, non opus est ut *multis* referam. Cùm enim plerunque ab ancipiti voluntatis flexu *peccatoris* arcessunt *conversionem*: quid mirum si de perseverantiæ *firmitate* fixi nil possint polliceri. Non defuerunt tamen inter ipsos (vt prolixè ostendit *Cumel* in 1 am *partem*, & 1 am 2æ. *Aquinatis*) qui *efficaciam* gratiæ non ad acceptantis *facilitatem*, sed ad *energeticum* vocantis *propositum* referentes; perseverantiam à *salvo* (ut ita loquar) conservantis *conductu*, non à *vacillante* conservati *progressu*, æstimandam judicârunt. Punctiùs hoc posteà pressit *Augustinus*, vnà cum suis *symmistis*, & *discipulis*, adversùs *ingratos Pelagianorum* & *Semipelagiano-*

Disp. 5 12.

gianorum conatus, vt sparsim constat vbivis ad finem *Tomi*. 7^i. In duobus autem libris de *prædestinatione Sanctorum*, & *bono perseverantiæ*, ita *initium* fidei, *progressum*, & *successum*, graphicè delineavit posteris, vt licet nunquam destiterit *inimicus homo*, novali tam solicitè purgato *superseminare zizania*; nunquam tamen hoc triticum, vel *averruncare* prorsùs potuit, vel *conculcare*, ne reuiresceret. Nam vtcunq; seculo 9°. *Moguntina Synodus*, cui intererat *Haymo*, & præsuit *Rabanus Maurus*, *Godeschalcum* Monachum rigidiùs exceperit, Inter cujus dogmata non postremæ hoc erat notæ, *Eos qui pereunt etsi priùs crediderunt & baptizati fuerunt*, non *nisi signo tenùs redemptos fuisse à Christo*, *nec vnquam à perditionis massa secretos*; Quod *Rhemenses* postea sub *Hincmaro*, cæterique *Galliæ* & *Belgij Episcopales conventus*, pari censurâ corripuerunt; Cautiùs tamen postea distinguunt *Lugdunenses*, *Viennenses*, & *Arelatenses* in *Lugdunensi* & *Valentino Concilio* (vt author est *Vossius* diligentissimus) dum gratiam, à quâ quis *excidere* possit, asserunt, non à *proposito* Dei *immutabili*, sed ab externo *baptismi* lavacro, & cæteris hujusmodi *phainomenis* profluere. Nec alia obtinuit doctrina vsque ad *Bernardi* tempora, vt constat ex ipsius placitis *Augustinum* præcipuè redolentibus, vtcunque *Petrus Abelardus* eiusdem coætaneus & *Antagonista*, ita hoc 9um. ad *Rom.* caput, in editis nuper *operibus* interpretatur, vt *Pelagij* videatur *expositionem* (quæ vulgò operibus *Hieronymi* assuitur) *suam* totidem ferè verbis fecisse.

Lib. 6 ib. 12. An. Christi 848.

Vid. Bern. de grat. & l. arb. & ep. 107.

3 Hisce qui succedunt *Scholastici*, eandem ferè tradunt doctrinam, sed sub alijs *terminis*. Quærunt enim,

An *charitas* semel *habita* possit *amitti*, ad 3 Sent.d. 31. Et 2am. 2æ. *Aquinatis* q.24. art.11. Et *affirmant* quidem *communiter*, de *quibusdam* charitatis *gradibus*, sed non de omnibus, idque ex *parte subiecti*, cui vis *mutabilitati* obnoxij, non *decreti Divini* conservantis illud ad *fælicem exitum*, quod gratiosè contulerit. Patet interea ex *palinodia* cujusdam *Guidonis* ordinis *Heremitarum* S^t. *Augustini*, Sententijs *Lombardi* affixâ, quâ coactus fuit à *Parisiensibus*, hanc thesin tanquam *falsam* & *hæreticam* revocare: *Charitas quæ habetur & deperditur nunquam fuit vera charitas: Sorbonistas* charitatem *veram*, sed non *perfectam* amitti posse docuisse. Opposita sequitur *conclusio* ex *Wiclevi* & *Bradwardini* fundamentis, vt patet ex ijs quæ *prior* tradidit de *eventuum necessitate* ex ordinatione Divinâ l. 3. *Trial.* c.9. Et apud *Waldensem* l.1.c.22. *posterior* verò *De causa Dei* l. 2.c.12. & Seq. Sed hodiernam hâc de re controversiam, quia minùs forsan *prævideriut*, sicciori pede transeunt. De hâc autem post *reformationem* superiori seculo institutam, celebres *tres* circumferuntur *sententiæ*. Prima est *Pontificiorum*, qui *totalem* & *finalem* Sanctorum *Apostasiam* vehementèr inculcant & defendunt, eo (ficuti videtur) *fine*, non tantùm vt miseros suos *proselytas*, à *fiducia* in Christum abductos, *arundineis* ipsorum *supplementis* fixiores habeant; sed etiam vt *vtile* illud *commentum* de *opere* Sacramentorum *operato* firmiùs stabiliant, quò speciosiùs incautiores emungant. Secunda est *Pseudo-Lutheranorum* à præceptore suo turpitèr ex hac parte deficientium. Isti autem vtcunque *finalem* Pontificiorum *apostasiam* aver-

aversantur, *totalem* tamen coguntur admittere, ne eundem quem cum *Papistis* fouent de *Sacramentorum efficacitate* errorem, adigantur penitùs abjurare. Quanta passi sunt in hâc causâ præ cæteris *Petrus Martyr*, & *Hieronymus Zanchius*, à furiosis istis *zelotis*, notius est ex *historijs*, & ipsius *Zanchij miscellaneis*, quàm attinet in hoc compendio fusiùs recensere. Accesserunt his postremò *Ciniflones* ex *Arminij Laboratorio*, prætextu (ut vbiuis crepant) longè diverso, ut nostram corrigant *Stoicam* de prædestinatione *Doctrinam*, Deumque (si *Dijs* placeat) à peccati *causalitate* liberent: Non animadvertunt interim aërei isti κυμινόπρισται, quomodò sive ex *tali* gratiæ tēporali *intercisione* (vt nostras quidam *Diatribista*) sive ex *perpetua excisione* (vt è Belgio *Bertius*) suspendunt Dei constantiam, arbitrij humani vertigini, & *Pelagianismum* in gratiæ contumeliam postliminio ex orco resuscitant.

4 Videtis P. & F. *quibuscum* nobis manus hodie sit conserenda, *obstinatis*, *clamosis*, *subdolis*, qui vbi semel loqui inceperunt, nolunt tacere, & quibus non *persuaseris*, etiamsi millies *persuaseris*. Hisce tamen vt occurramus, ne infirmorum periclitetur *perseverantia*, observandum est in limine ex parte *perseverantis*, *fideles*, *regenitos*, *renatos*, vel quovis modo verâ charitate *præditos*, de quorum perseverantiâ hîc solummodò agitur, *idem* penitus in hâc controversia sonare. Horum vlteriùs attendendi sunt quidam *gradus* sive *ascensus*, è talibus enim qui ejusdem videntur *cumuli*, alij πρόσκαιροι tantùm inveniuntur, hoc est, *externis* Ecclesiæ *symbolis*, & doctrinâ, pro tempore *initiati*, & *tincti*,

tincti, vel ad summum *gustu* cuiusdam *gaudij*, & *illuminationis*, ad ἀναπολογίαν solummodò *perfusi* quasi, aut *siderati*; alij fixiùs *radicati*, sicut *arbor* consita ad *aquarum scaturigines*, quæ fructum feret expectato tempore. Vtrumque diuisionis membrum, ex textu liquet. *Matth.* 13. Nec abludit illud *Bernardi* de fide triplici, *mortua*, *ficta*, & *probata*: Mortuam æstimat, quæ non operatur *dilectione*; fictam, quæ *moveri* incipit, sed *abortiva* moritur, & ex ipsâ probatione ostenditur esse *reproba*: sed *probata* est illa *fides*, quam comitatur *perseverantia*, quæ igneo fornacis liquamine *purgatior* egreditur, non κατ' οὐσίαν tantùm & *formaliter*, vtpote quia *simulata* non est aut *putatitia*, sed κατ' ἐπίτασιν quia istius fidei *gradũ* attingit, quæ κατ' ἐπιμονὴν καὶ ἐπίτευξιν, nõ *incerta* est aut *frustranea*, sed ad consecutionẽ finis vltimi, *perseverãter anhelat*.

Thomson. Vossius. Vnde πίστεως στερέωμα appellatur ab Apostolo, ad *Coloss.* 2. *v.* 5. *Morata* à *Tertulliano*, *radicata* & *confirmata* ab *Augustino*, & alijs, quâ qui *credit* semper *credit*, vel ex adversantium *confessione*, et nullo *insititio* peccato diffunditur. Est enim ista fides non *quâ credimus* tantùm ratione *actûs*, vel *quam credimus* respectu *obiecti*; sed per *quam* credimus, & denotat *habitum* (quemadmodum ad præsens institutum ap-

Trial. l. 3. cap. 1. positè distinguit *Wiclevus*) Hâc autem qui verè informantur, *renati*, *iustificati*, *sanctificati*, *abluti* sunt, & verè *habentur*, non quoad *oris* tantùm *professionem*,

Vers. 4. vt ij de quibus loquitur *Apostolus* Tit. 1. v. 16. vel *intellectus illuminationem*, aut doni cœlestis *gustum*, Heb. 6. Sed ipsius *cordis innovationem*, per gratiæ

Vers. 13. iniectum *semen*, & spiritus *incubatum*, quo *omnia*

possunt

possunt in *eo* qui *corroborat*, Phil. 4. Hinc habemus 2°. ex parte *potentiæ*, quâ obfirmantur ad hanc *perseverantiam*, *Possibile* aliquid dici vel respectu *rei* vel *Dei*; Rei, *duplici sensu*, vel *afficientis*, ita *fides* vt quiddam *adventitium*, ex suâ naturâ facilè à *subiecto* separatur; vel *affectæ*, sic homo etiam vel *constantissimus*, subitò privatur *bono* quod possidet. Sed ratione habitâ ad Deum, cui *concreditum* est hoc *depositū*, impossibile est vt *illud pereat* quod ille *sartū tectū* conservandū suscepit. Postremò quoad *eventum perseverandi*, aliud est à gratia, hoc est *gratuito* Dei in Christo *favore*, & *salutari* influxu *recedere* aliquo modo, sicut habet *articulus* nostræ *Ecclesiæ* 16us sive *retrocedere*; aliud prorsus *excidere* & *exauctorari*: aliud *peccare*; aliud funditùs *perire*: aliud *actum* charitatis *omittere*, siue *intermittere*; aliud *habitum amittere*. Neque enim quoties actio *pervertitur*, fides statim *subvertitur*; vel toties charitas *excutitur*, quoties in luctâ tentationis *concutitur*; Defluunt *fructus* & *folia*, dum *succus* arboris fructiferæ lateat in *radice*: Nec qui nonnunquam (vt *Nebuchadnezzar*) possessione deturbatur, amittit *ius hereditarium* à quo pro tempore excluditur. Pater quoties *filio* prodigo *irascitur*, toties illum non *expungit* ex natorum *genealogiâ*: nec cùm incipit severè *castigare*, desinit syncerè *amare*. 2 Tim. 1. Dan. 4. Luc. 15.

5 Quibus positis *convenit* 1°. per lavacrum *baptismi* quamplurimos *initiatos*, postea tamen penitùs *deficere*, & in æternum perire. Vnde prudenter monent *Theologi nostri* in *Synodo Dordracenâ* (quod & *Suarez* etiam observavit lib. 10. *de gratia* superioribus

nundinis edito, cap. 2.) non de *infantibus* sed *adultis* quæstionem hîc instituì, cùm *infantes* constet peccata non admittere huiusmodi quæ *vastant conscientiam*; nec *arbitrij* gaudere *vsu*, quo peccato obluctentur. Convenit 2°. *non electos* hujusmodi *adultos*, frequenter *verbum* prædicatum cum *gaudio audire*, *intellectum* illorum illuminari, *voluntatem* revelatis assentiri, sic vt ex fide tali *dogmatica*, & minimè *simulatâ*, oriatur *affectuum mutatio*, & morum *aliqualis emendatio*, eò vsq;, vt ex *charitatis iudicio*, *pro credentibus* & *iustificatis* à fratribus habeantur. Ita enim *Augustinus*; *Dicuntur à nobis filij Dei*, *nec sunt tamen* Deo, *et in hoc ingressu fidei si proficerent*, *amorem quoque humanæ gloriæ proficiendo superarent*. Nec 3io. possumus inficiari, *electos* ipsos, *regenitos*, & *iustificatos*, in *peccata* nonnunquam *atrocia* incidere, *spiritum contristare*, *indignationem* Dei paternam incurrere, *reatum* damnabilem contrahere; sic vt *demeritoriè* saltèm licet non *effectivè*, ius ad regnum cœlorum penitùs amittant. Calumniantur igitur *Bellarminus*, *Valentianus*, & *Suarez*, dum *Iovinianj*, *Begardorum*, & *Pelagianorum* hæresin *Wiclefo* & *Calvino* impingerent, ac si illi homines nonnullos *impeccabiles* constituissent. videant potiùs quo lixivio hanc labem eluant, qui *impletionem legis*, & *supererogationem*, aut *merita operum de condigno*, deprædicent. *Quartò* eatenùs gratificandum est *Remonstrantibus*, ut attendatur ipsorum *acumen*; quæstionem non esse, utrum *fideles* quà *fideles*, sed qui *fideles* à *gratia* possint *excidere*, & fidem *iustificantem* penitus profundere. Convenit *vltimò*, renatos dum perseverent, illud

De cor. & grat. c. 9. & in Ioan. tract. 53.

Tom. 3. d. 3. q. 2. p. 4.

Synod. p. 1138.

illud non à *propria* voluntatis *constantia*, aut intentione, sed à *gratia* Dei *speciali*, per *intervenientem* Christi *mediationem*, & *custodiam*, solummodò obtinere. Adeò vt reducatur tota difficultas ad hosce terminos; *Vtrum fideles, renati, iustificati, non quâ, sed qui tales, non fide simulatâ, dogmaticâ, sed viuâ, radicatâ, probatâ, Possint*] *non ratione sui vel rei, sed Dei & eventûs, nõ recedere tantùm à gratia, et grauiter peccare, sed excidere*] *sive totaliter vt nova opus sit institione; sive finaliter vt pereãt, & à collato semel in Filio Patris favore, æternùm destituantur.* Affirmãt hic è Pontificijs *Bellarminus, Becanus, Valentianus, Suarez:* è Lutheranis, *Hunnius, Eckardus, Winckelmãnus, Hincklemãnus, Lyserus, Havenreuterus, Frantzius, Cramerus, Osiander, Heisselbeinius:* è Remonstrantibus *Bertius, Corvinus, reliquiq; Actorum Synodalium consarcinatores,* vnà cum *Thomsono nostro,* & vniversa *Socinianorum* colluvie. Argumenta nostra præcipua ad hæc fere revocantur capita.

6 *Viatorum hæc est consuetudo, ab* incepto *numquam desistere, donec ad* terminum *in quo acquiescant pervenerint. At vos mihi cursum interrumpitis* (dilecti Filij) *&* perseverantiam *vobis confirmaturum* perseverare *vix permittitis. Vbi tamen illud percommodè cadit, quòd* benedicendi *ansam suppeditet* res ipsa, *quæ habetur præ manibus.* Benedicit *enim qui in bonis* suadet *&* docet *perseverantiam: Benè* docere *igitur ex hac parte est* benedicere, *& quod aliàs* *Benedictio.*

est explicandum, applicare. Quantilli enim est iste honor, *cuius calcem terit defectionis* ignominia? *Aut quâ fronte gratularer istiusmodi* beatudini, *quam à tergo sequitur Priami* calamitas? *In eo autem censu sunt (vt novimus) artes* omnes *&* scientiæ, *quibus nos excolimur*, gradus *ad quos evehimur*, charismata *&* dona Dei *palmaria, quibus cæteris prælucemus, nisi attexatur illis* immarcessibilis *perseverantiæ* coronis. *Quid enim juvaret* Sodomam *cum* Lotho *evasisse, & cum ipsius* vxore *in medio cursu, in* statuam salis *obriguisse? admovisse manum* aratro, *& infœliciter* respexisse? *cum* Galatis *in spiritu incepisse, & turpiter in* carne *descivisse? Non quæruntur in Christianis* initia, *sed* finis *(inquit* Hieronymus*) & regula est* Iurisconsultorum, *Nil* videtur *actum*, si quid supersit quod agatur. Τὸ γὰρ παρ' ὀλιγὸν γεγονὸς οὐ γέγονεν, *verba sunt* Basilij: *Et tritissimum est illud* Bernardi. *In* virtutis viâ *non* progredi *est* regredi. *Nocuit sanè* Iudæ *fuisse* Apostolum, *&* Iuliano Christianum, *quia inchoâsse, & non perseverâsse est ad* sublimius *aspirâsse fastigium, quò* ruina *sit periculosior. Ecquid pudendum non videtur architecti illius (de quo* Salvator

L. penul. ad. S.C. Syllan.

De Baptist. l. 2.

tor *in* Evangelio) *opprobrium*, Hic homo cœpit ædificare, & non potuit, imò noluit quod debuit perficere? Luc. 14.
κύων ὅτι ἐξέραμα 2 Pet. 2.
καὶ ὗς εἰς κύλισμα; canis *ad* vomitum, & sus ad volutabrum, *proverbia sunt* canonica, *quæ* Christiano *nauseam commoverent. Præstaret, ut ostendit* Apostolus, *viam justitiæ* nunquam cognovisse, quàm postea à præcepto tradito, vt arcus fallax, in obliquum desilijsse. *Perpendite quæ loquor,* (*dilecti Filij*) *et dabit vobis* Deus sapientiam in omnibus. *Circumstant vos cogentiores angustiæ, premunt grandiores sarcinæ, distrahunt anxietates, intercludunt obices, quas vix solet* Sathan *suis domesticis opponere. In* Doctoribus, *aut* Magistris *nostris*, levitas *quævis habetur* infamia; *error, hæresis; ut parricidium vrgetur in Ministro quævis* negligentia. *Exagitatur* lapsus, *vt* precipitium, *nævi nostri, vel cicatrices ostenduntur digito, vt vlcera vel lepra nocentissima. Quare vt* excellere *soletis summo cum bonorum emolumento*, *ita* deficere *nõ potestis absque gravissimo infirmiorum scandalo.* Sampson, *annon animadvertis* Philistæos *tibi perpetuò insidiari? Annon sentis te torpescere in talis* Dalilæ *gremio, quæ blanditur vt subver-*

tat, *et hostibus deridendum propinet?* *Quid lucrabimur ex* Doctorali purpurâ, *si de integritatis statione deturbet adversarius? vel cui inservit vsui* magistralis ornatus, *si sub byssino integumento miserum lateat* inconstantiæ, *aut* contemptûs *mancipium?* *Equidem vt radici securim paulò liberiùs admoveam*, *non* contristant *tantùm*, *sed* exanimant *Indulgentissimam hanc nostram* matrem, *quæ deferuntur indiès sive veræ, sive verisimiles lividorum querelæ*: Inceptores *tui tantùm* incipiunt, *&* graduati *ascendunt montes*, *vt otiosi* Endymionis somnum *dormiant* *Multis sufficit ad innocentiam, si colligant vel ex rumusculis, quod nobis objciant: à quovis* deprehenso, *detrahunt aliquid quod ostendant* Academiæ, *&* *vide (inquiunt)* an hæc sit tunica filij tui? *Quò commendatior vobis debet esse, si titubantèr incedatis*, solicitudo; *sin recti*, perseverantia. *Vtinam autem ego is essem* (spectatissimi Filij) *qui potui aliquod donum spirituale* εἰς τὸ στηριχθῆναι ὑμᾶς, *eum* Apostolo *impertire: sed acceptior fortasse erit, ex intimo cordis penetrali, lenitèr spirans* simplicitas, *quàm in labijs tantùm natans*, phalerata *hujus seculi* grandiloquentia. *Quodcunque igitùr*

Rom. 1.

dictavit

dictavit suis discipulis Salvator, *cùm demisit ipsos ad pensum exequendum, Mat.* 10. *Vel* Doctor gentium *suo* Tito, & *Timotheo. vel* Gregorius *suo* pastori, *vel* Bernardus Eugenio, *credite à me repetita; nam ista hujusmodi sunt, quæ beatos vos efficient. Quot* Patriarchæ, *quot* Prophetæ, *quot* Martyres, *quot illustres* Reformationis heroës, *benedicti in cœlis jam triumphant; isti calcârunt* perseverantiæ *semitam, quæ ad fontem omnium* Benedictionum *vos rectè ducet: O quàm exoptandum est illud* Iacobi, *post emensa hujus* vallis lachrymarum *incerta spacia, vltimum* benedicendo *exhalare, & super* extremo baculo *adorare. Quàm convenit glorioso in Christo militi*, scenam egredienti, Heb. 11. *hoc elogium*. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: In reliquo 2 Tim. 4. reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in isto die justus Iudex. *Cùm amici* Calvinum *admonuissent (vt habet* Beza *in ipsius vitâ) ne cum tanto valetudinis dispendio, assiduus & accubuus* chartis *impalleseceret: Quid?* vultis *(indignabundus respondet)* vt Dominus veniens me otiosum inveniret? *Ecce morbis* infractam, *perseverantiæ* pertinaciam!

ciam! *Nec tepidior* Vrsini *fervor, vt constat ex* tricolo *foribus musæi ipsius inscripto:*

In vita operib. præfixa.

Amice quisquis huc venis,
Aut agito paucis, aut abi;
Aut me laborantem adjuva.

At nostri ὀφρυόεντες καὶ ἀβρόχιτωνες (*vt loquitur* Nazianzenus) corrugato supercilio *hujusmodi plerunque habēt despicatui, atq; inde est quòd in tantâ* doctorum *frequentiâ, tanta sit* docentium *insolentia,*

Car. 11.

Apparent rari nantes in gurgite vasto.

Messis multa, *&* operarij *satis* instructi, *sed immittunt plerunq;* falcem, *vbi non oportet, vt verendum sit cùm* Dominus *veniret*, ementes *plures, &* vendentes, *quàm* oves *suas fidelitèr instituentes in* Templo *inveniat: Ita* qui volunt ditescere, incidunt in tentationem & laqueum, & cupiditates multas amentes & damnosas, *vt sapientèr monuit* Paulus *suum* Timotheum. Diotrephes φιλοπρωτεύων Ioanni *facessit negotium, &* Demas *apostata, adversarijs pro* Sanctorum apostasiâ *suppeditabit instantiam. Atquî de constanti vestro profectu potiora mihi persuadeo (egregij* Inceptores) *vobis sat scio non excidit illud Sapientis* כל אשר

Eccl. 9.

תמצא

תמצא ידך לעשות בכחך עשה Omne quod invenerit manus tua ad faciendum, instanter operare. *Illud* Salvatoris, Τὸ σφοδρὸν ἔνυχον Mar. 1.
λίαν, *illud* Apostoli ἀναζωπυρῶν, *vt constanti* 2 Tim. 1.
gressu, exerto collo, & irretorto oculo, metam omnibus propositam fœlicitèr tandem attingatis. Ambulat inter candelabra ἐρχόμενος *vobis &* ἀγωνοθετῶν, *qui* laboranti, vincenti, *& ad finem vsq;* perseveranti, *coronam, thronum, stellam matutinam, alba vestimenta* gratis *porriget, quæ nemo auferet. Eritis vt* Mons Sion, *qui æternùm non movebitur: vt palma vel cedrus in* Lebanon *extendetis ramos: non defluet* folium, *non arescet* radix, *renovabitur* ætas, *vt aquilæ non extinguetur* lucerna, *fluet* vnda *de situlis* vestris *ad multorum refrigerium. Per diem* Sol *non* vret vos, *neque* Luna *per noctem; cùm expetat* Sathan vos cribrare *vt triticum, interveniet* Salvatoris oratio, *ne* fides vestra *deficiat. Ruat qui vis* ἀλλόφυλος, ad lapillum emissum *è vestris fundis: reviviscant in vobis* Grostheadi, Wiclefi, Iuelli, Rainoldi, *& reliqui omnes fœcundissimæ Matris celebriores filij; & quid vultis amplius (gratissimi Filij)* exinanivi *meipsum, vt vos* ditescceretis: ὁ ὢν, καὶ ὁ

τῶν, καὶ ὁ ἐρχόμενος hodiè & heri, & semper idem, ita stabiliat vestros gressus, ad conficiendum curriculum, vt exultetis, sicut gigantes, in transitu, ascendatis vt sol ad meridiem, procedatis à fide ad fidem, à virtute ad virtutem, per illam gratiam, à quâ nunquam potest renatus finaliter aut totaliter excidere. Quod quomodò sit astruendum, adversùs tergiversantes cujuscunq; sectæ velites, aut Tartaros, superest ut contractiùs in sequentibus explicem.

Arg. 1m. 7 Vbi Primum nostrum sit argumentum ab electionis firmitate, quam textus suppeditat, hanc enim indissolubili sequuntur nexu, efficax in tempore vocatio, per fidem non revocanda iustificatio, & pacta tandem glorificatio, Rom. 8. 30. vnde sic instituitur ratio. Electi non possunt fide, vel gratiâ salutari, penitùs excidere, quia impossibile est vt seducantur: Mat. 24. 24. nam ita propositum Dei quod est secundum electionem non maneret firmum, quod est contra textum. Sed omnes verè renati & fideles sunt electi, quia, vt appositè Apostolum exponit Augustinus de prædest. sanct. c. 17. Non ergo alios sed quos prædestinavit illos & vocavit. Nec alios sed quos ita vocavit ipsos etiam iustificavit, nec alios sed quos prædestinavit, vocavit, iustificavit, ipsos etiam glorificavit, illo vtiq; sine qui non habet finem. ergò verè fideles & renati non possunt gratia aut fide penitùs excidere. Maiorem agnoscit Pontificij, nam ita reliquorum nomine Gregor. de Val. Tom. 3. d. 3. q. 2. p. 4. Certissime

tissimè futurum, vt ÿ tandem salventur beneficio infallibilis prædestinationis: nam qui sunt ex numero electorum manent saltem ad extremum; nec deficiunt finalitèr. Rotundiùs hoc efferunt *Lutherani: electum* dicere *finaliter perire* (inquit *Daniel Cramerus* in doct. de præd. c. 8. q. 7) *est contradictio in adiecto, electum* enim esse, & perire contrariè opponuntur: vbi quæst. sequent. egregiè hoc confirmat ex 2. Tim. 2. 19. *Firmum Dei fundamentum stat habens sigillum hoc, novit Dominus eos qui sunt sui.* In qua assertione singula (inquit) verba *pondus* habent. *Certitudo* enim hæc nititur primò *fundamento*: 2° non quocunq; sed *firmo*: 3° non hominis, sed *Dei*: 4° non *vacillante*, sed *stante*, idq; obsignato; idq; notitiâ Dei, non *simplicis* tantùm *inspectionis*, sed *discernente* suos à non suis. Quare commune hoc habent cum *Pontificijs*: vtcunq; *Electus* excidat forsan *totaliter*, non potest tamen *finalitèr*; quod et Diatribista noster videtur etiam probare, dum Electis justificationis *intercisionem*, reprobis *amissionem finalem* solummodò attribuit. Negant hic *Remonstrantes* absolutum quodvis, sive *electionis* sive *reprobationis* decretum, vt constat ex *primo Bertij postulato*, quod in præcedentibus fusè profligavimus. Ad illud verò Servatoris Mat. 24. quo significat seductionem Electorum esse *impossibilem*, respondent *quindecem* istius sectæ *primipili*, in *actis* & *scriptis Synodalibus* εἰ δύνατον in textu, non *absolutam* quandam *impossibilitatem*, sed magnam *difficultatem* denotare; deinde referendam esse istam *impossibilitatem*, non ad ipsius seductionis *eventum*, sed seducentium *consilium*, *conatum*, & *studium* Resp.

dium, vt sit sensus, quantum in *ipsis est*, *nil intentatum* relinquent, quò possint *electos* seducere. Illud autem si ipsorum machinationes non efficiant, nil obstat tamen quin *seipsos prodant* electi, & ex innatâ voluntatis labilitate effluant, & pereant. *aliàs* (inquiunt) *quid opus esset monitione* ne seducerentur, quos *impossibile* esset seduci? Sed *contra*, scopus *Salvatoris* est in eo loco (vt adversarij etiam fatentur) exaggerare *summum discrimen* vltimorum temporum, à *pseudo-Christis* & *pseudo-Prophetis*, vt suos adversus hujusmodi insultus muniret, quibus tam *horrendam* prædicit imminere *procellam*, vt (si *possibile* esset) non *electos* tantùm & *umbratiles professores*, sed etiam *electi* quos elegit (vt significantèr addit *Marcus*) ad discrimen eorum qui *putant se stare*, penitùs subverterentur & succumberent. Si εἰ δυνατὸν igitur isto in loco *difficultatem* tantùm notaret, & *impossibilitas* non ex parte rei, sed *conantium* solummodò æstimaretur, quæro breviter, vel difficultas ista *superabilis* erat à *pseudo-Christis* nervos omnes *intendentibus*, vel *non*: si *sic*, quid magni aut novi est talibus, *difficultates* omnes aggredi, & semper *electos* superare, cùm nil plerumq; remittant, quod in *illis est*? Si *non* habemus quod contendimus, obstaculum non intervenire ab ipsorum *impotentiâ* vel *socordiâ*, sed à *superiori causa*, quam frustra isti oppugnant. Adde quòd *textus* non admittit *glossam* tam *ridiculam*: Edent signa *magna* & *prodigia* pseudo-prophetæ, vt seducant, si fieri posset, *ipsos electos*; hoc est nil *intentatum relinquent*, vt quantum in *ipsis est* noceant: quis dubitat? quid opus erat vt hoc prædiceretur? Nam quando

Refutatio.

alitèr

aliter fecerunt? Sed positâ è contra *rei*, per Dei decretum *impossibilitate*: momenti erit summi *Servatoris monitum* & *exhortatio*: vtcunq; *obsignata* sit ante secula electorum *perseverantia*; vobis tamen *vigilandum* est & *orandum*, quia per *ista media*, ex *eodem* Dei *decreto* vobis est eluctandum. Non igitur *securi* possitis esse *his neglectis*, quoniam non constat à *priori* quid Deus decrevit, & immunes esse debetis ab aliorum scandalo. Quibus sic excussis, minorem aggrediuntur *adversarij*, & negant verè *renatos* & *fideles* esse certò ex *electorum* numero; cùm non tam *vastum* (vt illi notant) intercedat *chasma* inter *hos* & *reprobos*, quin *facilis* detur *transitus*, vt *reprobi*, *renati*, & *fideles*, *infideles* pro tempore saltem evadant.

8 Vnde *secundum* nostrum succedit *argumentum* à principio *externo conservante*: *Montes recedent*, & *colles dimovebuntur*, attamen *benignitas mea*, non à *te recedet*, & *fœdus pacis mea non dimovebitur*, *ait miserator tuus Iehovah*, *Isaiæ*, 54.10. Ecce indubitatũ *promissum*, sed quo hoc efficietur *medio*? *Reverentiam meam indam animo ipsorum vt non recedant à me*, Ier. 32.40. At quid si sic instructus se subducat, & præcipitet? *Iustus si cadat non collidetur*, *quia Iehovah sustentat manum eius*; Psal. 37.24. *quandoq;* forsan, at non semper: Imò *confirmabit vos vsq; ad finem*, 1. Cor, 1.8.9. Fieri hoc potest fortasse extrà *tentationis luctam*: at quid si *Satan* adversus illum omnes educeret copias? Non *finet tentari supra id quod potestis*, *sed vnâ cum tentatione præstabit exitum vt possitis sufferre*. 1. Cor. 10.13. *Virtutis Dei præsidio custo-* Arg. 2um.

diuntur ad salutem. 1. Pet. 1. 5. *Nil separabit nos à charitate Dei quæ est in Christo Iesu*, Rom. 8. ver. vlt. Vnde colligo: A quibus benignitas Dei non *recedet*, sic vt illi non *recedant* à tali *benignitate*, nec *cadentes* dejiciantur, sed *confirmabuntur* vsque ad *finem*, absq; *tentatione insuperabili*, *custodiente* Dei *præsidio* per fidem ad salutem, sic vt nil eos separet à *charitate Dei* quæ est in *Christo Iesu*, ij non possunt *gratiâ* Dei *salutari* & *fide* salvificâ prorsus excidere. Sed illa est omnium *fidelium* & *renatorum* conditio, vt ex locis adductis patet; Ergò *excidere* tales non possunt. Vtcunque speciatim *Adversarij* conentur diversimo è *testimonia* tam *expressa*, vel *elidere* prorsus, vel saltem *eludere*; Huc autem ferè *recidunt* quæ proferuntur ab illis omnia, *defectum* non esse ex *parte Dei*, qui præstat quod est pollicitus; sed *hominis*, qui pro arbitrij *summâ levitate* subtrahit se ab oblatis: haud aliter ac sponte claudens oculos, circumstans excludit lumen quotiescunq; voluerit. Vnde *Deus* nos tantùm munit ab *externis hostibus*, non à *domesticâ perfidiâ*: quò spectat illud *Bellarmini:* Charitas *ex se non excidit*, sed nos ab eâ interdum *excidimus*. Atqui miserum est illud *subterfugium*, cùm textus *nullam conditionem* respiciat, tanquam promissionis adimplendæ *causam* (vt rectè observavit *Maccovius*) sed ingerat *Deum ipsum* hanc *conditionem* quæ requiritur, *promittere* & *præstare*. Nam in quem finem *indet legem*, *sustentabit manu*, exitum dabit *tentationi*, nisi vt voluntas in quodvis scelus & periculum *præceps* & *cernua*, non succumbat, nec à *receptâ gratiâ* prorsus resiliat? Pastor *oves* spondet se absolutè servaturum, numquid liberabit

Resp.

De Iustif. l. 3. c. 15. Refut.

Col. Theolog. disp. 15.

liberabit fidem, si permittat eas *aberrare* & *perire*, quas ex pacto tenebatur sic custodire ne pro *innata simplicitate* aberrarent? *Secundò* excipiunt, præcipuè *Lutherani*, cum nostro *Diatribista*, vtcunq; electi quoad *eventum finaliter* redeant in *gratiam*, nil obstat tamen quin in progressu, *totaliter* eam vnà cum fide excutiant, sic ut *intercidatur* quasi, vel *interrumpatur* perseverantiæ *filum*, de novo, quoties illud accidit, *novo modo* connectendum. Sed hoc quàm parum valet *tertium* demonstrabit *argumentum*, à principio interno continuante petitum. *Instantia.*

9. In quocunq; manet *semen Dei*, sic ut *peccatum non faciat*, nec peccare possit; non potest à *recepta fide* penitùs excidere. *Principium* hoc *internum* & (si ita loqui liceat) *continuativum*, appellatur *radix insita*, Mat. 13. *Semen immortale*, 1. Pet. 1. *Vnctio manens*. 1. Ioh. 1. *Sermo insitus*, Iacob. 1. *Spiritus inhabitans*, 1. Cor. 16. *Fons aquæ salientis ad vitam æternam*, Ioh. 4. *Sed qui natus est ex Deo peccatum non facit, nec peccare potest, quoniam semen illius in eo manet*, 1. Ioh. 3. 9. Ergo nō potest gratiâ *penitùs excidere*. *Arg. 3um* V. 31. V. 23. V. 21. V. 21. V. 14.

Difficillimum esse hunc locum agnoscunt *Bellarminus*, & *Arminius*, & illorum quæ *horsum* adduci possunt *firmissimum*: quare suo more *varias Patrum* interpretationes accumulat *Cardinalis*: primam *Ambrosij* qui refert *illud semen* ad statum gloriæ. Secundam *Bernardi*, qui deducit à prædestinationis *gratia*. Tertiam *aliorum*, apud *Augustinum*, qui *non potest*, exponunt per *non debet* peccare. Deniq; *Augustini* ipsius duplicem sensum reddentis: *Non potest peccare*, ne *venialiter* quidem quatenùs est *Dei Filius*, sed vt *filius* *Resp. In exam. præd. Perk. De iustif. l. 3. c. 15. De nat. & grat. c. 14. De pecc. mer. & remiss. l. 2. c. 7. In Ioh. com. 5.*

filius est huius seculi; vel non *potest peccare*, hoc est *mortalitèr*, sic enim omnem excuteret *charitatem*, & non amplius esset renatus, vtcunq; in *venialia peccata* aliquoties prolabatur. Vltima hæc *Iesuitis* maximè arridet *expositio*, nec dissentiunt *Lutherani*, præcipuè *Hunnius* & *Eckhardus*. Sed expedita est responsio; vel enim illis *veniale* est peccatum, quod suâ naturâ *est tale*, quale nullum agnoscunt *Patres*, quos frustrà eo nomine hùc aggregari ostendit *Perkinsius* noster in problemate contra *Iod: Coccium*: vel quod ex *eventu* per Dei misericordiã in renato *veniam* consequitur, sic autem in nostras partes imprudentes concedunt. Siquidem *semen manens*, non permittit, vt peccatum in *renato regnet*, aut *fidem* penitùs *extinguat* vastando conscientiam. *Hyemem* suam patitur *talis arbor*, in quâ fructus & folia non efflorescunt: quinimò aliquoties tales subeat *procellas*, quibus subversioni videatur *proxima*; peccat igitur sed nunquam *ad mortem*; ex *infirmitate*, non ex *destinata malitia*; propositum resipiscendi nunquam *deliberatè* deponit, nec *habitum charitatis*, vtcunque *actus* pervertuntur. Haud secùs ac qui *apoplexiâ* laborat, aut animæ *deliquio*, sensu dum caret, *vitâ* penitùs non privatur; reviviscit enim post *paroxysmum*, non novæ vitæ *infusione* quæ aberat, sed *diffusione* ejusdem, quæ *inerat*. Vnde *Remonstrantes* post varias in *Synodalibus* tergiversationes, recipiunt se tandẽ ad familiare illud κρησφύγετον. *Quamdiu* (inquiunt) *aliquis est regenitus* non facit peccatum, nec delectatur *iniustitiâ*, quià *regeneratio* quasi in suo *gremio* hoc includit *semẽ*, quod cũ *peccandi libidine* est prorsus ἀσύστατον. Non inde tamẽ sequitur

Hieronym cont. P. lag. l. 1. & cont. Iovin. l. 2. Refut.

tur vt maneat semper *regenitus*, quia *habitum* à quo fovetur illud *semen*, vel *sensim* potest *deponere*, vel *celeriùs* prodigere. Mutuò fortasse hoc acceperunt à *Bellarmino*, qui generatim pronunciat, loca hujusmodi *excellentiam* charitatis probare, non *immobilitatem*. Sed repugnat *scopus Apostoli*, cui propositum est ostendere, quo *criterio* verè *Christiani* à cæteris secernantur. Ex *fructibus cognoscetis eos*, (inquit *Salvator*) Nec alitèr hîc *discipulus*. Qui ex *Diabolo est dat operam peccato*, securo impetu & pruriente desiderio: sed in *renato* latet semper aliquid, quod manum injecit, & retrahit, nempe *semen ipsius* cordi à *Spiritu Sancto* injectum. Ergò semen hoc est *indelebilis* quasi *character*, & *hæreditatis arrhabo*, quà renati ad redemptionem obsignantur, ut patet ex collatione versus 22i. 1i. cap. 1a. *Ep.* ad *Cor.cũ* 13o. 1i. ad *Ephes.* & 3o. 4i. vnde autem vim obtinet *contractus* nisi ex *sigillo*, aut *fructus* efflorescit, nisi ex *semine* in *radice*? Non ergò dependet *semen* à *regeneratione* (vt perperàm arguunt *Adversarij*) Sed à *semine regeneratio*. Non tu portas *radicem*, sed *radix te*. Rom. 11. 18. Quin & verbum *manet* in textu, designat *charitatis immobilitatem*, vnde efflorescit ea, quam deprædicat *Cardinalis*, ejusdem *excellentia*. Habitus ergò hìc manet in *semine*, semen conservatur à *satore*, sic vt non *profundatur*, ne *confundatur* fidelium & infidelium *conditio*, & nullius momenti esset *Apostoli* adhibita distinctio.

De iustific. l. 3. c. 15.

10 Quartò argumentamur *ex precibus salvatoris* & *salvandorum*, quibus præsertìm junctis nil *Pater* denegat. Intercedit autem *servator* pro suorum *perse-* *Argu. 4um.*

verantia: Pater *sancte, serva eos in nomine tuo, vt ab vnitate fidei, & charitate non divellantur.* Ioh. 17. 11. Si privilegium hoc contendas (cum nonnullis) *Apostolis* solummodò fuisse indultum, sequitur vers. 20. Non pro *ijs* rogo *tantùm*, sed *pro ijs qui credituri sunt per verbum eorum in me.* Credentium vlteriùs est hoc *inge sacrificium*, *Ne inducas nos in*
Vers. 13. *tentationem, sed libera nos à malo.* Matth 6. Et annectitur *promissum*, ne quispiam hæsitaret: *Amen Amen dico vobis, quæcunq; petieritis à Patre in nomine meo dabit vobis.* Io. 16. 23. vnde argumentum: Quod petunt *Christus* & *renati*, præsertim juxta voluntatem Patris, 1 *Ioh.* 5. 14. *indubitatò* impetrabunt; Sed petunt ij vt conserventur in *vnitate fidei*, & *liberentur à malo*, ne distrahantur aut deijciantur, ergò conser-
Resp. vantur perpetuò & nunquam excidunt. Pontificij hoc præteruolant, (vt obserues apud *Bellarminum*, *Valentianum*, *Suarez*, & *Becanum*,) quemadmodū & *cogentissima* à nostris adducta in hac lite *testimonia*: consultum enim ducunt homines *versuti* nō plus *proponere*, quàm commodè possint *solvere.* Quibus & hic suffragantur silentio suo *Lutherani*; & in vltimis *actis Synodalibus Arminiani*. Obseruâssent proculdubiò, exceptiones huiusmodi in *Colloquio Hagiensi*, *Christum* non fuisse *semper auditum*; vel *Deum nunquam voluisse* vt fideles *orarent ne possent deficere*, Ita ab *Amesio* nostro in *Coronide* protritas esse & dissipatas, vt cramben tam *insipidam* non audeant vlteriùs reponere.

Arg. 5 im. 11 Quintò vrgemus; Qui deficiunt *totaliter* vel *finaliter*, nunquam habuerunt *veram fidem.* Egressi sun

sunt *à nobis sed non fuerunt ex nobis*: 1 *Io.* 2. 19. Ergò *fides est tantùm electorum*, nec potest quispiam ab eâ deficere. *Pontificij* nihil hìc dicunt: obstrepunt *Lutherani*, & *Remonstrantes*: deficere à fide præsupponit illos *fidem* habuisse. Sed quem hìc *feriunt? Apostolum*: videamus quomodo *seipsum* defendit. Si *fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum*; hoc est si *reverà* fuissent *tales*, non *defecissent*. Annon manifestè sumit reverà *tales* non *deficere*; cùm igitur isti deficiant qui pro *talibus* fuerant habiti, vt manifesti *fierent* quia non erant ex nobis; ergò quidam sunt *fideles* quoad *professionem* tantùm *externam*, & in *mundi oculis*; quidam *reverà tales*, qui non omninò *deficiunt*. Omnem moveant lapidem *Adversarij*, non possunt *luci* tam *apertæ* tenebras offundere. *Resp.* *Quidam qui Filij Dei propter susceptam vel temporalitèr gratiam disiuntur à nobis nec sunt tamen Deo. Aug. de Corrept. & Grat. c. 9.*

12 Sextum nostrum argumentum proponit *Patrum* & *Scholasticorum* consensum. De Patribus audiamus *Gerardum Vossium*, Remonstrantium (si sit talis) omnium *perspicacissimum* & *doctissimum*, in *Historia* de *controversijs* quas *Pelagius* eiusque sectatores moverunt l. 7. ad Thes. 13. *Cùm iustificantem fidem* deficere posse, & reipsâ interdum deficere sancti *Patres* docent, intelligunt hoc *ratione actuum*, qui è potentiâ, sive *habitu fidei* emanant. Nam *potentiam* hanc, quam dicere possimus *semen* fidei actualis, haud *planè tolli, saltem in electis* minime diffitentur. Nihilominus ipsum *Augustinum* in suas partes obtorto collo protrahere satagit noster *Diatribista*, de *iustif. amiss. c.* 8. Sed conatu irrito, vt nervosè ostendit in *Animadversione* brevi, vir in *Patribus versatissimus* piæ memoriæ *Episcopus Sarisburiensis*. Quis *Arg.* 6um.

enim non obſervavit *Auguſtinum* contra *Pelagianos* aliquoties *populariter* agere; & non aliter quàm ex eventu, *Eccleſiæ* membra à cæteris diſtinguere? vt *Naturaliſtas*, *Sacramenta* & *cæteros* Eccleſiæ *ritus* inſuper habentes, eò commodiùs retunderet; contra *Donatiſtas* verò de *Eccleſia ſua* nimiùm gloriantes, *aliam* init *rationem*, quâ oſtendit, *non factioſorum* clamoribus, ſed *prædeſtinatorum* numero *Eccleſiam* definiri. Vnde manet ſemper diſcrimen inter *Chriſtianos nomine* & *re*, *vocatos* multos, & *electos* paucos, inter eos qui *ſacramenta* portant & non pertinent ad *miſericordiam*, et *inſcriptos in libro vitæ*, qui ad certam *perſeverantiam* ſunt obſignati. Quare cùm quamplurima Patrum *teſtimonia*, in hanc ſententiam congeſſiſſet *Gratianus*; Ex *præmiſſis* (inquit) *apparet* quòd charitas *ſemel habita* vlteriùs non *amittitur*. Qui enim charitatem ſemel *habuerit*, criminaliter vlteriùs *peccare* non *poterit*; vt ad *Gratiam*, non ad *Naturam* impoſſibilitas referatur: de pœn. d. 2. ad cap. 12. Non diſſentit *Lombardus* 3. ſent. d. 3. verba ipſius ſunt: *Poteſt hæc & cætera quæ de charitate dicta ſunt* (*intelligit à Patribus quos antèa confertim citaſſet*) *de perfecta intelligi, quam ſolam perfecti habent, atq; hæc ſemel habita non amittitur. Aquinas* charitatem eandem conſiderat, vel vt à *Spiritu Sancto* confertur vel vt in *ſe eſt*, vel vt *ſubjecto inhæret*: & eam, ex *parte* tantùm *ſubjecti amiſſibilem* eſſe concludit; 2ª. 2æ. q. 24. *art.* 11. Denique *Gregorius* de *Valentia* vt probet aliquos habitus infundi nobis *ſupernaturaliter* à Deo, *perſeverantiam* hanc imprudens ex ſcripturis deducit. 1. *Cor.* 13. Charitas nunquam excidit: eſt igitur (inquit)

De perſ ſanct. c. 7.

Id. in Pſ. 47.

quit) ea, *aliquid permanens* & *durabile*, 1. Io. 3. Omnis qui natus est ex Deo peccatū *non facit*, quia *semen* ipsius in eo manet. Est igitur in Iustis divino munere, *aliquid permanens*, & *durabile*, atq; adeò *habituale*. Denique cùm Iusti in Scripturis dicantur, *Renovari, Ablui, sanctificari, renasci, consignari spiritu sancto*, fieri divinæ naturæ *participes*, & similia, satis apparet ipsis *aliquod Donum permanens* atque adeò *habituale* tribui. In 1am 2æ. Aq. d. 4. q. 3. p. 4. Ex hisce autem æstimanda est aliorum ferè omnium *Scholasticorum* sententia.

13 Vltimum nostrum argumentum, *absurditates* & *incommoda* premit nonnulla, quæ adversariorum comitantur assertionem. *Fidei* enim aut *gratiæ*, sive *amissio finalis*, sive *interciso totalis*, 1° suspendet *Dei decreta*, & dona ἀμεταμέλητα, ex *incertissimo* hominis *arbitrio*. 2° disrumpit catenam *mediorum*, quam Deus in suorum solamen contexuit *inviolabilem*: 3° Sacramentis confert ex *opere operato* gratiam, dum *externis signis* & actionibus *regenerandi* vim attribuit. 4° Tollit distinctionem inter *reprobos* & *electos*, dum promiscuè *hos* & *illos* vel *admittit* pro libitu ad salvandorum conditionem, vel *excludit*. 5° Numerum ipsorum *ambiguum*, vel *ipsi Deo* reddit, reclamantibus ipsis *Scholasticis* ad 1am part. *Aquinatis*, q. 23. art. 7. 6°. *Certitudinem salutis* (quam *Lutherani* mordicùs nobiscum defendunt) afflictis conscientijs prorsùs eripit. 7° Evangelij *doctrinam* & *fiduciam*, in *lubricas* quasdam conjecturas, & *titubantes theorias* convertit, abducitq; miserè fluctuantes à *fide in Christo anchorâ*, ad naufragas seducentium & seductorum Arg. 7um

syrtes & brevia. 8° *Infantes* omnes baptizatos certâ *donat salute*, si antè usum rationis moriantur, nullâ habitâ ratione, quid *Deus* de talibus statuerit. 9° *Baptismum* suadent *reiterandum*, cùm novo *semento*, novâ opus sit *collatione* seminis. Postremò suspicionem injicit, *possibile* esse vt *nulli* sint omninò *electi*; nam si vnus *excidat*, quare non & *alter*? & *eâdem ratione*, cur non *omnes*? sic nulla potest esse *Ecclesia*, & *Christus* gratis esset mortuus. Quare si *certissima* sit *connectio*, inter *electionem*, & *omnia* ad salutem *media*; si Deus *ex pacto* suffulciat omnes suos *electos*, vt nec *tentationibus succumbant*, nec *finaliter* aut *totaliter* deficiant, si *semen* in illis maneat *incorruptum*, utcunque in peccata quædam *atrocissima* ex *infirmitate* aut *ignorantiâ*, incidunt: si *preces Salvatoris* & *salvandorum*, indubitatò semper audiantur, quibus petunt à *Patre* vt perseverent; & qui *totaliter* & *finaliter* excidunt, non fuerunt ex *salvandorum numero*; si *Patres* & *Scholastici* hanc doctrinam *suis suffragijs* confirmârunt; & *absurditates* non ferendæ comitentur adversariorum sententiam, concludo verè *renatum* sive *fidelem*, à *gratiâ* vel *fide salutari*, non *posse finaliter* aut *totaliter excidere*, ὅπερ ἔδει δεῖξαι, quod erat demonstrandum.

14 Superfunt *Adversariorum* argumenta, ad tres classes à *Lutheranis* & *Remonstrantibus* redacta, brevissimè diluenda; sc. *Testimoniorum*, *Exemplorum*, *Rationum*. Testimonium *primum* est decantatum illud *Ezechielis* c. 18. v. 24. *Si averterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, omnes iustitiæ eius quas fecit, non commemorabuntur, propter iniquitatem suam*

Ob. 1ª.

suam quam fecit, morietur: ergò *iustus*, qui & *fidelis* potest se *avertere*, alitèr *inanis* esset *interminatio*. Respondent *nonnulli*, conditionem nil *ponere* in *esse*, quod vtcunq; verum sit, de *Hypotheticis*, quæ ad ἐνέργειαν solummodò, sive *amplificationem*, adhibentur; & *exaggerandæ* rei alicujus *difficultati* vel *indignitati* inserviunt (ut *Si scanderem cœlos, ibi es*, Psal. 139. ridiculum esset inferre, ergò *potest* aliquis cœlum scandere.) *Conditionales* tamen, quibus *commonefactiones, promissiones*, vel *comminationes* superstruuntur, supponunt saltem aliquid in *posse*, licet nil *ponant* ex *vi connexionis*. Nemo enim seriò aliquem ad progressum in studijs sic adhortaretur; Si *omnes in publica Bibliotheca* libros mandes *memoriæ*, eris *Doctor* hisce *Comitijs*. Quid quod in præsenti negotio, *irrisori* in promptu esset, sic adversùs Prophetam subsumere. At *iustus* secundùm Orthodoxorum *thesin* non potest se avertere; ergò in *nihilum* recidit tua interminatio. Videtis quàm parùm opus sit, in *Logicis* hujusmodi *tricis*, diverticulum quærere. Alij asserunt non *iustum* κατ' ἀλήθειαν, qui *verè* & *syncerè* talis est, sed κατὰ δόξαν, *putatitium*, vel *hypocritam* hic intelligi. Sed jure non arrisit hæc responsio *Theologis* nostris in *Synodo Dordracena*, nam ut rectè notant ex *Augustino*; *Non erant filij*, quandò *erant in nomine*, & *professione* filiorum, non *quia iustitiam simulaverunt*, sed *quia in eo non permanserunt*. Quòd si *iustus* se averteret à *iustitia simulata* & *hypocritica*, annon potiùs *vivexet* quàm *moreretur*? quia exuisset *vulpem*, ut *agnum* indueret: Nollem igitùr insultandi ansam *adversarijs*, per *talia subterfugia* à *nostris* porrigi, præ-

Sol. nonnullorum.

Alij.

De corrept. & grat. cap 9.

præsertim cùm *textus* quod satisfaciat, suppediter. Duplex enim est *justitia*, inhærens sive *operum*, quâ *sanctificamur*; & *imputata* Christi, sive *fidei* quâ *justificamur*. Deinde *mors* non semper denotat *mortem æternam*, sed *temporalem*. Quibus positis sic brevissimè ex *scopo Propheta* respondeo: *Justum* posse se avertere à *justitia sua*, *suâ* nimirùm *sanctitate*, & in *atrocia* incidere *peccata*, sic ut in *interstitio* illo inter contractam *labem*; et pœnitentiæ *actum* renovatum, (quemadmodùm optimè se exprimunt *Dordracenses nostri*) p ossit amittere *aptitudinem* ad regnum cœlorum, et eam ob causam *morte temporariâ* puniri, ut contigit *Josiæ* Regem *Ægypti* in *Megiddo*, contra voluntatem Domini, aggredienti; non indè tamen sequitur illum, *justitiam* Christi, sive *fidei* penitùs excussisse. *Leprosus* siquidem apud *Judæos*, cogebatur pro tempore *domo carere*; non tamen *jus* ad domum *amisit*, quia sanatus potuit illam rursus possidere. Si dicas cum *Scholasticis* fidem et charitatem cum *peccato mortali* non posse *consistere*; concedo illud verum esse, quoad *actus* et *habitus* vtrinq; penitùs *radicatos* et *regnantes*; sed *habitus inæqualium virium* se invicem *oppugnantes*, non sic opponuntur, quin possunt *eundem hominem simul* et *semel* afficere et exercere. Vt patet in renati *luctâ* (quicquid obstrepunt *Arminiani*) ad *Rom.* 7°. Atq; hinc nervus apparet *interminationis Propheticæ*: Caveat vel *justissimus*, quomodò de *pietatis* fervore aliquid remittat, et *peccatorum* cœno licentiùs se immergat; nam vtcunque *gratia* Dei *immutabili*, et fidei *semine*, penitùs non destituatur, pœnas tamen dabit irritato *Patri*, in

Solut. vera.

2 Chron. 35. 22.

Aq. 2 2æ. q. 24. art. 12.

emenda-

emendationem propriam,& *cautelam* aliorum.

15 Secundò argumentantur ex *Math.*13. & *Luc.*8. *πρὸς καιρὸν*, sive qui ad *tempus* credunt, sunt *verè fideles*: nam *perseverantia* non est de fidei *essentia*, sed ejus *consequens*. Atqui *tales*, ut patet, excidunt; ergò verè *fideles* possunt excidere. Responsio est ex *ijsdem locis*, fideles quidem sunt, sed fide *evanidâ*, quæ specie differt à *radicatâ*, quæ electis competit, & de quâ solummodò est *quæstio*. Hoc ostendunt *oppositi effectus*, qui ex eâdem naturâ *specificâ* non solent profluere. *Ob.*2. *Sol.*

16 Tertium adducunt testimonium ex 6. ad *Hebr.* v.4.& 5.& seq. & ex 10.ejusdem *Epistolæ*, v. 26.27. & *annexis*, brevissimè sic formatur ratio. Qui facti fuerunt *participes* Spiritus Sancti,& *gustaverunt* illud donum cœleste,& *virtutes* futuri seculi, possunt *sanguinem fœderis*, per quem fuerunt *sanctificati*, *profanum ducere*: & *spiritum gratiæ*, *contumeliâ afficere*; Sed tales sunt verè *renati*; & sic facere est *apostatare*; ergò renati non sunt immunes à *finali* vel *totali* apostasiâ. Atquî observare potuissent ex *textu* (*indicante* ad cap.44.dist.2.de pœnit.*Gratiano*) aliud esse *gustare gratiam* & *virtutes* futuri seculi, aliud *radicatas* in cordis *penetrali habere*: aliud *affici* pro tempore, aliud *perfici* et *obsignari* in vitam æternam. Non negamus *reprobos* aliquoties cum *gaudio* audire, et *assensum* quandoq; non *simulatum* auditis præbere: imò (ut *Herodes* ad *Baptistæ* prædicationem) *multa facere ad legis ductum*, qui tamen ad *vomitum* redeant, et *volutabrum*, quia *canes* et *sues*, (utcunq; cum *ovibus* pascentes) nunquam exuissent: At *tales Chri-* *Obiect.*3. *Sol.*

Instantia. Refutatio. Maccovius disp.15.

stus mercatus est: 2 *Pet.*2.1. At non illos sibi, *interventu* pretij, *appropriando*, sed simplicitèr *liberando*, ut verbum ἀγοράζειν frequentiùs significat, vndè translati fuerunt à *superstitione*, ad *cognitionem salutis*, non ad *cognitionem salutarē*, quâ potuissent *alijs prædicare*, licet *ipsi essent reprobi*. At perire *potest frater* pro quo *Christus* est *mortuus*, 1 *Cor.*8.11. ergò *fideles* excidere. Respondeo, *destrui* potest ex parte per *interveniens scandalum*, quod et verbum ἀπολέω aliquo modo denotat: non *distrahi* penitùs ab illius *caula*, qui oves sibi commissas ad *finem* conservat: Aliud etiam est *fratrem* tristitiâ *afficere*, *Rom.*14.21. aut *conscientiam* vulnerare; aliud de *statione* suâ penitùs deturbare.

Instantia.

Refutatio.

Obiect.4ª. Sol.

17 In secundâ *classe* adducunt *Davidem*, *Solomonem*, *Petrum*, et *alios* fidei *naufragium* fecisse, ergò idem accidere potest *cæteris* omnibus *fidelibus*. Sed *diluta* sunt ista, et infinities à *nostris deleta*. *Davidem* liberat accuratè venerandus *Abbottus* à *Diatribista* et *Remonstrantibus*, à *Lutheranis* verò præcipuè doctissimus *Frater* meus *Professor*, cui plurimum in hoc argumento debet *Ecclesia*. Eadem est aliorum diligentia *Solomonem* eripiendi ab atro *Bellarmini* calculo, quo illum inter *reprobos* numerat, vt videre est apud *Serarium* de pœnitentiâ *Solomonis*. Summa est aberrâsse tales à *Domini pascuis*, sed non à *pastoris protectione* recessisse: pro tempore à fidei et virtutis *tramite*, sed non *penitùs* à *scopo* defecisse; in *naufragio* retinuerunt *tabulam*; in *hyeme*, *semen*; in *paroxysmo* lymphatico, rationis *principium*. Non cum *actu* perijt *habitus*, cum *affectu* seducto, redeundi *propositum*.

Ad cap 22. Lib.1.c.15. Dr Sebastianus Benefeildus in Præl.1.de Perseverant. Sanct. lib.1.c.5.

positum. In *Petro* res est clarissima, qui vtcunq; obtinuisset per *Seruatorem*, vt fides ejus non *deficeret*, indè tamen non est assecutus, vt *eundem* non negaret: *actus* igitùr *negationis*, *habitum* fidei non *extinxit*, sed *turbavit*. Vndè *Salvator* respiciendo, non *novum* infudit *habitum*, sed conservatum *resuscitat*, et *recordatus* est *Petrus*, vt habet *textus*, hoc est, ad *se redijt*, quem timor antèà *distraxerat*: suffragatur Iesuita *Cornelius* à *Lapide*, *Petrus negans Christum non perdidit fidem, sed peccavit contra eius Confessionem*. In *Exod.* c. 32. v. 5. Aliud et indè notandum, quibus *Christus* spondet *victoriam* in isto insultu *Satanæ*, illos non eximit à *medijs*, quibus victoria paretur; *Surgite* et *orate*, ne intretis in tentationem. Vndè liquet, *perseverantiæ donum*, *media* etiam includere, quæ ut dispositi *decretum*, promovet *exhortatio*, quod præcipuam *tertiæ classis* ab adversarijs prolatam *rationem* prorsus elidit.

18 Aliam attexit *argutiolam Petrus Bertius*: Si *fideles* (inquit) non possint deficere, tum *affectio* aliqua esset sine *subiecto*, putà *apostasia*. Quæro enim *quorum* illa sit? *Electorum*? at hi ita nunquam deficiunt. *Reproborum*? at hi *gratiam* istam *nunquam* habuerunt. *Respondeo*. Et electos posse à *fervore* et *gradibus pietatis* aliquoties *apostatare*, manente interim fidei *semine*; sic vt non *penitùs excidant*: Verùm notior est reproborum, sive *Iudæ*, sive *Iuliani* apostasia, non à fide *iustificâ*, quam nunquam habuerunt, sed *dogmatica* sive *professione* fidei, quâ inter cæteros pro tempore claruerunt. Ecce igitùr *Bertio*, suæ apostasiæ *subiectum duplex*, sed diverso sensu. *Ipse* autem videat, *Obiect.* 5ª. *Sol.*

ne tam *detestanda affectio*, apud se, et *Hymineos desertores* subjectum nimium *præparatum* inveniat.

Obiect. 6ª. 19 Vltimò vrgent *Synodici*, Excommunicati justè non censendi sunt in *fidelium* catalogo, quia verè traduntur *Satanæ*. Sed ista nonnunquam potest esse *renatorum* conditio; ergò possunt excidere. *Respondeo*,

Sol. aliud est *tradi Satanæ* cum *Epulone*, vt in *æternum* cum eo torquearis; aliud cum *incesto* Corinthiaco, in *exitium* carnis, vt *spiritus salvus sit in die Domini*. Secundo modo tradi potest *fidelis*, non *primo*. Excommunicatio enim non evellit fidei *fibras*, sed amputat impietatis *sarmenta*, vndè *excommunicatus* non desinit esse in occulto *membrum Ecclesiæ*; vtcunque quoad *externam* disciplinam pro tempore exterminetur: Quod *Bellarminus*, et *Suarez* aliquo modo

Tom. 1. contr. 4 l. 3. c. 6. fatentur. Et sic habetis (*P.* et *F.*) tam latè in hâc contro-

Tom. 3 d. 8. s. 1. versiâ *dispersa*, contractiùs vobis *proposita*, pro meo modulo. Faxit *Deus*, vt doctrinam hanc quam de *perseverantia* profitemur; *vita*, et *effectu* constanter præstemus, per *Iesum Christum Dominum* nostrum, cui cum *Patre* et *Spiritu Sancto* sit omnis *laus & gloria in secula seculorum*. AMEN.

LECTIO

LECTIO VII.

IN VESPERIIS COMITIORVM habita Oxon. Iulij 6. Ann. Dom. 1622.

De Salutis certitudine.

ROM. 9. 11, 12.

11 *Cùm enim nondùm nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali; ut secundùm electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante.*
12 *Dictum est ei, Quia maior seruiet minori.*

QVi descendunt mare in *nauibus*, facientes *operationem* in *aquis multis*, ipsi viderunt *opera Domini*, et *mirabilia* ejus in *profundo*, *Psal.* 107. Littus hujus *maris* huc vsq; legimus (Viri, *Patres* et *Fratres* in *Christo* dilectissimi) ad ductum illius *cynosuræ*, quâ in *aquis multis* et *turbatis* dirigitur operatio. Vidimus (vt meminisse potestis) ex hoc textu,

propositi Divini quod est *secundùm electionẽ*, constantem velificationem, cùm in *decernendo* inscrutabilitèr, tùm in *disponendo* suavitèr, & opportunè tandem *exequendo*, ut *firmitas* ejusdem *inconcussa* maneret, juxta illud; *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc, Novit Dominus qui sunt eius*, 2 *Tim.* 2.19. Firmitas autem ista *duplex* est; prima *obiecti*, sive *quoad rem* quæ indissolubili nexu *causarum* & *effectuum*, *mediorum* & *finis* nititur: Altera *subiecti*, sive *quoad nos*, quâ scimus; *cum Apostolo*, *cui credidimus*, *quàm certò potest depositum in finem conservare.* 2 *Tim.* 1.12. Παραθήκην, sive *depositum* hoc, juxta *Dordracenses* nostros) est *salutis pignus*, de quo cùm glorietur *Apostolus* se non posse confundi, quia *novit cui crediderit*, & *certus sit* eum potentem esse beneficij collati conservatorem: quid aliud nobis indicat, quàm *assensus fiducialis* actum, non *directum* tantùm esse in *rem promissam*, sed *reflexum*, etiam in *credentis apprehensionem*: Undè non solùm *hypotheticè*, aut *generatim* balbutiemus, qui *crediderit & baptizatus fuerit, servabitur*, Mar. 16, sed *speciatim* cordibus nostris occinamus; Nos *accepimus spiritum qui est ex Deo, ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis.* 1 Cor. 2.12. De *Perseverantia Sanctorum*, sive *obiecti certitudine*, superioribus *Vesperijs* differui. Certitudo igitur *salutis* sive *subiecti*, subjectum succedit hodiernæ (quæ præmanibus est) Διατύπωσις. Vidimus in superioribus *opera Dei*, & *mirabilia* ejus in *profundo*; Profundum hoc qui huc usq; tentârunt humanâ solummodò freti pixide & bolide, *ascendêrunt* (vt addit *Psalmista*) usq; *ad cælum*, & descendêrunt *usq; ad voragines*, turbati

sunt,

sunt & *nutârant sicut ebrius, & omnis eorum sapientia devorata est.* Nos verò clamantes *ad Iehovam* in *angustiâ de necessitatibus nostris*, identidem enatavimus, *procella* convertitur in *auram*, silent *fluctus*, apparet מחוז חפץ *portus voluntatis*, in quo tutò jam tandem figamus anchoram. Ista autem est *Salutis certitudo*, de quâ faxit *Deus*, ut *solida* potiùs & *salutaria*, quàm *diserta* & *subtilia* vobis hodiè proponam.

2 Quanti autem *momenti* sit hæc doctrina, pro *Pontificijs* suis testetur *Martinus Eisengrenius* in vestibulo libri *Apologetici* de *Certitudine gratiæ*. Ex hoc *unico* (inquit) *articulo, quantumvis mixtus à plerisque reputari queat, universus Papatus & Lutheranismus dependet*: Reformatorum verò sententiam, ad cap. 41. *Gen.* sic exprimit *Martinus Lutherus*: Etiamsi *nihil præterea peccatum fuisset in doctrina Pontificia, quàm quod docuerunt nos debere vagari, & fluctuare, ambigentes & dubios de Remissione peccatorum, gratia, & salute nostra: justas tamen habemus causas, cur ab Ecclesia infideli nos seiungeremus.* Vndè æstimet quispiam quàm periculosè *hic erratur*, & quanti interest aliquid *comprehensi* & *fixi*, in hoc articulo præ cæteris habere. Atq; vt in transcursu tantùm indigitem quid *Veteres* & *Recentiores*, hâc de re statuêrunt: *Patriarcharum* ante Servatoris *incarnationem*, hâc ex parte *persuasionem*, ad vivum delineat *Apostolus* ad *Heb.* 11. vbi singuli penè versus hunc *insignem* fidei *fructum* ingerunt: quem cap. 8. ad *Rom.* & passim aliàs, ex *electionis* et *fidei* doctrinâ attentè deducit. Nec *Patres* vnquam refixerunt hos à *Maioribus* suis præscriptos *Limites*. Nam licet ad *tumorem*

carnis

carnis reprimendum, qui *laxis* fertur *habenis* in præcipitia, frequentes sunt in *humili* quâdam solicitudine inculcanda; vel vt *præsumptionem* aut *torporem* excuterent, exaggerant *tentationes*, et *lapsus*, quibus firmissimus quisq: in hujus vitæ curriculo *concutitur* aliquoties, et *succumbit:* Inter tot tamen discrimina, ostendunt *fiduciam* eluctari, et in hunc *certitudinis portum* tandem se recipere. Siquidem *iusti viri securitas* rectè *Leoni* comparatur, (indicante lib. 31. *Moral.* et cap. 23. *Gregorio*) quia contra se dum quoslibet insugere conspicit, ad *mentis* suæ confidentiam redit, et scit quòd cunctos *adversantes superet*, quia illum solùm diligit, quem *invitus* nullo modo amittat. Quòd si aliàs, (vt fit alicubi) videantur hanc *certitudinem* expressiùs labefactare: vel *certitudinem* intelligunt *experientiæ*, quæ rei *eventum* non expectat, sed insequitur; vel *certitudinem* de aliorum *gratia* et *salute*, de quibus benè quidem *sperare* tenemur ex *charitate*, ex *fide* pronunciare *non* possimus: vel *certitudinem* non probant *extraordinariam*, ex suspectis *revelationibus*, vel *scientificam*; (sed alienam) ex *innatis* principijs: verùm *certitudinem fidei*, promissionibus Sacræ *Scripturæ*, et conscientiæ *synceritate* innixam, tantùm abest vt aversentur, vt tanquam *præcipuam* animæ *antidotum*, consternatis et fractis propinent. Fluctuant hîc magis *Scholastici*, ad 1 *Sent.* dist. 17. et 1, 2a. *Aquin.* q. 112. quos tamen *Catharinus* et *Eisengrenius* facilè ad partes *orthodoxas* inflectunt. Negat sanè *Aquinas*, *quæst. citata* art. 3. *hominem scire utrùm gratiâ sit instructus, necne:* fatetur tamen *ibidem* ad 2um de *ratione fidei esse vt homo sit certus de his quorum*

rum habet fidem. Vnde in illum articulum *Caietanus*: *Certitudine fidei quilibet scit certò se habere donum infusum fidei, idq; absq; formidine alterius partis.* Idem (licet paulò obscuriùs) ingerit *Scotus*, ad 3. sent. d. 23. q. vnicâ; faventibus *Medina*, *Bannes*, *Soto*, *Vasquez*, vt in *scholio* ad istum locum annotat recentissimus *Scoti* instaurator, *Hugo Cavellus*. Hisce prætulerunt facem *Altisiodorensis*, *Halensis*, *Bacconius*, et alij; vnde (ἀπὸ τοῦ μᾶλλον) de *Scholasticis* cõcludamus illos quidem negare *salutis certitudinem* ex *principijs innatis*, non ex *revelatis in Scriptura* colligi, vtcunq; suo more sic commiscent omnia, vt frequenter *sibi ipsis* vix constare videantur. *Summa. l. 3. Par 3. q. 7. ar. 2. In 3 sent. d 30. a. 1. Bonavent. 1. sent q. 17. Biel. in 2 sent. d. 27. q. 3.*

3 Hactenus de *vetustioribus*. Ad *Recentiorum* classem illos refero, qui superioris seculi *Reformationem* attigerunt, vel sunt insequuti. Hîc autem abière in *diversa* cùm *à veritate*, tũ *inter se*, primò *Pontificij*, deinde *Remonstrantes*, Pontificiorum rixas, & tergiversationes, sub dio nuper constituit *Concilij Tridentini historia*. *Catharinus* oppugnat *Sotum*, *Vega* vtrumque; *Marinarius Carmelita* ab his et illis *seorsim* sapit. Vnde sensum *Concilij* versatilem Sess. 6. c. 9. et Can. 13. vnusquisque ad suam *vertiginem* flectit et reflectit. Ex *eisdem præmissis* quibus hanc certitudinem *Catharinus* statuminat, eandem *Soto* exibilat. *Centauros* diceres et *Lapithas*, convenisse potiùs ad *Symposium*, quàm *Theologos* ad *lites* Ecclesiæ *sopiendas*. Vbi vt *primipili*, sic *asseclæ*, eandem contentionis serram reciprocant. Fides ex *parte obiecti* (inquit *Stapletonus* de *Iustif. l. 9.*) *facit hominem* certum *se esse in gratiâ*, quando habetur per *metum Spiritus*

ritus Sancti, vt probat *Bucerus*. Certumne facit *hominem*, et non *subiectum?* mouet *Spiritus* S. et tamen non promovet? *Sanderus* inter ancipites et vacillantes hâc de re *desultus*, *fiduciæ certitudinem* largitur, quam *fidei* detrahit, ac si *fides fiduciæ* non esset fundamentum, sed *confidendum* priùs, quàm *fidendum*. *Episcopius* siue *Bishoppus* noster (qui *Perkinsij* Catholicum *reformatum* deformare est aggressus) *certitudinem spei* concedit, quæ non *confundit*, Rom. 5. 5. Textum autem si consuluisset, radicem huius *spei* in *fide*, et *genealogiam* inde deductam manifestò observâsset. Nam quicquid *fides* credendo *acquirit*, hoc spes sustinendo *præsumit*; vt habet *Chrysostomus*. Dicit *fides*, parata sunt mihi *magna*; dicit *spes*, mihi ista *servãtur*; dicit *charitas*, ego *curro* ad illa. *Bernard. serm.* 50. Vt ergo spes *fidem*; ita *certitudo* hujus, illius præsupponit *certitudinem*, vt rectè in *Perkinsij* Apologiâ colligit clarissimus *Abbottus*. Vbi & *Wottonus* etiam annotat, quomodò *fidei* et *spei certitudo*, Apostolico sensu idem valent, quibus adhuc (quod sciam) ab *Adversarijs* non est satisfactum. Sed *Iesuitæ* hîc Panurgi præcipuè mihi videntur, qui talibus dignum *patellis* adaptent *operculum*, Subolet siquidem hisce *nasutis*, quòd *stabilitâ* hâc semel de *salute fiduciâ*, concidunt statim ipsorum *Invocationes*, *Peregrinationes*, *Missa*, *Purgatorium*, *Supererogationes*, *Indulgentiæ* & cæteræ ejusdem αἰσχροκερδίας *mensæ nummulariæ*. Vociferatur igitur *Bellarminus* de iustif. lib. 3. & cap. 2. quæstionis *statum* à *Chemnicio* & *Calvino* fraudulentèr *perverti*; quia *quæstio* (inquit) est *conditionalis*, quam illi *absolutè* determinant;

In homil. de fide, spe, & char. In Psal. 90.

minant; nec de *fiducia*, sed *fidei certitudine* instituitur dissertatio: ac si *fiducia*, fidei non esset *actus*, aut à nostræ dispositionis *constantiâ*, salus tanta penderet. *Greg. de Val.* Tom. 2. disp. 8. q. 4 punct. 4. de *triplici* distinguit *cognitione*, quarum *prima* excludit non tantùm *actum formidandi*, sed et *potentiam*; quamdiu quis *deliberatò* de re substrata cogitat, & eadem *deliberanti* succurrunt argumenta. *Secunda* excludit *actum*, sed non *potentiam*, sic tamen vt rarò vel nunquam accidat, vt quis *moraliter prudens* vacillet, quin intùs inueniat quo ad se redeat. *Tertia* est tantùm *probabilis*, ex *coniecturis* nonnullis et *signis*, quibus quùm satis confirmatus videatur *fidelis*, facilè, et meritò *formidare* potest, num illud *quod credit*, aut *oppositum* potiùs sit verum. *Prima*, competat *extraordinariò* illuminatis, vt *B. Virgini*, & *Apostolis*. *Secunda*, ijs tantùm qui à *mundanis* se longiùs semoverunt, et Dei *amori* et *familiaritati* arctiùs sese addixêrunt. Sic vt *tertia* solummodò sit *communis* sors fidelium, quâ *benè sperare* saltèm possunt de futurâ *fœlicitate*, sed nil *certò* concludere. Nec aliud *Concilium Tridentinum* definiuisse contendit. Aculeatior in nostros videtur *Becanus Iustif. Calviniſt.* c. 11. sed de re nil profert *singulare*. Etsi is (inquit) qui *fidem habet, certus esset de suâ fide*, non ideò quoq; *certus esset* de suâ *iustitiâ*, si sola *fides* non *iustificet*; nec certus de *perseverantia*, si fides amitti potest; nec certus de *prædestinatione*, si fides communis sit *reprobis* et *electis*; vbi obseruandum 1°. *Inhærentem*, quam prædicant *Pontificij*, *iustitiam*, salutis *incertitudinem* necessariò secum trahere. Nam quid inveniat in

se *iustissimus*, quod fidenter *Dei examini* audeat subijcere? Nec prætereundum secundò (quod acriter
De Iustif. l. 9. vrget *Stapletonus*) *Lutheranos*, fiduciæ certitudinem (dum tollunt *fidelium perseverantiam*) frustrà astruere. Nam si fides *excidat prorsus*, aut *intercidatur*, quid constanter mihi pollicear de *conclusione*, quæ talibus *præmissis* succollatur? Non immeritò igitur *Calvinus*, hos *Semi-papistas* appellat *Institut.* l. 3. c. 2. sect. 14. Nam vtcunq; *specialem fiduciam* adversus fluctuantem *Tridentinorum hæsitantiam*, ex firmissimis in Christo *promissis* optimè muniunt (vt videre est parte prima *Exam. Chemniciani* ad Sess. 6) Istam tamen dum restringunt ad *præsentem* fidelium *conditionem*, nec audeant aliquid *spondere* de *futura perseverantia*, non *versatum* nobis relinquunt *panem* subcineritium, nec à *Pontificiorum* fermento satis purgatum. Eundem proponunt nobis *Remonstrantes*, sed *paulò aliter* subactum: nam ita *Arminius*; Fideles certos esse posse se *à fide non defecturos*, nunquam habitum erat *pro dogmate catholico, nunquam eius contrarium pro hæretico.* Apertiùs *Grevenchovius* contra *Amesium*: Sensum electionis ad *gloriam* in hâc vitâ, *nullum* agnosco. Vnde *Remonstrantes Hagienses, laudabile*, et *vtile* esse ducunt, *dubitare* an ij *semper* futuri simus, *qui nunc sumus.* Verentur siquidem (ut alibi se expediunt) ne *certitudo* talis loco sit *pulvinaris*, quo seipsos molliter *fovere*, et suavitèr *demulcere*, atque ita *consolari* possint. Sufficit igitur (inquit *Corvinus* cont. *Molinæum*) ea *certitudo*, quâ fideles sciunt se, siquidem in *fide perseverent*, *permansuros* in Dei *gratiâ*, & vitam æternam consecuturos. Nec

Hos. 7. 8.

Coll. Hag. apud. Hom. con. Belg. pag. 116. Cap. 49.

aliter

aliter *Bertius*, in Sanct. *Apostasia*; vnde *certitudo conditionalis* tantùm colligitur, non *absoluta*, idq; de *præsenti* solummodò, et non futuro. Atq; tot agitata procellis, *pervenit* ad nos tandem hæc *Certitudinis* anchora.

4 Orthodoxam sententiam à *Theologis nostris* in Synodo *Dordracena* contractim sic habemus. Posse 1°. *quemvis fidelium persuasum habere, quòd per misericordiam Dei Patris sui sit in vera fide conservandus, & ad æternam salutem perducendus.* 2° *Extra studium pietatis, & vsum mediorum, non posse in actum exire talem fidei persuasionem.* Quæ 3° non *consequitur eum certitudinis gradum, qui omnem contrarij formidinem perpetuò excludat*, sed aliquandò *vivida* est, aliquandò *languida*, aliquandò, vt in grauissimis *tentationibus*, nulla. E quibus tamen *quartò elucet*, *fidelis*, & apprehendit *paternam* Dei erga se *misericordiam*, vitamq; æternam sibi *infallibiliter* conferendam, non incertæ *opinationis*, aut *spei* coniecturalis actu (cui *falsum* subesse potest) sed *veræ* et *viuæ* fidei per *adoptionis* spiritum, in eius corde excitatæ, & obsignatæ. Ista autem vt clariùs in se eluceſcant, et firmiùs muniantur aduersus reclamantium insultus, obseruandum est *primò ex parte subiecti*, non fideles *vniuersim*, *quouis modo*, sed *adultos* tantùm hìc *intelligi*, qui *rationis* vsu pollent, et *actus* fidei latentis *elicere* possint et applicare. Hos concipiamus *secundò* aliquid posse consequi *duobus modis*; *extraordinariò*, vt hìc per *reuelationem* paucis *indultam*; vel *ordinariò*, per fidei ἐνεργείαν quæ externis verbi *promissis*, et *Spiritus Sancti* interno suffulta testimonio, in omni-

Act. syn. Dord. ad art. 5.

bus plus minùs, ſed quantum ad verum ſolamen ſufficit, ſeſe erigit. *Tertius* terminus [*Debet*] duo ingerit, vel quod *neceſſe ſit* ex præcepto, vel convenit fideli eſſe certum. *Certitudo* autem illa *quarto* in *loco*, vel ad *obiectum* refertur, vel *ſubiectum*. Certitudo *obiecti*, eſt *immutabilitas* rei *cognitæ* vel *creditæ*, quæ fundamentum habet, vel in ipſius *neceſſitate*, vt *Deum eſſe bonum*, vel à contingentis *determinatione*, vt *Chriſtum* ad judicandum *vivos* & *mortuos* eſſe *venturum* Certitudo *ſubiecti* eſt *aſſenſus* noſter *rei*, quæ *cognoſcenda*, aut *credenda* proponitur. Ea autem pro diuerſitate *mediorum* in *ſubiecto capaci* et rectè *affecto*, *quadripartita* ſtatui poteſt: *Experientiæ*, ſiue *ſenſus*, quæ circa *obiectum proprium* non fallitur: *Scientiæ*, *concluſionis*, ex indubitatis *principijs*: *Intelligentiæ*, *principiorum*, in *Theoreticis*, vt *prudentiæ* in practicis: *Fides*, in *revelatis*. Atque hæc non tantùm *aſſenſitiva* eſt in *intellectu*, ſed *fiducialis* in *corde*, applicante, et acquieſcente in creditorum *firmitudine*. Fides enim eſt *duplex*, quæ creditur ſiue *Catholica* doctrina, nimirum in Scripturis diuinitùs revelata: vel *quâ creditur*, ſiue *ſpecialis*, quâ propoſitis non *aſſentitur* tantùm fidelis, ſed ſibi *applicat*, et *innititur*, vt inde *ſalutem* conſequatur. *Quintò*, ſalus iſta eſt duplex, *viæ*, tranquillitas ſcilicet *conſcientiæ*, ex *indubitatis* indubitatis *gnoriſmatis* acquiſita, et ſtabilita: vel *patriæ*, fœlicitas conditionis poſt hanc vitam poſſidenda. *Conuenit* autem *primò* inter omnes, non poſſe quemquam per *lumen naturale* intellectûs, certò & euidenter *ſcire*, ſe eſſe in *gratiâ*, quia quæ ſunt *hominis nemo novit niſi ſpiritus hominis*, 1 *Cor.* 2. Nec contro-

controvertitur 2°. de *extraordinaria, revelata, morali* vel *coniecturali* cognitione; multò minùs de *spe temeraria*, siue *præsumptione*; nam ridiculum esset de talibus movere litem, in quibus error latere potest, & vnusquisque absq; *fundamento*, aut *medijs*, abundet suo sensu. Convenit 3°. *fiduciam in Deo* per *Christum* esse collocandam, iuxta promissa Divina in *Scripturis* promulgata, non in lubricâ *hominum* tergiversatione, quæ quovis turbine abripitur 4°. enim *nimis constat*, *fiduciam* istam *innatæ imbecillitatis* respectu, *concuti* aliquoties, et *fluctuare*, præsertim in vocationis *tyrocinio*, quando *neophyti* sumus aut ὀλιγόπιστοι, vel sub *cruce*, aut in *lucta tentationis*, vbi spiritus *solatij* sic nonnunquam intercludatur, & *lumen* Divini vultûs *abscondatur*, vt in *excessu mentis* excidat fideli illa *Davidis* querela, *Proiectus sum à facie oculorum tuorum.* Ps. 31. vel *Iobi*, *Terrores Domini militant contra me*, *Iob 6.* vel *Servatoris*, *Deus mi*, *Deus mi*, *vt quid dereliquisti me?* Matth. 27 Vnde quæstiò non est 5° *de generali fide*, seu *catholica*, quâ assentimur *Scripturæ*; sed *speciali*, & *applicante* per explorata media, vt agnoscit *Bellarminus* ad finem *cap. 2. lib. 3. de Iustific.* Nec ambigitur 6°. de *possibilitate præsentis confidentiæ* (quam libenter cum *Lutheranis* admittunt *Arminiani*) sed *futuræ perseverantiæ*, quâ gloriatur in curriculi termino, salutis *coronam* nobis esse *repositam.* Cùm autem salus *via* et *patria*, tam fixâ lege ad se invicem ordinentur, vt de *posteriori* nil quispiam sibi polliceatur, qui de *priori*, non habet aliquid explorati; Convenit 7°. vnam ex his, alteram vel *inferre*, vel præsupponere. Vnde *dissensus* non

est

est 8°. quid *fieri possit*, aut *convenit*; sed quid *fit*, aut ex præcepto *debet fieri* à fideli, qui hic *consolationem* expectat *certam* futuræ gloriæ. Quæritur itaque, An *Christianus fidelis adultus*, possit] *non tantùm de præsenti, sed de futuro statu; non quoad actum perpetuò continuatum*, sed *fundamentum & habitum nunquam amissum*; et debeat] non ex *dignitatis propriæ, sed dignationis Divinæ & custodiæ deliberato intuitu*: certus esse] *non certitudine tantùm obiecti, sed subiecti; non experientia, intelligentia, aut prudentia; sed fidei vivæ & iustificantis; non de aliorum* (nisi ex charitate) sed *ex conscio examine & fiducia; de* sua] tàm *patriæ, quàm viæ* salute.] Hic alij *hæsitant*, alij *sophisticantur*, Iesuitæ expressè *negant*; Nos *affirmamus*. Argumenta nostra *præcipua* ad hunc fere se habent modum.

Benedict. 5 *Certitudinem salutis qui sumo* benedictionis *loco non ducit, næ ille* lacte *potiùs opus habet, quàm* solidiori cibo. *Quò opportuniùs vos interceditis* (*Dilecti* filij) *ne in tanti beneficij* sportula, *dimensum vestrum negligatur. Sed vt* manus *temerè non sunt alicui* imponendæ
1 Tim. 5. *(præcipiente* Apostolo) *Ita &* benedictionum *gazæ, absque* delectu *non sunt prodigendæ.*
Gen. 27. *Cæcus* Isaac attrectaret *priùs suos* filios, *quàm*
Gen. 48. benedictionem *impertiret*. Iacob *expiraturus, noluit manus disponere ad* Iosephi ductum; cœlestia *siquidem* hujusmodi *non sunt* consuetudinis,

tudinis, aut meræ *indulgentiæ*, sed *meriti*, & modestiæ, ἀναθήματα. *Manum non hisce injiciat* Magus *aliquis* Simoniacus, *aut tergiversator* Demas, *aut subversor* Elymas; *Sycophantæ*, *Institores*, *Susurrones*, Καίρῳ θηλεύοντες, χόλῃ πικρίας *macerati*, *nec* sortem *habent*, *nec* partem *in hoc negotio*. *Quanquam enim* Epiphanius *ab irruente populo*, & Chrysostomus post *exilium è* cathedrâ, *coacti fuerint aliquo modo* benedictionibus *pacem paciſci*: *Nec de-* Sozom. l. 8. c. 18. *fuêrunt è priſcâ ſuperſtitione*, Paulus *qui* Leonibus, Cutbertus *qui* piſcibus, Franciſcus *qui* volatilibus *eandem indulſerunt gratiam*: *Nobis tamen diſpiciendum eſt*, *quibus* novalibus & ſulcis, *mandemus* ſemen, *ne* volucres *auferant*, *aut non foveat* petra, *aut ſuffocent* ſpinæ, & *proventum optatum anticipent*. Innocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in vano animam ſuam, nec juravit in dolo proximo ſuo (*modulamen*, *vt noſtis*, *eſt* Pſalmiſtæ) *hic ac-* Pſal. 24. 4. cipiet benedictionem à Domino. *Aliàs v-ſurpemus illud* Balaami, Num. 23. *Quomodò benedicam cui non benedixit Dominus? aut quâ confidentiâ optemus ſalutaria*, *vbi Deus avertit faciem*. *Notiſſima eſt iſta apud* Bedam *hiſtoria*, *reje-* l. 3. c. 2.

cisse Britonum Episcopos, Augustinum *Papæ* Legatum, *quia* facilem *se illis &* humilem (vt Ecclesiasticum *decuit*) *primo congressu non exhibuit. Et extat apud* Hugonem de S. Victore *inter* Deum & Diabolum, *eâdem de re altercatio. Jussit* Dominus *funiculos afferri in* partitionem, *& invenit* virentia *&* irrigua *in* vallibus *imis*, minora *spacio*, majora *pretio*; *&* *hæc præcepit reponi ad* partem vnam. Deserta *vero &* arida *in* rupibus, *&* montibus *altis*, læta *&* *aspectu* patentia, *magna spacio, reponi voluit ad partem alteram, jussitq; vocari* Diabolum, *cui ait*; *Ne fortè aut* violentiam *judicantis, aut avaritiam dantis causam velles, quicquid oculus tuus* videt *tibi* dabo. *Dæmon qui omnia* sublimia *considerat*, humilia *non respicit, levat in illa* oculos, *ac sibi meliora cessisse gloriatur. Cui* Deus, *Tu* laudas quod vides, & ego quod video laudo, tu in imo es, propterea oculis tuis non nisi alta ac excelsa patent; Ego desuper contemplor quam habent amœnitatem humilia. *Etenim* vt semita *ad cœlum, per hujus mundi* abrupta *pateat, attollendæ sunt humilitatis* valles, *&* *superbiæ* montes *complanandi, priusquam* τὸ σωτήριον τοῦ Θεοῦ, *nobis veniat*

In Sent.

Luc. 3. Isai 40.

niat in conſpectum. Si igitur eâ, qu âpareſt, humilitate (*Dilecti Filij*) *hæc adeatis* ſacraria, *devotè expectantes à* Domino, *quod miniſter indignus exoptet* ipſius nomine, *ſi fermentum* ambitionis *non intumeſcat, ſub iſto habitu* coccineo, *quâ* pileo *ſtatim* donati, *Benedicentem vnà cum* benedictione, *inſuper ſitis habituri. omitti ſanè potuit hæc* ſolennitas, *obſervantibus non profutura. Ego loquar, vos audiatis, vt* ventum ſeminavimus, *ſic* turbinem *metemus; & quadret illud* Ieremiæ, *Majores* miſerunt *minores ad hauriendum, ſed* vaſa *reportârunt* vacua, *pudore & rubore ſuffuſi. Sin tales futuri ſitis, quales vos hactenùs experta eſt* Mater Academia, *induſtrij, ſynceri, humiles, non* muſcæ *in vnguento, non* colubri *in viâ, non* Simiæ *in tecto, quos non* inflent *tituli, non* præcipitent *gradus, ad* parium, *aut* inferiorum *contemptum, & opprobrium: Agedum quod mei muneris eſt animitùs exequar, nec dubitaverim quin* Pater benedictionum, *ita* Benedicenti, *&* Benedictis *propitius annuet.* Hoſ. 4. Ier. 14.

6 *Atque hîc quid ſalutarius vobis voveam, quàm (quæ jam præ manibus habetur)* ſalutis certitudinem. *Virtus, honor, divitiæ, voluptates,*

De civit Dei l.19.c.1. tes, *pro cujusque gustu, aut vertigine, apud filios* hujus seculi, *primas obtinent. Enumerat* Varro *apud* Augustinum 288, *discrepantes de* fœlicitate *sententias. Sed omnes* declinaverunt *à viâ*

Psal.14. (*vt loquitur* Psalmista) *vel vt* Apostolus, ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοις, *vani facti sunt in* ratiocinijs suis. *Nam sine hâc* salutis certitudine, *fluctuat* Socrates, *& trepidat* Adrianus, *ad mortis pallorem*; *alij* æstuant, *alij* stupent, *alij* vlulant, *sub adversæ sortis iniquiori pressurâ, dum placidè obdormit noster* Stephanus *sub* lapidantium *lumbifragio*; Ignatius *properat ad* bestias, *vt* triticum *molæ destinatum*; *irridet* Laurentius *animose* Tyrannum, *&* Tortorem *cum* craticulâ, *non alio erecti solatio, nisi* futuræ salutis *certitudine. Hujus* patriæ *expectatio*, *facilè mitigabit omnes viæ* ærumnas, *dum semper secum reputet* fidelis, *Ago-*

Phil.3. *nothetam ipsum* respicere, *&* sustentare, *non vt* immotus *perstet, sed ne* jactatus *corruat, vndè fixio gressu extendit se ad* anteriora, *quæ noverit non in* medio *relicta*, *sed sibi esse reposita. Quid enim proderit* Christiano de electionis *&* perseverantiæ *indubitato eventu, de Redemptoris* merito *&* misericordiâ, *recondita quæq;*

spe-

ſpeculari, dum ipſe ex nullis *colligat* indicijs, *ſe eſſe ex* benedicto *illo ſalvandorum numero? Deploratiſſima mihi ſemper viſa eſt iſtius* Medici Florentini, Iohannis *de* Canis *apud* Gellum *in dialogo* 2°. Chimærico *hæſitantia. Qui in* extremis *conſtitutus, ita miſerè expiravit. Mox (inquiens)* ſciam, an anima ſit immortalis, necne. *Digna quidem concluſio* Machiavelli *conterraneo, aut* Lindani *Dubitantio, è* Iohannis 24ⁱ. Benedicti 9ⁱ. Alexandri 6ⁱ. *&* Leonis 10ⁱ. Papali *Schola: Cui Symmiſtam addit* Bellarminus, *de arte moriendi l. 2. c. 10. ex* Advocatorum *conſiſtorio; qui excitatus in vltimo agone vt pœnitentiam ageret*, conſtanti animo, *&* ſine vllo metu, *hanc ad Deum inſtituit apoſtrophen*; Ego, Domine, concupivi alloqui te, non pro me, ſed pro conjuge meâ, & liberis meis; ego enim propero ad inferos, neq; eſt vt aliquid pro me agas. *Atq; hæc protulit (inquit* Bellarminus, *qui interfuit) animo tam tranquillo ac ſi de* itinere *ad* villam, *aut* oppidum *aliquod loqueretur. Tantum abfuit à* ſalutis certitudine. *vt convaſatis veluti omnibus, in* gehennæ *abyſſum rectà pergeret. Quid* Caſuiſtæ *(vt vulgò audiunt) ex eâdem diſcipli-*

nâ, *nunquid immiſcent aliquid* præſentius, *ad refrigerium æſtuantis conſcientiæ circumfluctuantem animulam per* Traditionum, Decretorum, & Decretalium, *horrendum* Chaos, *obruunt* ſuperſtitionum, & ceremoniarum *non ferendâ* ſarcinâ, *dementant* ſubtilitatum & fabularum, *inextricabili* labyrintho. *At de* inducto, *qui adverſus nos erat*, chirographo, *de pretio* redemptionis *per* imputatam *Chriſti* Iuſtitiam, *de* fide *quæ eam* apprehendit, & applicat, *vndè oriatur* (*de quâ loquimur*) *ſalutis* certitudo, *triſtiſſimum apud* hos ſilentium.

Pſ. 16. *Quò in* amœnioribus *cecidêrunt* locis *noſtri* funes, {Patres, Fratres, &} Filij *in hoc conſortio fœliciſſimi, vbi applicat ſibi ipſi vnuſquiſque illud* Pſalmiſtæ auſpicium. *Si ambulavero* per vallem vmbræ mortis non timebo malum, quoniam tu mecum, virga tua & baculus tuus ipſa conſolantur me. *Vidit hoc è longinquo quaſi per nebulam* infœlix Balaam, *Num.* 23. *Ideoque* Moriatur *(inquit)* anima mea morte juſtorum, & ſint noviſſima mea horum ſimilia.

Pſal. 23.

7 *Quare vt Deus* Abrahamum *eductum foras alloquutus eſt*, Gen. 15. Suſpice nunc cœlum,

lum,& numera ſtellas,ſi potes,ſic enim erit ſemen tuum. *Ita liceat mihi vos affari,* Scrutamini Scripturas, & promiſſiones inibi in Chriſto conſignatas, *licet iſta* ἀνυπόστατα *videantur,* Heb.6. *& oculorum obtutum fugientia*; fides *tamen penetrat ad* interiora velamina, *& poſſidet illud ad quod tendit, per ſitientem* ſpei *affectum. Tria* (*inquit* Bernardus) conſidero,in quibus tota ſpes mea conſiſtit; Charitatem adoptionis,veritatem promiſſionis,poteſtatem redditionis.*Murmuret jam quantum voluerit* inſipiens cogitatio *mea, dicens,* Quis enim es tu? & quanta eſt illa gloria,quibuſve meritis hæc obtinere ſperas? Et ego fiduciali ter reſpondebo,Scio cui credidi, & certus ſum quia in charitate nimiâ adoptauit me,quia verax in promiſſione, & potens in exhibitione, *Ecce vobis tranquillitatis* portum,*ſpei* anchoram, *fidei* propugnaculum; *ad quod fidelis ſe recipiat tanquam ad* beatas Inſulas,*& omnium* benedictionum *mercibus animam locupletet. Quas vt abſque cujuſpiam murmure libratiùs inter vos diſtribuam*: *Vtcunque* Theologis *hiſce paucis illa adaptetur* benedictio, *Gen.*9. Creſcite & multiplicamini:

Dom 6.poſt Pentecoſt da 7 partibus. Ser.3.

mini: *Securior tamen erit è re nata illa, Psal.* 35. אני ישועתכם Salus vestra ego *sum. Cùm igitùr* Achabus *violentèr extorquebit à vobis* vineam, *fraudulentèr aliquid detinebunt* Ananias & Saphira, Pharisæi *calumnijs*, Elymas *astu*, Herodes *tyrannide*, *vitæ aut* fortunis vestris *insidiantur*, certitudo *futuræ salutis vobis semper sit* solatio. *Ecquid animadvertitis quàm* pluviæ &) venti *parùm possint in illud* ædificium, *quod supra* petram *consolidatur? Si* trepides, *non credis*; *si* diffidas, *deseris*; *non circumspicis quantum præponderat* hostium *insultibus*, *illud quod te circumstat subsidium. O vbi Davidis* Higgaion &) Selah, *Quare* tristis es anima mea, & quare conturbas me? Expecta Dominum, virilitèr age, & confortetur cor tuum. *Vbi* Pauli *Heroica magnanimitas?* Existimo quod non sunt condignæ passiones huius temporis, ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. Medici *et* Iurisconsulti *hîc libentissimè in partes veniunt*, *quibus ipse nihil optare possum præstantius*, *quam vt desinat ipsorum* praxis, *in hâc* certitudinis theoriâ. *Vultis* sanitatem? *hanc* æternam *præstabit non* lapis *aliquis* Philosophicus, *sed* Theologicus,

Psal. 9. Psal. 43.

Rom. 8. 18.

excisus

excisus è monte, *et* positus in Sion, *in quem* 1 Pet. 2. Isai. 28. *qui* crediderit, *non* confundetur. Pacem *vultis? hîc habetur quæ* superat omnem intellectum. *Postremò ne vos neglexisse videar* (*candidati* Philosophi) *faxit ille omnium* artium author, *et* magister, *vt vestræ* apodeixes, *cuiuscunque demum acuminis*, resolvantur *tandem in hanc, de qua loquor*, salutis certitudinem. *Quid enim aliud sunt omnes* facultates *aut* disciplinæ *absq; hoc* magisterio, *quàm* (*vt quidam definivit* Chymiam) multiplicatio totius per nihilum, aut *araneæ tela ad* capiendas muscas, *summâ cum anxietate contexta? in quibus* omnibus *si assequaris* omnia, *non invenias tamen quod succurrat æstuanti* conscientiæ; *Elegans aut* concinnus *forsan audire possis, at* beatus *et* benedictus *non possis. Junctim vt vos omnes* compellem, *et dimittam*, Benedicat *vobis* Dominus *et* custodiat *vos*, *ostendat vobis* Dominus faciem *suam, et* misereatur vestri, Convertat Dominus vultum *ad vos*, & det vobis pacem, quæ obsignet conscientijs vestris hanc salutis certitudinem. Quam supereſt vt *ostendamus* quomodò *vnicuiq;* fideli competere *possit*, et *debet*. Num. 6.

Arg.1m. 8 Vbi primum nostrum *argumentum*, sit à *fidei* ipsius *naturâ* Est enim *fides* ὑπόστασις & ἔλεγχος, *substantia sperandorum*, & *argumentum* non *apparentium*, ad Hebr. 11. Ostendit *Græcus Scholiastes* quo sensu, quatenus *non-præsentia* efficit, vt aliquo modo *extent*, & *invisibilia* in *conspectum*, non *oculorum*, sed *spei*, & *mentis*, *protrahit*. Vis siquidem est fidei (asserẽte *Chrysostomo*) etiam *procul dissita* cernere, in 3. ad Gal. Suffragatur *Bernardus*, Est *voluntaria quædam & certa prælibatio nec dum propalatæ veritatis*; de Consid. l. 5. quæ quasi *realitèr* in intellectu & cordibus fidelium, *existere* facit sua *obiecta*. Hinc πεποίθησις *fiducia*, Ephes, 3. 12. παῤῥησία, *libera, aperta, & confidens professio*, 2. *Cor*. 3. 12. 1. *Tim*. 3. 13. *Hebr*. 3. 6. & 4. 16. πληροφορία *persuasio, plena certioratio*, 1 *Thes*. 1, 5. *Heb*. 6. 11. *Et* 10. 22. fidei vt *affectiones propriæ*, siue *necessaria adiuncta* attribuuntur. Quibus opponitur διάκρισις *dubitatio*, sive *hæsitantia*, *Matth*. 21. 21. *Iacobi*. 1. 6. Vnde *argumentum*. Vbi *aperta, evidens, plena*, & *fiducialis* intercedit de peccatorum *remissione*, & Patris in filio *favore*, persuasio, ibi necessariò sequitur *salutis certitudo*, quia vt *fides* à fideli, ita nec istæ *proprietates* à fide possunt separari. Πίστις (inquit in *Psal*. 115. *Basilius*) ὑπὲρ τὰς λόγικας μεθόδους τὴν ψυχὴν εἰς συγκατάθησιν ἑλκοῦσα. *Fides præ cunctis rationalibus methodis animã trahit ad assensũ*, At vnusquisque *fidelis* ita *potest*, & *tenetur*, sibi ipsi *persuadere* & *confidere*, aliter enim non esset *fidelis*; ergò *potest* & *debet* esse *certus* de *suâ salute*. Respondet *Bellarmin*. fidem esse *certissimam*: neque vllum *Catholicorum* dixisse, fidem *non esse certam*, aut *posse dubitare*,

Tom 1. In illud Credidi, propter quod loquutus sum.

Except. De Justific. l. 3. c. 11.

dubitare, vel cum formidine assentiri, in ijs quæ ad finem pertinent. Sed *remissio* (inquit) *peccatorum*, sive *iustificatio*, ad *fidem* propriè *dictam* non *pertinet*, & per consequens nec *salutis certitudo*. Contra, *Delirare* hoc est non *disputare*. Nunquid enim pec- *Refutat.*
catorum *remissio*, non habetur inter *fidei articulos*, & *articuli* tandem *symboli*, ad *fidem* propriè *dictam* non pertinebunt? Pertinere certè ostendit *Paulus*, ex omnibus *Prophetis*, *Act.* 10. 43. Et apertiùs, ex *cæ-*
lesti ipsius *Christi oracvlo*, Act. 26. 18. Interponit *Except.* 2ª.
Episcopius noster contra *Perkinsium*, Fidem quidem includere *infallibilem* de rebus creditis *certitudinem*, sed *particulatim* illam non explicare. Vndè vtcunq; *fidelis* de *re* sit *certus*, de *se* nil habet *confirmati*. At *Refutatio.*
diverticulum hoc intercluſisset textus à *Perkinsio* adductus, ex *Ioh.* 1. 12. *Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, nempe ijs qui credunt in nomine eius.* Hic *credere* in *Christum*, & *recipere*, idem sonant; sed *recipere* est *applicare*, ergò qui verè *credunt*, verè *applicant*, et exclamant cum *Thomâ*, *Domine mi*, *Deus mi*, *Io.* 20. 28. Postremò hujus argumenti vim, declinant potiùs, quàm retundunt *Adversarij*: nam si *fides* alicui competat, ergò et ipsius *formalia*, ὑπόστασις & ἔλεγχος, & quæ indè fluunt *proprietates*, *persuasio*, *fiducia*, *libera*, & *aperta certioratio*. Nec dicas ista de *re* concludere, & non de *persona*, quia vt *fides* hæc habet *in se*, ita eadem necessariò confert *ijs* in quibus particulatim inest *personis*. Ista autem non *distrahi* aut *intercipi*, ratione *humanæ imbecillitatis*, aut *indispositionis*, ne debitum effectum sortiantur, probabit

Arg.um. 9 Secundum noſtrum *argumentum* à *promiſſis* in *Scriptura* conſignatis deſumptum. Quodcunque *Spiritus* teſtatur nos *poſſe* & *debere* credere, illud oportet nobis eſſe *perſuaſiſſimum*. Quia *ſpiritu ſignati ſumus in diem redemptionis*, *Eph.* 4. 30. quod eſt *arrhabo* ſiue *pignus hæreditatis* noſtræ, *Eph.* 1. 14. At *Spiritus* teſtatur nos poſſe & debere credere *ſalutis certitudinem*. Quia, Non *accepiſtis ſpiritum ſervitutis ad metum, ſed adoptionis, per quem clamamus Abba Pater. Et ille ipſe Spiritus teſtimonium reddit Spiritui noſtro nos eſſe filios Dei; ſi autem filij, & hæredes*, *Rom.* 8. 15. Et *quoniam ſumus filii, miſit Deus hunc* Spiritum *filij ſui*, *Gal.* 4. 6. Ergò *poſſumus & debemus hanc certitudinem* credere. Fatetur *Bellarminus* hæc præcipuè premere. Reſponſum tamen conſarcinat ex *lectione* duplici illius loci ad *Rom.* 8. Prima eſt (inquit) *Latini codicis*, qui habet, *Spiritum* S. teſtimonium *reddere* ſpiritui noſtro: vndè colligi *tantùm* contendit, *experimentum* cujuſdam *ſuavitatis*, & *pacis internæ*, quod non gignit *certitudinem*, niſi *coniecturalem*: Altera eſt *Græca*, Spiritus Sanctus συμμαρτυρεῖ *ſimul teſtatur* cum Spiritu noſtro, quod *teſtimonium* nil aliud eſt, quam *oratio* quâ dicimus, *Abba Pater*: Hoc enim et *teſtimonium noſtrum eſt*, & *Dei*. *Noſtrum*, quia *nos ſumus* qui dicimus; *Dei*, qui movet vt dicamus. Sed *quòd Spiritus Sãctus* ſit qui movet, non conſtat ex fide *Divina*, ſed *coniecturis*; & iſtæ fallaces eſſe poſſunt, ergò *certitudo* ex illis locis nullâ ratione elicitur. *Occurrimus*: Prodit hic *Ieſuita*, ſe nunquam *corditùs* ſenſiſſe hoc *Spiritûs Sancti*, de quo loquitur *teſtimonium*. Quid enim?

De Iuſt. l. 3. c. 9. Excep.

enim? annon vtraq; lectio inculcat διαβεβαίωσιν (de quâ ibidem loquitur *Apostolus*) innotescere nobis per *Spiritum Sanctum*? si *certò*, obtinemus quod volumus: *si non*, seducit *Spiritus*. Minimè, (inquiunt) quia nullus *dubitat*, an verum sit *Spiritûs Sancti* testimonium; sed an *Spiritus* qui testatur, sit *sanctus*. Potest enim esse *malus* (vt monet *Greg. de Val.*) qui foveat securitatem ad perniciem. Sed non animadvertunt acuti *disputatores*, Apostoli scopum hoc subterfugium non admittere. Quia enim fluctuare potest *Spiritus* noster, inter *diffidentiæ* & *præsumptionis* vortices, annon docet *succurrere*, et *simul testari* Spiritum S. ad stabiliendum, ne *fluctuemus*? Consentit expressè *Iohannes*; *In hoc cognoscimus quòd in eo manemus, & ipse in nobis, quoniam de Spiritu suo dedit nobis.* Cur autem dedit? Proculdubiò ut *cognoscamus*, quia in hoc *cognoscimus*, quoniam dedit. Sic 1. *Cor.* 2. *Accepimus spiritum qui ex Deo est, vt sciamus quæ donata sunt nobis. Nobis* (inquit) particulatim, non *vocatis* in genere, de quibus dubitemus an nos simus. Et hoc testimonium est, quod vnusquisque *fidelis* in se habet, quod qui minùs æstimat *Deum* facit mendacem, 1. *Io.* 5. 10. Hinc oritur *pax iustificatis*, *Rom.* 5. 1. & *gaudium* quod *nemo tollat*, *Ioh.* 16. 22. & *gloriatio*, quæ est *testimonium* nostræ conscientiæ, 2 *Cor.* 1. 12.

Excep.

Tom. 2. disp. 8. q 4 p. 4. Resp.

1. Ioh 4.

1. Cor. 2. 12.

10 Tertiò argumentamur ab *exemplo fidelium*, & *praxi*. *Abraham* Pater credentium contra *spem*, *sub spe credidit*, non *infirmatus*, sed πληροφορηθεὶς, plenissimè *sciens*, quòd ille qui promisisset, potis erat efficere, *Rom.* 4. 21. Eandem spirant certitudinem apud

Arg 4um.

Davidem Psalmi integri. *Misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ*, Ps. 23. *Non confundar in æternum.* Ps. 31. *Scio quia credidi* (inquit) *Paulus*) πέπεισμαι γὰρ *quòd neq; mors, neq; vita, &c. poteſt ſeparare nos à charitate Dei quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro*, *Rom.* 8. 38. Rationem attexit *Iohannes*, Nos *ſcimus quia tranſlati ſumus à morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Et, *in hoc cognoſcimus, quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit*, 1 *Ioh.* 3. 14. 16. Vnde argumentum. Fidelium *exemplum*, & *praxis*, eſt noſtra *inſtitutio*. Illi autem de *ſalute* ſic fuerunt *certiorati*; ergò & nos *poſſumus*, &

De Iuſtif. l 3. c. 11. *debemus.* Reſpondet *Bellarminus*, 1° *Paucos* iſtos

Except. 1. eximios *viros*, peculiari forſan *revelatione*, certos

Reſutatio. fuiſſe factos: Sed hoc *ariolari* eſt, non ex textu aliquid *proferre*. Sanè *Paulus* hanc fidei *Abrahæ*, non *revelationi* aſcribit certitudinem, ad *Heb.* 11. Et quod *Paulus ſibi*, *Ambroſius omnibus Chriſtianis*

Except. 2. accommodat, in *Pſal.* 39. *Secundò* aſſerit, voces, *ſcimus* & *cognoſcimus*, non *neceſſariò* includere *certitudinem* fidei Divinæ, ſed ex *ſignis* quandam *coniecturam*.

Reſutat. Sed iſta ſunt *gratis* dicta. Per ſigna quidèm deducimur in hanc *notitiam*, ſed *Spiritus* S. obſignat conſcientijs, hæc ſigna non eſſe *fallacia*. Confirmat hoc *Iohannes*, Si *cor noſtrum nos non condemnet, fiduciam habemus apud Deum*, 1. *Ioh.* 3. 21. Et *poſtea*, Per *hoc novimus eum habitare in nobis, nempe ex*

Except. 3. *Spiritu quem dedit nobis*, ver. 24. Addit 3° loqui *Iohannem* & *Paulum*, in *prima perſona*, quia bonam ſpem *concipiebant* tam de *propria ſalute*, quàm *alio-*

Reſutat. *rum*, quibus *optimè cupiebant*. Sed iſta tam *diſcin-*

cta

cta sunt, & *ludicra*, vt *recitâsse* solummodò est *confutâsse*. Punctiùs Greg. *de Valent.* Hæc & similia, *Excep.4*
vel pertinent ad *fidei certitudinem* de *re aliqua futura*, quam *peculiariter Deus promisit*, vt illud *exemplum Abrahæ*; vel ad certitudinem *moralem* de *gratia*, excludentem quidem plerunq; *actualem formidinem*, non *potentiam formidandi*, vt illa quæ allata sunt de *Davide*; vel ad certitudinem salutis electorum secundùm *se*, licet *ignotam* ipsis *electis*, ut illud *Pauli*. *Quis accusabit adversus electos Dei?* Sed nec ista fœliciùs *nodos* expediunt. Ex *Abrahami* enim *fide* in *Refutat.*
re peculiari sibi *promissa*, ostendit *Apostolus*, quàm confidenter nos oportet *promissionibus* Dei inniti, *Rom.*4. *Davidi* præveniens & subsequens Dei *misericordia* (vtcunq; non formidandi *potentiam*, imò nec *actum* semper exclusit) conservavit tamen *semen*, non *moralis* tantùm *persuasionis*, (quod *infidelibus* æquè accommodes) sed *fidei*, vndè seipsum recollegit, non *fractus* hostium incursu, sed *attonitus*. Neq; enim *timor* qui aliquoties *fideles* concutit, *servilis* est sive *incredulitatis*, ne gratiâ penitùs *excidant*; sed *filialis*, sive *solicitudinis*, ne *conservatorem* ingratitudine ad *iram* provocent; vndè subtrahatur ipsis non termini *bravium*, sed *itineris* pro tempore *solatium*. De *Electorum* autem *salute*, generatim aliquid certi pronunciare, forsitan & *Diaboli* possint. Constat verò fideli ex *innato* Spiritus Sancti, & conscientiæ infallibili *testimonio*, se *speciatim* esse ex illorum *numero*. Vndè explorare nosmetipsos jubet *Paulus*, an *simus in fide*, 2 *Cor.* 13. 5. Hortatur *Petrus* vocationem & electionem nostram *firmam* efficere, 2 *Pet.*
1. 10.

Excep. 1. 10. *Paulo* occurrit *Bellarminus*, Illum *loqui* non de *præsentia Christi* secundùm *gratiam gratum facientem*; sed secundùm *potentiam*, *providentiam*, & *miracula*, quæ apud *Corinthios* faciebat. Sed *dilutum* est

Refutat. hoc *commentum*, neq; enim jubet eos circumspicere *extrase*, *potentia*, & *miraculorum* experimentum, sed *probare seipsos*, hoc est, proprij cordis *recessus* inspicere, an *fidem* habeant, necne. De *Petri* testimonijs respondet, *Illum monere* tantùm, ut *per bona opera certâ*, id est, *ratâ* & *firmâ vocatione* & *electionem* faciamus. Nam *cùm Deus nos elegerit, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate*, Eph. 1. Illi *electionem* suam confirmant, & *certam* reddunt, qui *sancti* & *immaculati* fieri studeant, ac in charitate magis magisq; eo adjuvante proficiunt. Ita *Cardinalis* ad finem cap. 9. lib. 3. de *Iustif.* Vndè insurgo. *Si* electionem *certam* ac *firmam* reddant *fideles*, (sicut præcepit *Apostolus*) aut *intelligunt* illi *fideles* hoc se facere, vel *non*. *Si non, cæco* feruntur *impetu* absq; fidei *notitia*, sine quâ *impossibile est placere Deo*: si *sic*, ergò vt *debent*, sic *possunt* certi esse de *salute propria*, sicut nos asserimus.

Argum. 11 Quartum argumentum succedit ab *orationis obiecto*. Quod *precibus* tenemur petere, illud credendum est *speciatim* ad nos pertinere, Confirmatur; *Quæcunq; orantes petitis, credite vos accepturos, & evenient vobis*. Mar. 11. 24. *Hæc est fiducia quam apud Deum habemus, ipsum, siquid petierimus secundùm voluntatem eius, nos audire*. Quòd si *scimus eum audire nos quicquid petierimus scimus nos habere petitiones quas ab eo petimus*, 1 *Ioh.* 5. 14. 15. At singuli

guli tenentur *peccatorum remissionem*, vitamq; æternam, ex *speciali Patris* in *Christo* misericordia petere: Vos ita orate, *Dimitte nobis debita nostra, Matth.* 6. 9. *Luc.* 11. 2. *Diffidentia*, & ὀλιγοπιστία perstringitur; Quid *timidi estis modicæ fidei, Matth.* 8. 26. Ὀλιγόπιστε εἰς τί ἐδίστασας; *Exiguâ fide prædite quare dubitâsti, Matth.* 14. 31. Item 16. 8. requiritur particularis *persuasio*; Creditis me *hoc posse facere? Matth.* 9. 28. Θάρσει τέκνον, *Confide fili* remittuntur tibi *peccata* tua: *Ibid.* v. 2. Accedunt *sacramenta*, vt hujus fidei & certitudinis *signa*, è quibus *baptismus est stipulatio* bonæ *conscientiæ* erga *Deum*, 1 Pet. 3. 21. quâ ἐπερώτημα accedamus ad *thronum* gratiæ, Heb. 4. 16. *Eucharistia* testatur peccata nostra *morte* & *sanguine* Christi esse expiata, vnde in vnum Spiritum potimus 1 Cor. 12. 13. Ergo *possumus* & *debemus* esse *certi* de nostra salute. Occurrit *Bellarminus, Orationē in fide fine Hæsitatione, cum incertitudine de re qua petitur adipiscenda optimè cohærere.* Regero: *Hæsitatio* tam *fidei*, quam *fiduciæ*, (vt statim subijcit Cardinalis) est suo modo contraria, & tamen ista optimè cohærent? Immò (inquit) quia *Apostolus ter rogavit*, vt *liberaretur* à *stimulo carnis*, in fide nil hæsitans, & nō impetravit tamen, quod petiit. Resp. Aliud est *tēporalia*, aliud est *spiritualia* à Deo petere. De illis *promissio* nō est *definita*, sed *cōditionalis*, quatenùs *Dei gloriæ*, & *nostræ saluti* cōvenit: De istis verò est *absoluta*, *Petite & dabitur vobis, quicquid petieritis in nomine meo, ego faciam*: Apostolus autem tulit repulsum *boni Corporalis*, non *Spiritualis*. Nam cessit illi σκόλοψ τῇ σαρκί, *in humiliationem*. Vnde *virtus*

Aug. de Bono perseverē. 2. 3. ex Cyprian. serm. de Orat. Dom.

Excep. De Iust. l. 3. c. 15. Refut.

Matth. 7. Iob. 14.

gratiæ Divinæ in tali *infirmitate perficiebatur*. 2 *Cor.* 12 7. 9. Ad illud vltimum de *sacramentis*, ista non *instituta* fuisse *asserit* ad *sustentandam fidem*, sed ad *iustificationem efficiendam*. Cui opponimus solummodò Apostolum. *Abraham* accepit *circumcisionem*, quod esset *sigillum* justitiæ *fidei* receptæ in *præputio*, Rom. 4. 11. Quòd si *iustificationem* ex operato sacramenta *efficiant*, tantò *firmior* ex ipsorum *perceptione* oritur salutis *certitudo*. Priorem verò argumenti partem, ita retorquere in nos conatur *noster Episcopius*. Si *orandum* sit vt *salutem* consequamur, ergò de eâ *certi non sumus*; Nemo *enim sanus illud à Deo petit quod possidet*: At non possidemus *salutem* (ô bone) *re* sed *spe*, vbi intervenit *oratio*, vt præcipuum ad consequendum *medium*. Petere autem quâ fronte possimus, nisi *fides* nobis sponderet, voti aliquando nos futuros compotes? At *circumstantiæ* in oratione neglectæ, *preces* inanes reddunt, & irritam *certitudinem*. Resp. Certitudo ista non innititur *precum perfectione*, sed *cordis affectione*, Deus enim non respicit *orantis meritum*, sed *sinceritatem*; & qui *interpellare* nos facit, *interpellandi* nobis & *gemendi* inspirat *affectum*. *Aug.* Ep. 105.

Except. Refut. Except. Refut. Except. Refut. Arg. 5m.

12 Quintò consentiunt *Patres*. *Graci*, *Chrysostomus*, Quando *Spiritus testatur*, *quænam relinquitur ambiguitas?* in Rom. 14. Addit, *Si Deus hâc arrhâ nobis prius data*, *reliquam hæreditatis possessionem non adjiceret*, *ipse arrha perdita damnum pateretur*. Hom. 1. in 2 Cor. *Hæc est magna illa certitudo apud Theophylactum*, quam experti *sumus omnes*, in Mat. 11 *Quando quis suis vel alienis peccatis, eo modo (quo diximus)*

diximus) affectum se esse animadvertit. πληροφορηθὲν, sine dubio credit se liberum esse à peccato. *Basilius*, Reg. contract. q. 296. Accedit *Cyrillus* qui præter *generalem cognitionem*, specialem deprædicat, quâ *Spiritûs* illuminatione receptâ, *fideles* oculis animi habitantem in *se* Deum videbant, in Ioh. l. 10. c. 3. Hujus fiduciæ *fideiussorem* se profitetur *Nazianzenus*, in *oratione consolatoria* de *grandinis calamitate*. Ista autem dum torquet *Bellarminus*, vel ad *cognitionem Beatorum*, vel elevat vt *coniecturas*, ex simplici textuum *inspectione* exertim refellitur. Suffragantur *Latini*, è quibus *Minutius Felix in Octavio*, securitatem *futuræ fœlicitatis* vrget, ut *Christianæ professionis* symbolum. Deus tibi (inquit *Cyprianus*) è mundo discendenti *immortalitatem* pollicetur, & tu *dubitas*? hoc est Deum omninò non *nôsse*; hoc est *Christum* credentium Magistrum *peccato incredulitatis* offendere; hoc est in *Ecclesia constitutam fidem* in *domo fidei* non habere. Et postea; Ejus est *mortem timere* qui ad *Christum* transire nolit; ejus est ad *Christum* nolle *ire* qui se non credit cum *Christo incipere regnare*, Tract. de immortal. Cuius scopus indicat, hæc ex *parte subiecti*, & non *obiecti* (vt nugatur *Bellarminus*) à clarissimo illo *Martyre* vrgeri. Sic *Hilarius*, Iustificatio *ex fide* nulla est, si fides ipsa fiat *ambigua*: In Mat. 4. Confidentiùs compellat *Ambrosius* primò *fidelem*, Præsume, non de *operatione tua*, sed *Christi gratiâ*, de Sacram. l. 5. c. 4. Deinde *Deum*, Hoc vt *auderemus* ipse fecisti, tuo te *chirographo convenimus*; In Ps. 118. ser. 15. Succenturiatur *Augustinus*: Non est *arrogantia* sed *fides* prædicare ea quæ *accepisti*;

pisti; verb. Dom. serm. 28. An temere *dicimus*, *faciendo Deum* nobis *possessionem*? Dicat *anima secura*, dicat, *Deus meus es tu*, quia dicit *animæ nostræ*, *salus tua ego sum*. In Ps. 32. conc. 2. Nemo igitur interroget hominem; *redeat ad cor suum*, *si ibi inveniat charitatem*, *securus sit*, *quia transiit à morte ad vitam* super Ep. Io. tract. 5. At *fides* ista & *charitas* possunt esse *fucata*, vel habentem saltem *latere*, qui nescit an sit *dignus* odio vel *amore*: Occurrit idem *Pater*, 1° de *fide*, *Fidem ipsam videt quisq; esse in corde suo*, *si credit*, *vel non esse*, *si non credit*, de Trinit. l. 13. c. 1. Deinde de *charitate*, qui *diligit fratrem suum*, *magis diligit dilectionem quâ diligit*, *quàm fratrem quem diligit*, Ibid. l. 8. c. 8. undè in Psal. 88. Hoc (inquit) *dixit Deus*, *hoc promisit*; *si parum est hoc*, *iuravit*. *Quia ergò non secundùm merita nostra*, *sed secundùm illius misericordiam*, *firma est promissio*; *nemo debet cum trepidatione prædicare*, *de quo non potest dubitare*. Eadem est insequentium doctrina. *Gregorij*, Mens quæ *divino spiritu impletur habet evidentissima signa sua*: Dialog. l. 1. c. 1. *Anselmi*; *Per hoc quòd Spiritus S. charitatem nobis infundit*, *evidenti testimonio declarat menti nostræ*, *nos esse filios Dei*; ad Rom. 8. *Bernardi*, *Revelat Deus per fidem homini æternum Dei propositum super salute sua futura*. Epist. 107. Vnde anima *præsumat* se *paterno affectu* diligi: In Cant. serm. 8. Nec *dubitet* se *amari* qui *amat*. Ibid. serm. 69.

Except. Resp.

Arg. 6m.

13 Sextò, idem confirmatur ex *Adversariorum confessione*. Quandò *ista tria* sunt in animâ: *lumen*, *lætitia*, & *pax*, (inquit *Halensis*) verè *certum* est ex-

per men-

periculum, quòd *anima habet gratiam*: part. 3. q. 61. art. 3. Memb. 7. De reliquis Scholasticis generatim superiùs monui, Illos *certitudinem* furcillare in hoc argumento, quæ deducitur ex *Syllogismo demonstrante*, non quæ divinitùs emanat *ex fide revelante*. Hinc *Sixtus Senensis* ex *Medina* defendit *Feri* expositionem in *illud* Io. 14. *Alium Paracletum dabit vobis*, quâ S. S. contendit esse *pignus* & *arrhabonem*, quod credentes de salute *certificet*. Biblioth. S. l. 6. annotat. 210. Eandem propugnant *certitudinem Colonienses*, *Roffensis*, *Torrensis*, *Caietanus*, *Cassalius*, *Canisius*, imò & ipsum Concilium *Tridentinum*, si *Eisengreinium* admittamus. *interpretem*. Audite non segnem hujus causæ patronum: *Equidem* (inquit) *hîc me sisto, & clarâ voce pronuncio, nullum Catholicum receptumq; Doctorem unquam in eam sententiam, quàm adversarij nobis impingunt, de remissione peccatorum & gratiâ, sine ullâ consolatione & tranquillitate conscientiæ, perpetuò trepidandum diffidendumq; docuisse. Hoc enunciantem indissimulanterq; pronuncio, atq; utinam faxit Deus ut hæc vox mea totum Christianum orbem personaret*: Tract. de certitud. grat. cap. 6. vbi ex omnibus receptis *Theologis*, *Patribus*, *Scholasticis*, *Neotericis*, ostendit hanc gratiæ certitudinem, vel *propugnatam* semper fuisse, aut saltem non *oppugnatam*, quod miror *Iesuitas* recentiores, præsertim *Germanos dissimulare* maluisse, quàm *excusare*; nisi forte *satis habeant*, librum istum ab *Indicibus*, ad *Prohibitorum spongiã* dãnari. Quem tamen *Felix Bidenbachius* non obscurus *Pontificius*, sed *aulæ imperatoriæ* Concionator, in *Latinam* è

Germanicâ transtulit, & *Præfatione* eruditâ illustravit, ac comprobavit. Interea viris quibusdam spiritualibus hoc indulgent certitudinis *privilegium*, modò illud *fidei* non referant acceptum; *Bellarminus*, *Toletus*, *Pererius*, *Valentianus*, *Vega*, *Bannes*, & alij. Sed cùm *fidei certitudo*, solâ *visione beatâ*, claritate sit inferior, vt ostendit in *Iob. Pineda* in cap. 19. v. 25. nunquid in illis *spiritualibus*, moralis plus præstabit *persuasio*, quàm *certitudo fidei* & *indubitatum* Spiritus S. *auctoramentum*? Peto enim ab his sce *Sophistis*, num adhuc obtineat ista eorum in Scholis *regula*, quam antiquitùs tradidit *Scotus*, 3. sent. d. 35. q. vnicâ; admiserunt postea vt infallibilem, *Vega*, *Canus*, *Medina*, *Albertinus*, & passim alij, scilicet conclusionem ex *vna propositione credita*, *& altera evidenti*, *ex fide esse certam*. Si *negent*, actum est de *Papæ suprematu*, & multis fidei *veritatibus*, quæ *aliam probationem* non admittunt. Sin concedant, ita argumentum instituo. *Qui crediderit & baptizatus fuerit salvus erit*. Propositio est *Servatoris*, ideoq; summè *credenda*, Mar. 16. 16.. At *ego credo & sum baptizatus*. Assumptio habet *evidentiam* ex duplici testimonio, *Spiritus* S. & *conscientiæ*, Rom. 8. 15. Et receptissimum est illud *Scoti* in 3. Sent. d. 23. *Credo me habere fidem*; & *Aquinatis*, *de omnipotentia Dei & misericordia eius*, *certus est*, *quicunq; fidem habet*. 2. 2æ. q. 18. art. 4. ad secundum. Vnde concludam, Ergo *ego non tantùm possum esse*, *sed ero salvus*: quod vnusquisque fidelis *possit*, et *debet* sibi ipsi applicare.

14 Vltimum nostrum argumentum *absurda* nonnulla, & *deliria* persequitur, quæ *Adversariorum* comitantur

Jn 5. ad Rom. In 1. ad Rom. disp. 6. Tom. 2. d. 8. q. 4. p. 4. Pro Conc. Trid pag. 313. In Aquin. 22æ. q. 18. a. 4. concl. 3.

Pro Conc. Trid. l. 9. c 39. Loc. 12 c. 2. Jn Aq. 1. 22æ. q. 112. art. 5. Coroll. pag. 261.

Arg. 7^m.

mitantur *diffidentiam*. Primò enim quod maximè *seductores* pungeret, si *incertitudo* hæc penitiùs inspiciatur, periculum est ne *Sacerdotum Missæ*, & *Absolutiones*, Pontificum *Indulgentiæ*, Ecclesiæ *thesaurus*, Monachorum *merita*, & cæteræ merces eiusdem *farcinæ*, quin ipsa legis *impletio*, & Sacramentorum *opus operatum*, apud *cordatiores* inter illos vilescant. Nam cui *bono* cedunt ista omnia, si ex istis *omnibus* nil *certi* de salute meâ possim polliceri? Sequitur secundò ex *parte seductorum*, nil posse illos, aut debere à talibus expectare *Ductoribus*, quod *fauciatam* liget, aut *languentem* erigat *conscientiam*. Plaustra enim *Casuistarum* quid mihi proderint, in mortis agone, si nihil de *salutis certitudine* pronuncient? Postremò, produnt manifestò incertitudinis hujus *Pyrrhonistæ*, aut *Maiores* ipsorum, *Ecclesiæ* per plurimos annos egregiè *imposuisse*, aut *ipsos* tandem à *Maioribus* summâ cum perfidia defecisse. Octo ad minimum *Agenda* (vt vocant) adducit *Eiscngreinius*, in quibus expressè præcipitur *Sacerdoti*, vtæstuantes, aut gementes sub *tentationum* aut *crucis* mole, hâc *antidoto* sive (si fas sit loqui) *extremâ unctione* tempestivè reficeret. Hujus fiduciæ lampade, per vniversum *Christianum orbem* (inquit *Caspar Vlenburgius*) simpliciores ad *agnoscendum Christum*, *& salutem consequendam* manuduxerunt *Maiores*, atq; ita *artem bene moriendi* minoribus tradidêrunt. *Abbatis Blosij* (quem laudat *Stapletonus*) quid tam frequenter spirant *Canones* & *Institutio vitæ spiritualis*, quàm dulcissima ex hâc certitudine afflictis *Solatia*? Quin & *Iesuita Ribadaneira* in libro quodam *Hispanico*, quem

De causis caus. 14.

Can. vit. spirit. cap 1.

fontem

fontem vitæ & consolationis appellat (indicante *Cramero de prædest.*) *salutis* (de quâ loquitur) *certitudinem*, non à perfectione quæ in nobis, sed quæ in *Christo* est, arcessit. Atq; hujus sententiæ authorem laudat *Iohannem de Avila*: Tantum discrepat praxis *necessitas*, à litigiosa Scholæ *theoriâ*. Cùm igitur *fidei natura* hanc *certitudinem* ingerat, *promissiones* & *Spiritus* S. *efficax operatio* stabiliant, firment *sanctorum exempla*, exigat *orationis præceptum*: Cùm non tantum *Patres*, & *Scholastici*, sed etiam *Concilij Tridentini propugnatores*, hanc aliquo modo astruant, frigidè & inconstanter obstent *Iesuitæ*, nec possunt, aut satagunt *incommoda*, quæ ipsorum gravant partes, amoliri: Concludo, vnumquemq; fidelem *posse* & *debere* esse *certum* de suâ salute, ὅπερ ἔδει δεῖξαι, quod erat demonstrandum.

15 Videamus quid reponāt *Adversarij*. Quindecē *Bellarmini* argumenta ex *Scripturis*, præter ea quæ congeruntur ex *Patribus* & *ratione* desumpta, in *paucissima* conferam, & *diluam*. Primum sumitur à *tribus Solomonis* testimonijs, Quis *potest dicere, mundum est cor meum?* Prov. 20. 9. *Nescit homo vtrùm odio aut amore dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta.* Eccles. 9. 1. *De propitiato peccato noli esse sine metu, Ecclesiastic.* 5. Forma sic erit. Qui nil de *cordis munditiâ, merito proprio*, vel *demerito, peccatorumve remissione* certò potest pronunciare, is nec *certus* esse *debet*; nec *potest*, de suâ salute. Sed ea est fidelium in hâc vitâ conditio, ergò certi *esse* nō *possunt*. Respondeo, primò *generatim*, certitudinē hanc non dependere à *iustitiæ inhærentis puritate*, sed

sed à *Christi imputata*; nec ab *exactâ* resipiscentiæ *rigiditate*, sed humili *sinceritate*. Speciatim ad primum. *Nemo potest dicere, mundum est cor meum*, vel vt habet textus Originalis, *Mundavi cor meum, propriâ iustitiâ*, olet enim hoc *Pharisaismum* in legis *impletione*, et merito operum: *mundatum* tamen potest *fidelis* cor suum pronunciare, *ex speciali gratia divina* (inquit *Lyra*) non absolutè, sed secundùm humanum modum, vt ex *Beda* addit *Iansenius*, vbi teguntur *lapsus*, si abfit ab *humiliato* hypocrisis. Secundum *Ecclesiastis* locum enervat *Salmeron*, quia non *probat* (inquit) quod aliqui (sc. *Bellarminus, Costerus, Becanus, Valentianus*) indè *accipiunt*, hominem *nescire* amorem *erga se* Dei, quia sequitur in textu, Nescit an vel *odio dignus sit*, at impij propter *maxima* sua *scelera*, nôrunt se esse maximè dignos *odio*. Quid ergò hîc sibi vult *Ecclesiastes*? nempè quod *Pineda* et *Sa*, *Iesuita*, cònsultiùs ad hoc locum annotant, ex *prosperis*, vel *adversis*, quæ hîc plerunque sine *discrimine*, tàm *bonis* quàm *malis* obveniunt, de *statu* ipsorum *futuro* non esse æstimandum. Ratio attexitur in contextu, quia omnia (quoad ista *externa*) omnibus similitèr eveniunt, non (vt habet *Vulgaris*) *omnia in futurum servantur incerta*. *Tertius* locus sc. *Ecclesiastici*, est *Apocryphus*; qtare non tam nos pungit (vt ineptè gloriatur *Bellarminus*) quàm ipsorum prodit inopiam, qui coguntur hujusmodi *merces*, sub *Solomonis* titulo protrudere. Rem quod attinet, *argumentum* contra certitudinem remissionis peccatorum satis *firmum* hinc deduci negat *Iansenius*, cùm præsumptio peccandi hîc tantùm *retundatur*, propter remissionis *facilitatem*;

In 1. Cor. disp. 14.

cilitatem; non injiciatur scrupulus de remissionis veritate quæ certis fundamentis nititur. Finis enim veniæ non est, vt *peccata peccatis accumulemus*, sed vt amplius non peccemus (vt cæco sanato præcipit *Salvator*) ne aliquid deterius nobis contingat. Io.5.14.

Obiect. 2ª. 16 *Secundò* vrgent *tria* hominum perfectissimorum *testimonia: Iobi*, Non reprehendit *me cor meum in omni vita mea*; cap.27.6. *Davidis, Iudica me Domine, quoniam ego in innocentia ingressus sum*: Ps. 26.1. *Pauli, Nihil mihi sum conscius*, 1 Cor.4.4. Isti tamen non audebant *certitudinem* propriæ gratiæ arrogare. Ergò quis erit qui de *propria iustitia* non formidet?

Sol. Resp. Aliud est *propriâ iustitiâ* intumescere, aliud *gratuitâ reconciliationis* conscientiâ erigi. Nec idem est in hâc vel *illa causa innocentiam* asserere, & absolutè ἀναμάρτητον in omnibus prædicare. Certitudinem *gratiæ*, & in Deum *fiduciæ* inter maximos Satanæ insultus, nunquam deponit, *Iob, Si occideret me Dominus, tamen sperabo in eo*, cap.13.15. *Scio quod Redemptor meus vivit, & in carne meâ videbo Deum*, cap.19.25. Sic *David, Non moriar, sed vivam, & narrabo opera Domini*. Ps.118. 17. Nec aliter *Paulus, Certus sum, quia neq; vita, neq; mors, &c. neq; creatura alia possit separare nos à charitate Dei quæ est in Christo Iesu Domino nostro*, Rom.8.38. Argumentari igitur ab *inhærentis puritatis conscientia*, ad *diffidentiam* de *superveniente* Dei *misericordia*, hoc modo, quia *ipse mihi diffido*, ergò de Dei *promissis* in Mediatore non possum *certi aliquid* mihi polliceri; perindè est ac si quis ex *altera parte* nugaretur, Nihil mihi conscius sum in *hac* vel *illa* causa, cur homines me *iu-*

ste

ſſe reprehenderent, ergò in conſpectu Dei ſum *immunis* à peccato; Quod quis non videt quàm vtrinque ſit abſurdum?

17 *Tertium* cuditur *argumentum* ex iſtis locis, quibus ex parte noſtrâ variæ requiruntur *conditiones* ad firmitatem hujus certitudinis, quas incertum eſt an impleamus. Invenies *Dominum ſi in toto corde quæſieris eum*, Deut. 4. *Si converſi fuerint ad te toto corde ſuo, tu exaudies, & dimittes*, 2 Paral. 6. *Si impius pœnitentiam egerit ab omnibus peccatis ſuis, vitâ vivet*, Ezech. 18. Vos amici mei eritis, *ſi feceritis quæ ego præcipio vobis*, Ioh. 13, Similia occurrunt vbivis. At nemo certus eſſe poſſit ſe *conditiones* iſtas obſervâſſe; ergò non poteſt eſſe *certus* de ſuâ ſalute. Hęc demonſtratio eſt *Bellarmino* planè *Theologica*, ſed facillimè eliditur. Certi enim eſſe poſſimus de conditionum *impletione, vera, ſeria, & ſyncera*, abſq; *hypocriſi*; vtcunque non de *perfectâ*, & omnibus numeris *abſoluta*. Sic *Eunuchus* proponenti Apoſtolo, *Credis ex toto corde?* Reſpondet, *Credo Ieſum Chriſtum eſſe Filium illum Dei*. Intellexit igitur *quod credidit*, & obſervavit *conditionem* quam intellexit. Quia enim *fidelis eſt Deus qui promiſit* (inquit *Ambroſius*) *ſubvenit vt impleat quod promiſit*, in 1 Cor. 10. *Quartum* argumentum vrgent ex ijs teſtimonijs quæ incertam relinquunt peccatorum *remiſſionem*, poſt peractam *pœnitentiam*, vt *Forſan* ignoſcat Deus, Dan. 4. 24. *Quis ſcit* an convertatur, Ioel 2. 14. In formâ ſic: Quod *incertum* eſt ob noſtram *indiſpoſitionem*, de eo non poſſumus, aut debemus eſſe *ſecuri*, tanquam certi: Sed *remiſſio peccatorum* eſt incerta reſpectu noſtræ *indiſpoſiti-*

Obiect. 3.

Sol.

Obiect. 4.

positiònis, ergò non debemus de eâ esse *securi*. Re-
Sol. spondeo primò in *genere*. Certitudo nostra non consistit in dispositionis *affectu*, sed Divinæ promissionis *infallibili effectu*. Trepidant *Discipuli* ne *mergerentur* sæviente tempestate: securi tamen restant *excitato* & objurgante ventos *Servatore*, Mat. 8. *Speciatim: Particula dubitationis*, non invenitur apud *Danielem* Hebraicè, & *addita*, non ponit *venia causam*, sed *modum conversionis*, vt rectè *Calvinus*. In summa: Vbi aliàs *huiusmodi occurrunt*, non tam *dubitantium* sunt, quàm res *bono eventui* committentium, easque
Obiect. 5ª. *temporales* potiùs quàm *spirituales*. Quintò adjiciunt contextus, qui *confidentium* hanc, de quâ loquimur, *disertè concutiunt*. Beatus homo qui *semper est pavidus*, Prov: 28. *Cum metu & tremore* salutem vestram operamini. Phil. 2. 12. *In timore incolatus vestri tempore* conversamini. 1 Pet. 1. 17. & similibus. Ergò de fine certi esse non possimus, cùm timendum sit semper
Sol. de *medijs*. Resp. Ista inculcare solicitudinem de *mediis*, per quæ ad *finem* pervenitur, non de *fine hæsitantiam*, quæ Dei nititur adjutorio. Icti ab *ignitis serpentibus*, non invenerunt aliquid *in se* quod *juvaret*, Num. 21. Sed in exaltati serpentis *aspectu*, quis vnquam *confusus* abijt? Io. 3. *Langueſcat* enim sive *deficiat* fides *tribus* modis (monente *Trislogi* lib. 3. c. 2. suo loquendi more *Wiclevo*) ex *infirmitate* in *teneris* & *tentatis*: Ex *porositate* in ijs qui in multis *credendis* tanquàm *foraminibus* fide vacuis fatiscunt: *Neglectâ* aut perversa applicatione, idque vel in animi *deliquio*, quod accidit *Davidi* in causâ *Vriæ*, aut *præcipitantia*. Fiducia tamen hîc non penitùs excutitur, sed *semper*

semper manet (vt optimè ostendunt nostri *Dordracenses*) vndè redintegratâ industriâ succrescunt *certitudinis fibræ*: nec convellitur fundamentum cui mens ad *se rediens* firmiùs superstruat. Formido enim quæ invaserat, non opponitur *fiduciæ* in Christi *promissis*; sed *præsumptioni carnali* de integritate *propriâ*. Formido igitur talis & fiducia cùm *diversa* respiciant, vnum idemque *subiectum*, simul, & deinceps afficiunt, præsertim *tale*, in quo carnis & spiritûs *opposita principia*, perpetuas inter se exercent inimicitias, vt constat ad *Rom.* 7. Nec diffitetur hanc *assensûs* & *dubitationis luctam*, & αὐζυγίαν, ipse *Valentianus*. Loca autem à *Bellarmino* adducta, nil aliud efficiunt, quàm ambulandum à nobis esse *solicitè*, vt ex *perspectis*, & non *fucatis indicijs*, constantior nobis emergat in progressu consolatio.

Potest esse desperatio sine infidelitate, sicut & alia peccata Mortalia. Aq 22. q. 20. art. 2.

18 Sextò argumentantur ex *Patrum* testimonijs. Decem hîc adducit *Bellarminus*, lib. 3. de *Iustific.* cap. 7. quæ quidem & *plura* recenset, & ad nostras trahit partes *Martinus Etsengreinius*. Sufficit quod anteà monui, quo sensu *Patres* de hâc re sunt intelligendi. Addo tantùm in transcursu, vel *exagitare* illos prout tulerit occasio *carnalem securitatem*, quâ sibi ipsis adblandiuntur sine certis indicijs *torpidi*; sic præcipuè citati à *Bellarmino*, *Chrysostomus*, *Gregorius*, *Innocentius*; vel retundere *superbiam spiritualem*, vbi immunitatem à lapsu aut deliquio somniant *elati*, vt *Basilius*, *Theodoretus*, *Ambrosius*, *Hieronymus*, *Beda*: vel *inhærenti iustitiæ* non audent acquiescere, vt *Augustinus*: Nec certitudinem hanc à *priori* descendendo ab *occulto* Dei *decreto* derivandum docent, sed à *posteri-* *Obiect. 6.*

ori, ad illam assurgendum, vt ostendit *Bernardus*. Certitudinem autem ex *Dei promissis* in *Christi* n *erito*, nunquam *memorant*, vbi non *probant* & *deprædicant*.

Obiect.7. Denique *ratiunculæ* nonnullæ adijciuntur, quas strictim diluamus. Non continetur immediatè in verbo Dei (prima ratio est *Bellarmini*) tibi *Petre vel Paule* remittuntur *peccata tua*, ergò hoc non credendum.

Sol. *Resp.* Neque vspiam legimus. Tu *Paule Quinte*, vel tu *Roberte Bellarmine*, accipias authoritatem *ligandi* & *solvendi*; ergóne irrita erit *Papæ* vel cujuslibet *Sacerdotis* absolutio? Credideram ego *particularem* ex *generali*, non *Logicè* tantùm, sed & *Theologicè* deduci, præsertim vbi fides *quâ credimus* dictante Spiritu S. *attestante conscientiâ*, fidei *quã credimus* indubitatam thesin subsumendo applicat, quod & Adversarios ὁμολόγως admittere superius monui. *Secundò*, articulus de *particulari remissione peccatorum* in nullo *Symbolo* vel *Canone Ecclesiastico* reperitur. *Resp.* Excidit vt videtur *Pontificijs*, iste articulus, *Credo remissionem peccatorum:* quem si *particulatim* non nôrint applicare, quid credunt quod *Dæmones* etiam nõ profiteantur? *Tertiò*, Non expedit (inquiunt) vt homines habeant *ordinariè*, hanc certitudinem de propriâ gratiâ: cur? ne indè securitas (vt junctim monent *Augustinus* & *Gregorius*) superbiam *Pharisaicam* generet, *Resp.* Nec expedit eâdem ratione, vt *Iesuitæ* Scripturas legerent, ne indè *Hæretici* evaderent. *Abusus per accidens*, rei non *præiudicat per se salutari*. *Augustinus* & *Gregorius* reprimunt fastum de *operibus nostris*, non nostram fidem in *Dei promissis*. *Quartò*, Certitudo salutis *privilegium* tantùm fuit nonnullorum,

Vid. Lomb. 3. sent. 23.
Parcum de Iustif. l. 1. c. 9.
Obiect. 8.
Sol.
Obiect. 9.
Aug. de corrept. & grat. c. 13.
Greg. Moral. 9. c. 17.
Sol.
Obiect. 10.

rum, sc. S. *Antonÿ*, S. *Gallæ*, & S. *Franciſci*, ſingulari *revelatione* indultum; ergò non omnibus *ordinariè* communicandum. *Reſp.* Hoc eſt *petere* quod in *quæſtione* eſt, non probare. Pergit *Gregorius de Valentia*, & gloriatur ſe *vnicum argumentum* invêniſſe, quod totam noſtram de *Iuſtificatione Doctrinam* planè everteret. Audiamus. Dicunt (inquit) *Sectarÿ* certitudinem ſive *perſuaſionem* hanc vnicum eſſe *medium* ad *acquirendam* Chriſti gratiam: ergò neceſſe eſt vt præeat *gratiam*; ergò *credendum* eſt priùs *te habere* gratiam *quàm habeas*. *Reſp.* At quis è noſtris tam *præpoſterè* nugatur? atteximus ſemper hanc *certitudinem* fidei, vt ipſius *gratiæ fructum*: & gratiæ non præmittimus vt *acquirendi medium*. *Remonſtrantes* nil vrgent ſingulare in hâc controverſiâ, quod ex dictis non ſatis refellatur. Atque ita quaſi è vertice *Nebo*, oſtendi vobis cœleſtem *Canaan*, in quam certò nos introducet *Verus Ioſua*, ſi *verâ* & *vivâ fide* illi adhæreſcamus, cui cum *Patre* & *Spiritu Sancto* ſit omnis laus & gloria in ſecula ſeculorum. AMEN.

Sol.

Obiect. 11°.

Sol.

LECTIO

LECTIO VIII.

IN VESPERIIS COMITIORVM habita Oxon. Iulij 8. Ann. Dom. 1623.

De Salute Ethnicorum.

ROM. 9. 11, 12.

11 *Cùm enim nondùm nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali; ut secundùm electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante.*
12 *Dictum est ei, Quia maior serviet minori.*

PRopositum Dei ejusq; *firmitatem*, & quoad *rem* in sanctorum *perseverãtia*, & quoad *nos*, in salutis *certitudine*, ex versu 11. deduximus, & pro mensura nobis concessa, juxta sacra Dei *oracula* in superioribus (vt meminisse potestis P. & F.) explicavimus, & ab *oppugnantium argutijs* vindicavimus. Animus erat hîc *baculum* fixisse, & ad alium *textum* Sermonem transtulisse. Sed supereſt *versus*

ורב יעבד צעיר
Gen.25.23.

sus 12.us qui ab omnibus cum superiori *proponitur*, sed à paucis exquisitiùs *exponitur*. Vbi enim dictum est, (*Maior seruiet Minori*) hoc est, vt sequitur: *Esavus Iacobo*, dilecto, odio habitus: quæri potest non immeritò, quâ *in re* potissimùm consistat istius *seruitus?* Hic autem *duplex* occurrit interpretatio *historica* & *mystica*: Historica etiam est bipartita, *literalis*, vel *figurata*. Ad literam *Esavus* non servivit *Iacobo*, ad cujus pedes trepidus se advolvit *Iacobus*, supplicitèr offensum *deprecatur*, & vitam *obtinet* precariò, *Gen.*33. Subacti posteà à *Davide*, *Idumæi* quidem servierunt tandem *Israelitis*, 2 *Sam.* 8. sed tempore Regis *Ioram* jugum facilè excussérunt, 2 Reg.8. Non igitur de personâ *Esavi*, vel de ipsius *posteris*, ad *literam* intelligendus est textus. At *figuratâ*, *Maior*, *minori minor* evadit & inferior, triplici titulo, primò *primogenitura*, quæ fuit typus *gratiæ* & *adoptionis*, quam *Maior* vendidit, *minor* retinuit, Secundò, *hæreditatis terræ sanctæ*, quam cœlestis patriæ *arrhabonem*, *maior* sponte reliquit, *minor* redit ab *exilio* & possedit. Tertiò *prærogativæ fœderis* & *Ecclesiæ*, extra quam *nulla est salus*. Scitote enim (inquit *Apostolus*) *quoniam & posteà cupiens hæreditare benedictionem Esau, reprobatus est. Non enim invenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrymis inquisisset eum*, Heb. 12. versu 17. *Mystica interpretatio* assurgit altiùs, & ex convenientia *typi* & *Antitypi* (id quod ingenuè largitur *Arminius*) *electorum* & *reproborum* distinguit *conditionem*. Nam *servitus* denotat hoc in loco *inferiorum potiùs subiectionem* corporalem, quam sortem *Reiectorum* spiritualem, vt sit sensus: *Maior*

seruiet

serviet minori, hoc est, deputatur in *typum* eorum, quos ab æterno *decrevit* Deus *præterire*, & in *massa corruptionis* relinquere, non asserere in *gloriosam* filiorum *libertatem* per *gratiam* & *fidem* in tempore, sed tandem propter peccata æternum *Satanæ carceri* addicere, & mancipare, juxta illud quod sequitur, *Ergò cuius vult miseretur, & quem vult indurat*, vers. 18. Rom. 9. 12.

An verò ista adeò rigidè accipienda sint de *typo*, vt *Esavus* censeatur *reprobus*, instituti nostri non est cum nonnullis *periculosiùs* rimari. Inter nostros *severior* cæteris videtur *Pareus* in hoc caput dub. 5°. tum in 25um Genes. In *mitiorem* propendunt partem *Mollerus*; Ex *Genesi* (inquit) *verisimiles coniecturæ sumi possunt*, quæ ostendunt, *Esavum* non ita *reiectum* esse à Deo, vt sit *damnatus*, in 1um. *Malach. vbi* et *Oecolampadius*, Non *ausim ipsum Esau propter hoc dictum dicere reprobum*. Addo *ipse*, *Canaan* fuisse *typum* cœlestis patriæ, non indè tamen concludendum, quemadmodùm habet *corruptus* in aliquibus editionibus Psalmorum apud nos *Rythmus*, omnes illos è *cælo* fuisse exclusos, quibus Deus in istam *typicam requiem* negavit introitum. Nam ita *Mosis* et *Aaronis* deploratissima esset conditio. *Nasus* igitùr nimiùm non est *emungendus*, ne *sanguis* eliciatur. Illud forsan opportuniùs et tutiùs examen subeat, vtrum *gentes, quæ nec Messiam promissum expectârunt*, nec *missum* agnoverunt, ex *naturæ lumine salutem potuissent consequi*, hoc est, an *conatus Philosophicus* Esaviticæ servitutis vincula valuit excutere: et in libertatem filiorum suos cultores asserere. Prov 30.

2 Celebris sanè controversia, quæ non *Antiquis*

Appar.1. minùs, quàm *recentioribus* facessit negotium. De *Antiquis* sic in limine *Annalium* præfatur *Baronius*. In *confesso est apud omnes Patres*, quotquot vnquam fuerunt ab exordio mundi, *non nisi à Christo, & per Christum salutem fuisse consecutos*: Sed occurrit perspicax *Casaubonus*. Id si accipiatur *simplicitèr, & sine* vlla *exceptione* an satis *certum sit*, equidem *vehementèr addubito*: quam quidem modestam *Doctissimi viri* assertionem, dum è *Clemente Alexandrino, Chrysostomo, Iustino Martyre, Cyrillo Alexandrino, Iobio* apud *Photium*, & *Euthemio*, stabilire satagit; Mirum est, quàm indignè tractetur à Circumlatrantibus *Iesuitis, Rosweido, Eudæmone, Bullingero*, qui illum vt *conductitium Grammaticastrum*, proscindunt potiùs *convitijs*, quàm *conantur* refellere. Sed interponit adversùs hos insultus noster *Montacutius*, Exercitat. 1a. c. 1. 2. &c. & παῤῥησίαν ostendit, *Casaubonum* levitèr tantùm & perfunctoriè illud quibusdam Patribus *impegisse*, quod *fidentiùs* esset asseverandum. Apertus siquidem est *Iustinus*, viventes μετὰ λόγου, hoc est ad *dictamen rationis*, ante *Christi adventũ*, numerandos fuisse in *Christianorum Albo*: Vtcunque de *futurâ* per Christum *restauratione*, nec *spem* habuerunt, nec *intellectum*, nec *gustum*. Clarius *Clemens Alexandrinus, duo* proponit salvandis ante *Christi incarnationem Testamenta*, Iudæis *legem*, gentibus *Philosophiam*, Strom. *lib.* 6° & *lib.* 1°. asserit *Philosophiam* per se tunc temporis *Græcos* justificâsse. Nec excusandus magis *Chrysostomus*, qui sufficere pronunciabit *Ethnicis, solum Deum* nosse, & ab *Idololatriâ* abhorruisse, cùm *Christi cultus*, qui nondum venerat, ab illis non

Exercit.1.

Apol.2.

exige-

exigebatur. In Matth. Homil. 37ª. *Iesuitæ* frustra sunt, vt hæc eludant, *triplex* ipsorum videtur esse *subterfugium*, ad excusandum *Iustinum Martyrem*, torquent ipsius μετὰ λόγου, ad λόγον ὑπόθ, qui *Christum* denotat. At λόγος *Iustini*, rationem & facultatem humanam solummodò ingerit, vt patet exemplo *Socratis*, & *Heracliti*, in quibus instat, & cum *Patre fidelium Abrahamo* componit, vndè rectè *Basilius* in 1ª Iohannis, homonymiam vocis λόγου solicitè *cavendam* esse præcipit, ne *redemptionem*, quam per λόγον ἐνανθρώπησιν assequimur, *humanæ rationi* acceptam feramus. Nec minùs ludicrum est, quod *secundo* subjiciunt ex *Sixto Senensi* de fide *implicitâ*, & *explicitâ*, ac si *Ethnici* fidem habuissent de *Christo implicitam*, nec *explicita* tunc temporis esset *necessaria*: quia fides ista *implicita*, habitu credit omnia quæ in *sacris* continentur *literis*, vteunq; actu pauciſſima distinctè percipiat, creditura vlteriùs, si vlteriùs aliquid ad captum proponeretur. Atqui non animadvertunt interim *nasuti*, *Ethnicorum* hanc de quâ loquimur *fidem*, Christũ minimè habere *pro obiecto*, sed γνωστὸν tantùm τῆς Θεοῦ, quod *Naturæ liber* caliganti rationi suppeditat, vndè discrimen in *obiecto* manifestum deprehenditur, quo specificantur juxta *Scholasticos potentiæ*, *actus*, & *habitus*. Deindè fides *implicita* Christianorum, *gradibus* tantùm differt ab *explicita*. Eadem est, sed non *tot*, vel tam *distinctè* apprehendit, à quâ ἀμαυρὰ ista Philosophorum *notitia* (vt loquar cum *Clemente Alexandrino*) toto cœlo disterminatur. Postremò, distinguit *Eudemon* inter *gratiam* & *fidem* Mediatoris, & gratiam ad *Ethnicorum salutem* eatenùs

Vid. Durand. in 3. dist. 25. Valent. Tom. 3. disp. 1. q. 2. p. 2.

nùs remotè valuisse asserit, quatenùs *ipsos* manu duxit ad *fidem Mediatoris*, quâ immediatè servantur. Atqui non controvertitur (O *bone*) *quò ducit* qualiscunque *Ethnicis* concessa *gratia*; sed *quid* natura *conducit* ad ipsorum *salutem*, qui fidem Mediatoris nunquam *attigerunt*. *Patribus* igitùr minùs patrocinatur hæc *remota subtilitas*, quàm *Ethnicis* prodest *naturalis* gratia. Sed de *ancipiti* horum *sententia* aliquid infrà suo loco subjiciamus. Excitatus deinceps à *Pelagianis* *Augustinus* accuratiùs ista revocavit ad incudem, & in Ptal. 31. & passim alibi *splendidissima* Ethnicorum opera, non tantùm ad salutem esse *inutilia*, sed & *peccata* esse concludit. Facem ipsi prætulissent *Origenes*, *Eusebius*, *Nazianzenus*, & alij inter *Græcos* citati à *Baronio*: subsequuntur *Cassianus*, *Prosper*, *Fulgentius*, & plurimi alij è *Latinis*, qui consentiunt in illud *Gregorij* super *Ezek. Homil. 17ª*. tam ipsos qui *præibant*, quam ilios, qui *sequebantur*, haud aliter *salutem* fuisse consecutos, quam clamando *Hosanna filio David*. Nec *Ethnicis* interea defuit vitæ rectè institutæ *duplex* præmium, *positivè* siquidem hoc plerunque illis cessit in bonum *aliquod temporale*, & *conscientiæ* tranquillitatem in *hoc mundo*, in *futuro* verò *negativè* tolerabilior illis evasit *pœnæ* conditio.

3 Succedunt *Scholastici*, inter quos *Magister*, Esi *quædam* (inquit) *fidei mensura, sine qua nunquam potest esse salus. 3. sentent. distinct. 25.* Vnde *Apostolus*: oportet *accedentem* ad *Deum credere, quia est*, & quòd sit *inquirentibus* se *remunerator*, *Heb. 11*. *Ferdinandus Velloſillus* in 2um *Tomum Chrysostomi*, quæst. 22ª. interponit; *Credere in Deum*, omnes *articulos*

culos Divinitatis, & illum esse *Remuneratorem*, omnes *articulos humanitatis*, secundùm *Patres* implicitè in se continere. Sed refellit hoc *Lombardus*, & aperte ex *Augustino* et *Gregorio* ostendit, fidem hujusmodi *generalem*, ad *salutem* non sufficere. Præ cæteris illustrat hanc *doctrinam Halensis*, part. 3. q. 69. Memb. 3. Art. 1. distinguendo de *statu hominis*, ante peccatum, & post peccatum; post peccatum etiam *dupliciter*, *ante* legem, post legem & sub *Evangelio*. Ante peccatum (inquit) sufficiens erat credere, quòd *Deus* sit, vt *principium conditionis*; & *Remunerator*, in quantùm *finis* & *complementum* Beatitudinis; sed *post* peccatum, tam *ante* quàm *post* legem *duo* proposita erant *credenda* (vt tradit *Hugo*) *Creator* & *Salvator*. Primum vt *debitum naturæ* quo cognoscamus *Ortum*, secundum vt *debitum gratiæ*, è quâ emanat *Reparatio*. Post *Redemptoris* demùm *adventum* extendenda erat *fides*, tùm *simplicium*, (indicante *Lombardo*) vt crederent saltem pro *captu*, quæ in Symbolo traduntur *Apostolico*, parati ad cætera amplectenda, si fuerant illis *revelata*; tùm *peritiorum* vt haurirent *uberius* è *Scripturis*, quæ sibi ipsis *applicarent*, vel alios *docerent*. Est autem in *susceptiva* naturæ *potentia* (vt acutè ait *Halensis*) cùm conscia sit suæ *pervertitatis*, Mediatorem *desiderare* & *credere*, sed non in *potentia Activa*, nisi à *gratia* ad *supernaturalia* elevetur. Fides ergò crevit juxta *Bonaventuram*, successu temporis non *Articulorum numerositate*, sed *credendorum explanatione*, propter *intellectum assentientem*, non *veritatem dictantem*, quia eadem est *fides nostra* & *Antiquorum* (vt habet *Scotus*) Consona his tradunt

De Sacrament. l. 1. part. 10. l. 5.

Ubi supra.

In 3. sen. dist. 28. q. 4.

Tho-

Thomiſtæ ad 2am 2dæ. Aq. q. 2. art. 7. vbi excluduntur prorſùs *Ethnici* à ſalutis *caſtris*, niſi Mediatoris *vexillo* ſeſe aliquo modo aggregent. Narrat igitùr ibidem *Aquinas* tempore *Conſtantini* & *Irenæ* matris, erutam fuiſſe è ſepulchro quodam cujuſdam *Ethnici auream laminam*, quæ *pectus* ipſius *tegebat*, cum hâc inſcriptione, *Chriſtus naſcitur ex virgine, & ego credo in eum. O ſol ſub Irena & Conſtantini temporibus iterùm me videbis.* Vnde concludit dè *Mediatore* aliquam ſaltem *cognitionem* ſemper *Ethnicis* illuxiſſe, ſi qui tamen (addit) *ſalvati* fuerunt, quibus *revelatio* non fuit facta; Non fuerunt *ſalvati* abſque *fide Mediatoris*, quia etſi non habuerant *fidem explicitam*, habuerunt tamen *fidem implicitam*, in Divinâ *providentiâ*, credentes *Deum eſſe liberatorem* ſecundùm *modos* ſibi *placitos*; vbi ſemper (vt videtis) reſtat *ſcrupulus*, an *iſti ſalutem conſequantur, quibus non placet Deo impertire diſtinctam aliquam de redemptione apprehenſionem. Caſſalius lib. 1°. de Quadripartita iuſtitia parte 1ª. cap. 12. 13.* & ſeq. *Abulenſem* plurimis in locis. *Brunonem*, *Dionyſium Carthuſianum*, *Arboreum Ladunenſem*, *Durandum*, *Capreolum*, *Ludovicum Vivem*, Advocatos *Ethnicorum* introducit. *Thamneri* apud *Chemnitium* ad *ſeſſ. 6. Concilij Tridentini*, ſalutis Philoſophicæ nota eſt Apologia. *Colonienſes* librum ediderunt de *ſalute Ariſtotelis*, teſte *Baleo*, Cent. 14. ex *Agrippa* de *vanitate* ſcientiarum cap. 54. Simile quiddam in Concilio *Tridentino* fuiſſe pro *concione* promulgatum memorat *Sleidanus* ad annum 52. Sanè *Andradius* & *Vega*, qui *concilio* interfuerunt, diſertè hoc *Evangelium* Paganis prædicant.

cant. Subscripsit primò *Dominicus à Soto*, sed postea illud retractavit; *Cassalius* productis vtrinque interse *collidentibus* suorum *sententijs*, sic tandē concludit. *Cùm qualibet sententia suos habeat authores, & suas rationes, fundamenta* atque *principia*, nec *hactenùs aliquid sit determinatum per sanctam Matrem Ecclesiam, quo huic quæstioni finis imponatur, res adhuc controversijs iactatur, & sub iudice lis est.* Addit, *& nullum igitur ex hac parte discrimen timendum videtur, si quis sibi concessâ optione sententiam hanc vel illam obnixè tueatur.* Ergo pro *paganis* post *concilium*, intercedit *Franciscus à Victoria*, repugnat ipsius discipulus [a] *Melchior Canus*, fatetur [b] *Acosta Scholasticos* nonnullos, *virōs* admodum *graves* salutem *absq; Christi cognitione* Ethnicis concedere. Nec dissimulat *Westonus* noster *orthodoxos* nonnullos & *doctissimos* viros istam sententiam *fovere*, sanè ita fouet *Mutius Pansa* in *æsculo Philosophiæ & Theologiæ*, vt si pergat sicut incepit sperandum esset propediem inter eas coniugium. Nota est illa *Erasmi* sive *ioco*, sive ex *affectu*, in *præfatione* ad *Tusculanas Ciceronis quæstiones Litaneia*, vix *possum me continere*, quin clicam *Sancte Socrates ora pro nobis.* Atq; illos cousq; *transversos* abripuit, *meriti* vt videtur æstimium. *Iesuitæ* autem quia subolfaciunt, quantum hoc detraheret *Synagogæ Romanæ privilegijs*, resiliunt tandem studiosiùs à *tali præcipitio*: *Bellarminus* nihilominus lib. 1 de Christo c. 3. *Philosophos* concludit, quatenùs *vnum Deum* cognoverunt, eatenùs *naturaliter quasi fuisse Christianos*, quem vellicat eo nomine *Zepherius Lutheranus*,

Vid Valent. Tom 3 disp. 1. q. 2. punct 2.

[a] *De sacrament. part. 2. tit. de necessit. fid Christi ad salut. p 753.*

[b] *De procuran. Indorum salut. l. 5 c. 3.*

De trip. hominis ostinio. l. 3. c. 22.

Valent. Tom. 3. disp 1 q. 2. punct 2.

Acosta de procurand Indor. salut. l. 5. c. 3.

theranus,

theranus; vindicat suo more sat *clamosè* & *calumniosè Gretserus*. Ita isti omnes, in hâc causâ tumultuari videntur, vt olim *Saul* & *Israel* de salute *Ionathæ*. 1. Sam. 14. Instat *Rex* iratus. *Hæc faciat mihi Deus* & *hæc addat*, quià *morte morieris Ionotha*; insurgit *populus*, ergone *Ionathas morietur? vivit Dominus si ceciderit capillus ex capite eius in terram.*

In vindic ijs Bellarmin.

4 Sed ad *Reformatos* transeamus, hîc vapulat inprimis *Zuinglius*, quod *Herculem*, *Theseum*, *Numam*, & reliquos eiusdem fidelię *cælo* ascripsit: vndè salsè *Vitus Winseimius Wittenbergensis professor*, auditores solebat compellare, *Optimi studiosi cavete vobis à cælo Zuinglianorum*, quia in eo collocant *Herculem* cum *clava*, *valdè enim metuerem à clava Herculis*. *Zuinglium* autem hâc ex parte non tuentur *Gualterus*, *Lavaterus*, *Bullingerus*, *Hardenbergius*, *Tossanus*, aut quivis è nostris alius, ut calumniosè illis impingunt *Sandæus Iesuita* & nostras *Smithæus*. Videant enim *Wigandum* & *Schlusselburgium* è *Lutheranis*, *Bezam*, & *Oecolampadium* è nostris, castigâsse liberiùs hunc cespitantis lapsum: sed *explicant* potiùs, & *ostendunt*, illum non *exclusisse* fidem in *Mediatorem*, quin *sperâsse* magis *misericordiam divinam*, modò *nobis* occulto, *ipsi* cognito, *Fidem illis* instillâsse, quos *virtutibus* aliàs *heroicis* tam egregiè illustrâsset. Nugæ autem sunt ista quæ *Smithæus* subijcit, de *Martyre* quodam laudato à *nostro Foxio*, qui de *Mahumetanis* volebat nos benè ominari; & ex *Baleo*, qui monet alicubi, *Turcam* nullum à nobis temerè esse damnandum: nil aliud siquidem insinuant, quàm tales per *Dei gratiam*, posse per pœnitentiam, vt *titiones* ab

Vid. Apolog. Gualte. operib. Zuinglij præfixum. Demonst. Prodrom c. 3. De authore & essent protestan. Eccl. l. 1. c. 4.

igne

igne eripi, et in *ovile* Christi (vbi patet *ostium ad salutem*) tandem se recipere. Postremò inter *Remonstrantes*, furit cum *Socinianis Venator*: Nego (inquit) *hanc propositionem: Nemo potest salvus fieri, qui Christo per veram fidem non sit insitus.* Sed cautior ipse *Arminius*, facienti *quod in se est, inter Ethnicos, substernit gratiam, vt ad vlteriora promoveatur*, juxta illud, *Habenti dabitur*, Mat. 13. *vbi meritum ex congruo Iesuitarum* expressè agnoscit. Copiosiùs hæc persequitur *Corvinus*, contra *Tilenum* jam ipsius *Proselytam*. De *Familistis* autem & cæteris *Fanaticis*, qui cum *Rhetorianis* apud *Augustinum*, *Lampetianis* apud *Damascenum* & *Mahumete* in *Alcorano*, cuivis sectæ *civiliter* vitam rectè *instituenti*, Paradisum spondent, institituti mei non est *plura* coacervare: Nimium liquet *ex dictis*, quàm *poëtica* hæc philosophorum *salus*, Theologorum tot præstantium exercuit ingenia.

F. Hommij specimen art. 27. Resp. ad art. cap. 3. & 6.

5 *Sed cujum* pecus *est hoc, quod hîc intervenit, et* benedictionem *tam intempestivè postulat? Num ex S.* Pauli, *aut* Hippocratis, *vel* Iustiniani *caulis? ex* vellere, ætate, & charactere, *discrimen statim apparet, vt iam non in* Rama Rachel, *sed* Theologia *in* Oxonia *deploret suos* filios, *nec consolationem admittat quia non sunt.* Cùm *exclamâsset* quædam mulier *è* Samariæ *muro*, Salva me Domine Rex 2. *Reg.* 6. 26. *Respondet iratus* Ioram, non te

Benedictio.

Nulli *in istis comitijs promoti fuerunt in* Theologia.

ſalvet Dominus, vnde ego te poſſum ſalvare, de arca *vel de* torculari, *ac ſi dixiſſet*, omnia mihi deſunt, *quomodo igitur alijs ferrem ſuppetias? Haud alitèr periclitatur hodiè veſtra ſalus* (Philoſophi) *in noſtræ* Theologiæ *orbitate, vmbra tantùm* interpolatæ veritatis (*vt loquitur* Minutius Felix) *ſub* cucullis *veſtris deliteſcit: Nomen Chriſti apud veſtrum* Ariſtotelem, Euclidem, *& reliquos authores* claſſicos, *non occurrit.* Mat. 15. *Numquid autem* bonum eſt, *accipere* panem liberorum, *&* catellis *obijcere? Quâ alacritate à campeſtribus* Moab, *ad montem* Gerazim, *aut vallem* Berachah *vos deducam, cum non præcedunt* Sacerdotes *portantes* arcam, *vt per diviſum* Iordanis *alveum, ſemitam* benedictam *aperiant; ex qua* arca *aut* torculari, *vos reficiam, vbi avolavit* triticum *vnà cum* palea, *&* ne botrus *quidem reſtat ad vindemiam,* Theologia *quæ hactenùs gloriabatur, non* ſedebo vidua, *&* ignorabo ſterilitatem, *cujus* filij juventutum, *vt* ſagittæ *in* manu potentis, *quibus* incurvabant ſe terræ principes *&* geſtiebant *veſtræ* artes corrigiam calceamentorum *ſolvere? Nunc vt mœſta* Iſa 47. Pſ. 127. Iſa. 9. Pſ. 102. *ſaxeſcit* Niobe *orbata liberis, ſimilis facta eſt* pelicano

Pelicano deserti, *et sicut* Bubo solitudinum, *sicut* passer *super* tectum *sedet* solitaria, *viæ* Sion lugent, *eo quod* non sunt, *qui* veniunt ad solemnitatem. *Facti sunt* hostes eius in capite, *inimici eius* locupletati *sunt*, *stupent amici & tacitè secum reputant*; *Hæccine est ista* alma mater *quæ tot* filios, *quotannis antehac peperit*, *vbi iam* Theologi, *vbi* Iurisconsulti, vbi Medici: *veniunt* gentes in hæreditatem Domini, *& de* quorum salute *adhuc non constat*, philosophi *vendicant* Benedictionis privilegium. *Domine Deus*, *quid dabis mihi cùm ego incedam* absque liberis, זבן-משק *&* filius procuratoris *iste* Damasec Eliezer hæres meus erit: *quod si* Rachel *indignetur*, *quòd esset* infœcunda, *&* da mihi liberos (*inquit marito*) alioqui morior; Leah Mandragorarum *pretio*, *conduxit* maritum, *vt celeriùs pareret*: *quid mirum*, *si* sterilitatem *deploret*, *qualem vix* recenti memoria *vnquam est experta* Alma mater Academia, *præsertìm cum non apparet* Medicus, *qui* morbum *indicet*, *non* Iurisconsultus *qui propulset* iniurias. *Ipse verò cum* Reubenis planctu *vacuam inspiciam Cisternam*. *Puer non est*, *& ego quò*, *ego quò ibo?*

Lament. 1.

Gen. 15.

Gen. 30.

ילד איננו
חאני-אנה
אני בא

Gen. 37. 30.

6 *Tam inexpectatæ calamitatis* fontem, *vtinam meum esset tam facilè exsiccare, quàm promptum est ferè vnicuiq;* digito *ostendere. Vultis membra affecta?* Caput meum, caput meum *exclamat morti propinquus puer* Sunamitidis: ventrem meum, ventrem meum, *verba faciens de* sua Ierusalem *doleo (inquit* propheta) caput *autem &* venter *si laborent, istud noxijs* catharris, *iste* κεφαλαία, *&* nausea. *Necesse est, vt totius corporis* systema *subitò dilabatur.* Michal *filiæ Saulis non est* natus filius *vsq; ad* diem mortis *vt habet textus: quia irrisit* devotam *mariti* humilitatem. *non respondit* Iehovàh *Sauli, neq; per* somnia *neq; per* Vrim, *neq; per* Prophetas, *quia peperciſſet* Amalec, *contra* mandatum Domini, *& prætuliſſet* pinguia, *et* saginata, *debitæ* obedientiæ. *Cadit* Israel *coram* civibus Hai, *ob* pallium Babylonicum, *et* siclos *aliquot* argenteos, *et* auream regulam, *quæ subduxisset è* consecratis, *et in* tabernaculo *suo dèfodisset* Achan. *Sive lateant inter nos eiusmodi* religionis irrisores, *sive* hypocritæ, *qui quodvis profiteri, aut docere sunt parati, modo faciat ad* præposteræ ambitionis *compendium, sive* pallium Babylonicum

2.Reg.4.

Ier.4.

2.Sam.6.

1.maS.15.

Ios.7.

cir-

circumgestetur sub aliquorum togis, quod induere non erubescent si vel minima impunitatis invitaret persuasio, qui scrutatur corda videt, & notat, & opportuno tempore super tecto promulgabit. Interea triumphant ἀλλόφυλοι, nostra pessum eunt, nos ringimur. Anathema proculdubio est in medio tui ô Israel, non poteris stare coram hostibus, aut progressus facere, donec deleantur ex te, qui huiusmodi contaminantur sceleribus. Quare vt hactenùs Gerazim ascendimus, vnde benedictionum thymiamata effunderemus: ita nunc è contra ab Hebal Anathemata sunt intonanda, vt maledicti pereant ipsorum conatus, qui captant plausum ex matris infamia, & ex synceritatis et innocentiæ ruinis erigunt sibi ipsis Anathemata. Fiat illis sicut Midiã & Sisseræ et Iabin in Torrente Cisson, qui perierunt in Endor, et facti sunt vt stercus terræ: vertigine abripiantur velut rota, & sicut stipula ante venti faciem. Impleantur facies ipsorum ignominia: Corvi Torrentis effodiant oculos, et filij Aquilæ eos devorent, evadant leprosi cum Gehazi σκωληκόβρωτοι vt Herodes, promoveantur ad dignitates, vt in vltimo actu Achitophel, disc-

Mat. 10. Luc. 12.

Ios. 7.

Ps. 83.

Prov. 30.

diſrumpantur in medio vt Iudas *in Acheldama, et* Epiſcopatus *ipſorum alij accipiant*, lamentationes, *et* gemitus, *et* væ, *ſive libri involuti* Ezechielis, *ſive* volantis voluminis *apud* Zachariam, *ſive* Servatoris *intonantis adverſus* Scribas, Phariſæos *et* hypocritas *apud* Evangeliſtas; *Ipſorum* ſinus *impleant*, oſſa *penetrent*, medullas *exugant*, vt *diſcant tandem, quid ſit in* Spiritum S. *mutiri*, religionem *larvæ loco aut proſtibuli habere*, Templum Domini *foras inclamare, et in occulto* Maozim *litare*, vt *ita à cœlo tacti, et* ſyderati, *agnoſcant* digitum Dei, *cum* Pharaonis *Magis, manum, cum* Nebuchadnezar, *ſic* vt *viſum vel recipiant cum* Paulo, *et convertantur cum* electis, *aut ſubitò cum* beſtia *in* Abyſſum *præcipitentur*,

Ezech. 2. 9. Zachar. 5. Mat. 23. Dan. 4.

7 *Nollem tamen*, vt *iſta nimium vos terreant* (Philoſophi) *Nam quæ præfractos comminuunt*, humiles *excitant*: Catelli *comedunt ex micis, quæ cadunt è* Dominorum *menſa*. *Et vbi* proles *deficit*, ancillæ *nonnunquam* Dominæ *hæreditatem adeunt*. *Quamvis autem de* benedictione *in veſtris* Ethicis *aut* Politicis, *titulus* (*quod ſciam*) *non occurrit, et* maledicta *fuerit* ficus, *quæ* Servatori *quærenti* fructus,

Mat. 15.

nil

nil obtulit præter folia, spes tamen futuræ messis, vt benedictio vobis impertiatur, intercedit. Neq; enim tam Philosophi estis, quàm Christiani, & fideles. Inter vos (sicut mihi persuadeo) quamplurimi latent, de quibus glorietur in posterum Theologia, vt olim Ecclesia apud Esaiam, quis genuit mihi istos, ego sterilis, & non pariens, transmigrata, & captiva, & istos quis enutrivit? ego destituta & sola, & isti vbi erant? De Charadio ave, refert Epiphanij physiologus, si oculo irretorto & fixo ægrotum respiciat, convalescat, sin avertat obtutum, morbus est lethalis, accommodat Interpres ad liberrimam Dei de homininbus dispositionem; abscondit faciem & turbantur, deficiunt, & in pulverem suum revertuntur, emittit Spiritum, & quasi de novo, aut nihilo recreantur. Ergò qui ex lapidibus potest Abrahæ filios excitare, Matthæum publicanum convertit in Evangelistam, Paulum Pharisæum in Apostolum, Iustinum Philosophum in Martyrem, Cyprianum Rhetorem, & (vt nonnulli existimârunt) Magum, in celeberrimum Episcopum; manuducat vos ex istis Kedar tentorijs vt maturè inter tabernaculi ipsius Cortinas consistatis;

cap. 49. 21.

Ps. 104.

fistatis; sufficiat vobis quod in isto Philosophico
Ps.68. *Monte manfistis, Mons* Dei est *vt Mons* Basan, mons excelsus *vt Mons* Basan: *nunquid* Abana & Pharphar, *Fluvij* Damasci *valent ad eluendam peccati* lepram, *vt Israelitarum* Iordan? *O quot mihi polliceor in posterum, ex* hac vestra corona, *qui insequente proventu, huius messis compensent* sterilitatem? *Nam quare huc accessistis (*Philosophi*) cur oculos* in me *conijcitis, cur* Theologiæ benedictionẽ *imploratis?* suæ fœlicitati *diffidens, extra & supra se nisi quod ambiret, nõ intueretur vestra Philosophia, Si non agnosceret* βαθυας *et* ὑποβαθρας *esse* artes, *ad hæc* superiora *fastigia, et non sentiret* Rorem *cœlitùs* demissum, *non* Parnassum *vestrum* bicipitem, *sed* nostrum Hermon & Sionem *irrigare. Moses minat oves ad hæc* interiora deserti, *priusquam illi* Dominus *ex* rubo *illucescit. Dominus igitur ille* incolator Rubi *benedictiones illas omnes, quas vnquam* Electis *suis est pollicitus, &* vocatis *præstitit, benignissima* manu *vobis omnibus impertiat. Dulcedinem contrahant* latices *vestri in se* amari, *ab immisso à nostra Theologia* ligno, *si in vestram ollam incidant* Colocynthides, *in-*

iecta

iecta à nostris Prophetis farina, sapidum *reddat* edulium. *Vt* Rahab & Ruth *inter* Israëlitas: *sic* proselytæ, ancillentur Ecclesiæ *vestræ artes et scientiæ. Multi sint inter vos* Elisæi, *qui properabunt* aratra sua *scindere*, & boves *immolare*, *vt* sequantur *et* ministrent *alicui* Eliæ, *qui* pallium sublimioris professionis, *humeris ipsorum imponat. Postremo* יפת אלהים ליפת *Deus* persuadeat, *sive* dilatet *vel* dilatando persuadeat *vel* persuadendo *dilatet* Iapheth, *vt habitet in* Tabernaculis Sem, *In illis siquidem solummodò est* salus, *et non in* Canaan, *aut* Esavi *destinata servitute.* Gen. 9. Quod *superest*, vt *in sequentibus* punctiùs explicem.

8 Illud etiam vt *distinctiùs* fiat, observandum est *primò* de *Ethnicis, paganis*, siue *gentibus* controversiam esse, ad quas *nulla* Christi *cognitio* omninò pervenit, quales sunt vel fuerunt *Indi*, ante *Christianorum consortium*, vel *Græci* aut *Barbari*, ante *Christi adventum.* Atque hic *secundò* examen subeunt, non *infantes*, aut *amentes*, sed *adulti*, ratione *instructi*, qui ipsius ductu, vel *vti*, vel *abuti* potuerunt. Hi cùm necessarium sit vt *perveniant* ad *terminum* per *aliqua media*, dispiciendum est *tertiò* an ista *necessitas* sit vel *medij*, quæ ex lege *Dei* est *ordinaria*, vt habet Gregorius *de Valentia*, vel tantùm *præcepti*: quæ obligat solum vbi facultas *intervenit*, & excusatur per *invincibilem ignorantiam*? T. 3 d. 1 q. 2. pag. 317. *Quartò* non negandum est *duplicem*

Plicem esse Christi *cognitionem, explicitam* quæ pro captu discendit *credentis*, ad *specialia credita*, vt exprimit *Durandus*, & *Implicitam*: Eamq; iuxta eundem *duplici sensu*, vel vbi *Actus* involuitur in *habitu*, vel vt *particulare* latet in *vniversali*. Quibus positis convenit *Primò* inter omnes *aliquas* esse, vel fuisse *gentes*, quæ de *Christo*, & ipsius mediatione ne per *febrim* vnquam somniarunt. Convenit *secundò* Deum *posse*, & nonnunquam *solere*, varijs & nobis *occultis* modis fidem cordibus instillare, quâ & de *surdis* & *mutis* inter *Christianos*, & rectè vitam *instituentibus* inter *Ethnicos* benè possumus sperare, vt habentibus *hoc saltem*, aliquid *vlteriùs detur*, quod à crepusculo ad lucem transferat, vt semitam salutis inveniat. Siquidem nullus *tertiò negaverit* βάθμους esse, & *gradus* in *salutis ascensu*, & *gratiam* plerunq; priùs præparare *naturalia* (vt constat in *Cornelij* & *Eunuchi* progressu) quàm inducat *supernaturalia*. Convenit *quartò fidem necessariam* esse ad salutem, non tantùm *necessitate præcepti*, sed et *medij*, eamq; *ordinariò* ex *auditu esse*, et in *Mediatore* Christo, tanquam *debito obiecto*, *Implicitè* saltem et *generatim*, aut *explicitè* & *distinctè* terminari. Nec quæritur *postremò* præcisè quid *factum sit*, sed quid *fieri solet*, aut *potest*, non *potentiâ* Dei *absolutâ*, sed *ordinariâ* quæ *decretum* eius *immutabile* subsequitur, et *exequitur*, vnde controversia redigitur ad hos *cancellos*: Vtrum *Ethnici*] hoc est *gentes destitutæ* omni cognitione *explicita*, vel *implicita*, *possint*] ex *arbitrij* & *rationis* circumspecta, & constanti *attentione*, *intentione*, & *contentione*, *salutem consequi*] si ita morerentur *fide Mediatoris*,

atoris, non vlteriùs instituti & illuminati? Affirmant *plurimi* (vt accepistis) vel saltem *hæsitant, Veteres, recentiores, Pontificij, Reformati*: Negant alij speciatim, *Ecclesia* nostra *Anglicana* Artic. 18. his verbis: *Sunt & illi Anathematizandi, qui dicere audent vnumquemq; in lege, vel secta, quam profitetur esse servandum, modo iuxta illam & lumen naturæ accuratè vixerit, cùm sacræ literæ tantum Iesu Christi nomen prædicent, in quo salvos fieri homines oporteat.* Argumenta nostra ad hæc *præcipuè* revocantur capita.

9 Primum sumitur à *corruptione* naturæ, *per* & *post* lapsum primò *Aversæ* ab omni *bono, Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei, stultitia sunt enim ei, & non potest intelligere, quia spiritualitèr iudicantur.* 1. Cor. 2. *Venundatus est sub peccato*, ad Rom. 7. *Captivus tenetur à Satana ad ipsius voluntatē*, 2. Tim. 2. *Mortuus est planè in delictis*, ad *Ephes.* 2. & ad Coloss. 2. Deinde *Conversæ ad omne malum, Omne figmentum cordis humani est* רק רע *tantummodò malum* Gen. 6. & video *aliam legem* in membris meis captiuantem me in *lege peccati*, quod est *corpus mortis*, Rom. 7. Vnde argumentum; qui tali *sunt conditione*, vt non magis *percipiant*, vel *cogitent* ea quæ spectant ad salutem, quàm *mortuus se resuscitet* ad vitam, sed è contrà vt *servi* & *captivi*, à depravata *voluntate* & *affectibus*, in proprium rapiuntur interitum; Isti non possunt ex *naturæ*, aut *rationis ductu*, salutem consequi. Sed hujusmodi sunt *Ethnici*, de quibus loquimur, Ergò non possunt, prout *tales*, ad *salutem* aspirare. Rectè igitur *Augustinus, Natura* *Arg.* 1um.

nostra adeò vitiata est, vt maioris vitij sit illud non videre, de natura & gratia, cap. 49. Duo interponunt hic *Remonstrantes*. Primum de *peccato originali*, quod pœnam potiùs esse statuunt, propter *Adami* lapsum posteris *inflictam*, quàm *propagatam* naturæ *corruptionem*. Secundum est de *voluntate*, quam dicunt eam *integritatem* post lapsum retinuisse, vt ad *bonum spirituale* per se viribus *innatis* possit aliquo modo assurgere. Sed ista nimium olent *Pelagianismum*, vt alias ostendi. Nam ita *regeneratio peccatoris*, non esset novi cordis *creatio*, vt vult *David*, sed *vulnerati* & *languentis* potiùs *resuscitatio*; & *conversio*, tàm esset *naturæ*, quàm *gratiæ*; contra illud *Deus operatur velle & perficere, idq; non ex promptitudine* nostræ *voluntatis*, sed τῆς εὐδοκίας pro *benevolo suo libitu* ad *Philip.* 2. Putidius est, quod elicit *Boverius* ex *Vega* & *Dominico à Soto*, de fide *duplici*, *naturali*, quæ gratiam antecedit, et *supernaturali* quæ *superadditur*, quia non *idonei sumus per nosmetipsos ad cogitandum quicquam vt ex nobis ipsis, sed quod idonei sumus illud est ex Deo.* 2 Cor. 3. quin et argumentatur *Apostolus, si vnus pro omnibus mortuus sit, ergo omnes mortui sunt, Ibid. cap.* 5. Fidem autem istam *naturalem*, copiosè refutavit *Iunius* in Francisco *Puccio*, non probat in suis loco citato *Boverius*; Exagitat *Philippus Faber*, *Caietanum*, *Vasquez*, et *Suarez*, statuentes gratiam *educi è potentia obedientiali animæ*, & non *creari* aut *cœlitùs infundi*, prout communis scholæ est *sententia*. In 4. sentent. dist. 1. disp. 2. sed ita oportuit illos *stulteſcere* in Ratiocinijs suis, qui illud gestiunt *ruspare* in *naturæ* sterquilinio, quod à cœlesti

Excep. *Armin. ad art.* 13. & 14. *Corvinus contra Tilenum. cap* 3.

Confutat.

Psal. 51.

Excep. 2.

Confutat.

cœlesti influentia in solidum erat expectandum.

10 Secundum argumentum est ab *indignitate* seu *vilitate operum & conatuum* non *renatorum:* Quasi *pannus menstruatus* vniuersæ iustitiæ nostræ Isaiæ 64. *Num colligunt ex spinis vuas, aut ex tribulis ficus? putris arbor fert fructus putres.* Matth. 7. Vnde *Author de vocatione gentium,* Sine *cultu* (inquit) *Dei* quod *virtus* videtur, *peccatum est* lib. 1. c. 3. Non bona illa appellaverim (inquit *Augustinus*) quæ non de *radice bona* procedunt, si illis quod *debetur* donet Deus, vtique *damnaret*, in Psal. 31. Rationem attexit *Anselmus*, quia vbi *deest agnitio veritatis æternæ, falsa virtus est, etiam in optimis moribus*, in 14. ad Rom. Quare dum multum *sudent* nonnulli, (monente *Bernardo*) quomodo *Platonem* faciant *Christianum*, se probant esse *Ethnicos*. Occurrunt hic *Remonstrantes* cum *Scholasticis*, licet conatus *Ethnicorum* in se sint ad salutem *inutiles*, manuducant tamen *de congruo* ad *gratiam* & *fidem*, quâ *immediatè* serventur. *Ratio:* quia *facienti quod in se est, ex solis naturæ viribus, dantur à Deo infallibiliter, & ex certa lege auxilia prævenientis gratiæ, quibus ad salutem perveniat.* Sed animadvertit *Arminius* ipse, hoc tam *crudè* propositum, nauseam pio stomacho moturum. Condit igitur hoc *sesamo*, facienti, quod in se est, hoc est, per *gratiam primò collatam*, Deus confert ex *congruo vlteriorem gratiam* salutarem, sic vt *prima* sit tantùm *præparatio*, sive ad secundam *gradus*, vnde ad commodiorem transitur stationem. Atqui nullus nostrûm negaverit, *actus gratiæ* salutaris *gradatim emergere*. *Cornelius* orat, *Eunuchus* legit, priusquam

Aug. 2m. ver. 6. ver. 18. *Vid Villos.* pag. 358. Ep. 190. *Excep.* *Refutatio.*

priusquàm hic *Petro*, aut ille *Philippo* tradatur instituendus. Cæterùm vt ista omnia sunt, non ex *voluntatis* nativa bonitate, sed ex *præveniente* gratia: Ita *Deus* non tenetur *addere collatis*, nisi prout *ipsi* visum fuerit. Vt fusè ostendit *Alvarez* lib. 7. de *auxilijs divinæ gratiæ disput.* 56. Adde quod nemo *facit*, aut *fecerit* actu *quantum in se fuerit*, vt agnoscit *Vega* ipsorum patronus; Cùm non tam semper *attenta* potest esse *ratio*, in hoc carnis *ergastulo*, quin sæpiùs *circumveniatur* ab appetitu, & in transversum abripiatur, sed fingamus *aliquos* cum *Poetis* rationis dictamen apud *Ethnicos* nullatenùs violâsse; Illa tamen ad salutem non sufficere confirmabit vlterius.

Arg. 3um. Vrgent. Triden. 6. c. 1.

11 *Tertium* nostrum *argumentum ex necessitate fidei.* Impossibile est *sine fide Deo placere* ad *Hebr.* 11. 6. Qui non *crediderit*, *condemnabitur*, *Marc.* 16. v. 16. Iam *iudicatus est*, quoniam non *credidit* in nomen v. 18. *vnigeniti filij Dei Ioh.* 3. *Circumcisio nihil est*, & v. 6. *præputium* nihil est, sed *fides*, quæ per *charitatem* operatur Gal. 5. vnde *Augustinus*: Absit vt sit *in aliquo vera virtus*, nisi fuerit *iustus*, absit autem, vt sit *iustus* verè, nisi *vivat ex fide*, *iustus enim ex fide vivit*: quis porrò eorum, qui se *Christianos* haberi volunt, nisi *soli Pelagiani*, aut in ipsis etiam tu *solus*, *iustum* dixerit *infidelem*, iustum dixerit *impium*, iustum dixerit diabolo *mancipatum* libro 4°. in Iulianum cap. 3°. Tergiversantur *nonnulli*, fidem esse duplicem, *Dei*, quâ *creditur quòd sit*, & *remunerator sperantium in se. Christi*, quâ *specialim* per ipsius *mediationem*, salus expectatur. Primam autem asserunt *Ethnicis* valuisse ad *salutem*, præsertim ante *Christi incarnationem*, prout

Excep. Hebr. 11.

nunc

nunc *Indis* sufficit, & alijs, qui *invincibili* laborant *ignorantiâ*. Siquidem *misericordia* Dei *impossibilia* non exigit. Et ista *fides generalis applicata*, illam *aliam* de *Christo* potest includere. *Contra*, cur non igitur *Dæmones* sperent *salutem?* Nam illi etiam sciunt *Deum* esse, & esse *remuneratorem*, & tamen *contremiscunt*, *Iacob.* 2°. *Deinde*, impossibilitas est *duplex*, vel *antecedens obligationem*, vel *consequens*, consequens rursùs *duplex est*, vel *invecta* tyrannide *obligantis*, vel *contracta* temeritate *obligati*. Ad impossibile *præcedens obligationem*, nemo justè *astringitur*, juxta illud *Plutarchi* in *Solone*, Δεῖ κατὰ τὸ δυνατὸν τιθέασθαι τοὺς νόμους: Nec ad *impossibile consequens obligationem*, quod *tyrannis legislatoris* invexeri: At hic *aliter* sese res habet, impossibilitas hæc *sequuta est* legem, primis latam parentibus, cùm potuissent illam *implere*: Causaris igitur nunc *invincibilem ignorantiam?* Tua *culpa* evenit à parentibus *hæreditaria*, Nunquid autem apud nos *syngrapha* non obligaret Decoctorem, quia *solvendo* non est, sed culpa *interveniens* liberaret ab alieno ære? cùm autem *solâ* hominis *voluntate* factum sit (observante *Augustino*) vt ad istam *necessitatem* veniret, quæ *sola* hominis *voluntas* superare non potest: Misericordia *Dei* est, si *Fideiussoris* interventu aliquos liberet: Iustitia esset, si *ultimum quadrantem* ab *omnibus* exigat. Nec fides ista *Dei* confusè & involutè, *fidem Christi* includit suo ambitu: Nam *creditis* in *Deum*, (inquit Salvator) & in me credite, *Ioh.* 14. Et hæc est *vita æterna*, ut cognoscant *solum te* verum Deum, sed nunquid hoc sufficit? Nequaquam, sed dicendum est quod sequitur, & quem

Refut.

misisti Iesum Christum, Ioh.17.

Arg.4um. 12 Vndè *quartum* emergit *argumentum* è *limitata apprehensione destinati obiecti.* Non est in *aliquo alio salus*: Nec enim *aliud nomen* est *sub cœlo datum hominibus*, in quo oporteat nos *salvos fieri*, Actor.4. Extenditur & hoc expressè ad *omnes* gentes, Id enim ante *evangelizavit* Scriptura *Abrahamo*, *Benedicentur in te omnes gentes*, ut urget Apostolus ad *Gal 6.* ex *Genes.*12.excluduntur *cætera omnia media*: Fundamentum *aliud nemo potest ponere*, præter *id* quod *positum est*, quod est *Iesus Christus*, *1 Cor.*3. Quia ipse *via illa*, veritas *illa*, & *vita illa* ἰμφατικῶς, ut notat *Beza*, quâ unâ & vnicè, ad *vitam eternam* pervenitur, *Ioh.*14. *Nemo* venit ad *patrem* nisi *per me*, *Ioh.*14. Ipse *ostium* est illud per quod si quis *introierit*, *servabitur*, *Ioh.*10. aliàs foris *manendum* cum *canibus*, *veneficis*, *scortatoribus*, *Idololatris* & *amantibus* aut *facientibus mendacium*, *Apoc.*22. Excipiunt *adversarij*,

Except. Ethnicos non nisi per *Christum salutem* consequi. Vtcunq; *distincta* Servatoris *cognitio nunquam* ad illos pervenit, sed *implicita* tantùm & *confusa*, quatenùs *Deum summum esse bonum* potuissent *concipere*. Ideoque pro multiplici *bonitate*, & *sapientia*, ipsis pro modulo *conantibus* prospecturum. Ipse enim est *maior corde nostro* 1 *Ioh.*3. & *potest omnia facere superabundanter*, quàm *petimus* aut *intelligimus*, ad *Eph.*3. Haud aliter ac contigit *Petro* è carcere *liberato*, *liberatum* se *prius* sentit, quàm *liberatorem* agnovit. *Actor.*12. *Contrà*, loci isti loquuntur Dei in suos

Refutat. *benignitatem* infinitam, quos adoptavit in *Filios* per *Iesum Christum*, secundum *propositum* voluntatis suæ,

ad

ad *Eph.* 1. non *indiscriminatim* de ijs, quos extra caulam permittit *occulto suo iudicio* evagari. *Deinde, non controvertitur*, quid *Deus* pro *iure* suo *potest* facere, sed quid facere *disposuit*, juxta *beneplacitū* in Scripturis *revelatum*. Hinc

13 Quintum suppeditat *argumentum Apostolus* ab *indissolubili nexu*, & *administratione mediorum ad salutem*. Primò, ex 8° ad *Romanos*, quos Deus tandem *glorificabit* post tempora, *illos* & non *alios* (interprete *Augustino libro* 1°, de *Prædestinatione sanctorum*, *cap.* 17.) *iustificavit* & *vocavit* in tempore, & *prædestinavit* ante tempora secularia. Secundò, ex 10. *cap.* ejusdem Epistolæ, *servabitur* qui invocaverit nomen Domini, Domini autem *nomen* non *invocat*, qui non *credidit*, nec credere *potest*, qui non *audiverit*, nec *audit* quispiam sine *prædicante*, nec erit *prædicator*, nisi sit missus. Ergò quùm missi non sint ad *Ethnicos*, qui verbum *prædicent*; non *audiunt*, non *credunt*, non *invocant*, non *iustificantur*, non *vocantur*, non *prædestinantur*, & per consequens nunquam *glorificabuntur*. Vndè *Apostoli* auditis ijs, quæ præstitisset *Petrus* in *conversione Cornelij*, & aliorum, qui cum *illo* erant de *præputio*, tacuerunt vt habet *textus*, *Act.* 11. & *glorificaverunt Deum*, *dicentes*; Ergò & *gentibus* pœnitentiam dedit *Deus* ad vitam: quo manifestò *significaverunt*, non anteà *spem* vitæ illis affulsisse, nec *aliter* quàm per *talia media*. Consentiunt *Patres*, Græci, *Ireneus:* Ignorantes *eum* qui ex *Virgine est Emmanuel*, privantur *munere eius* qui est *vita æterna*, *lib.* 3. *cap.* 21. *Origines :* Sicut *credenti* omnia sunt *possibilia*, vt *salvetur*, & *refrigerium inveniat*,

Arg. 5m.

V. 13.

V. 18.

apud eum cui *credidit*; sic non credenti nihil est *possibile*, neq; vt *salvus fiat*, neq; ut *refrigerium inveniat*, neq; vt introeat, In 6tum *Iobi*, *Catholicam fidem* nisi quis *integram*, *inviolatamq́* servaverit, absq; dubio *in æternum peribit*, *Athanasius* in *symbolo*. Et quanquam *Iustinus Martyr*, *Clemens Alexandrinus*, *Chrysostomus*, & *Epiphanius*, videantur alicubi *Ethnicis* nimium *indulsisse* (ut superiùs *monui*) *aliàs* tamen loquuntur *cautiùs*: *Iustinus*, omnes *omnium gentium* homines, tam *servi* quàm *ingenui*, quicunque in *Christum credunt*; & nôrunt *vera* prophetarum *oracula*, sciunt se *veram* cum eo *hæreditatem* accepturos: *Dialogo* cum *Triphone*: Quid igitur fiet de μετὰ λόγου *tantum viventibus* quibus *salutem* aliàs videtur spondere? *Stant* vel *Cadunt* Domino suo. Sed *Dominus* iste, nisi sit *Christus*, in quem *credunt*, nil possunt sibiipsi de *cœlesti hæreditate* polliceri. Nec *Clementem Alexandrinum*, Ethnicis salutem indulsisse, absq; *aliqua* saltem de Christo *notitia*, & *in Christum* fide, vel hinc non obscurè potest colligi, quia 6° *Stromatum* apertè docet, *Christum* apud inferos Ethnicis *Evangelium* prędicâsse, ex loco *Petri* perperàm intellecto, 4° cap. 1a *Epistolæ*, ut quotquot *illic* credere & *pœnitentiam* agere vellent, *salvarentur*: quod vnà cum illo amplectuntur phasma, *Origines* contra *Celsum* lib. 2. *Hilarius* in Psalm. 118. *Damascenus* in Orationibus de fidelibus defunctis. Sed *Hæretica* est hæc sententia *Philastrio*, *Augustino*, *Gregorio*, *Isidoro Hispalensi*. Forsitan etiam *Gelasius* propter hujusmodi, *Clementem* detrudit ad *Apocryphorum* subsellia. Inde nihilominùs liquet, *Clementem* non existimâsse

Vid. Perkinsium Problemat. p. 136.
Vossium p 37

aliquem

aliquem *sine Christo* fuisse servatum, cùm *Christum*, vt *Philosophos* servaret, apud *inferos prædicantem* somniaverit. Addè quod πρώτην νεύσιν σωτηρίας Primam ad salutem *inclinationem* lib. 2°. stromatum, *fidem* esse statuit, Et gentes *Christum* non ignorâsse, sed per *Hydaspen* & *Sybillas*, de illo fuisse *institutas* contendit, quare haud aliter Philosophiam *Græcos iustificâsse*, intelligatur asseruisse, quam quod (vt lex) *præparat* aliquo modo et *manuducat*, ex *præviâ*, sed *occulta* gratię divinę dispositione, ad illam *fidem*, quæ *Christum* apprehendat, quâ justificentur: haud secùs ac *Grãmatica* viam sternit ad *Philosophiam*, vt *Clemens* seipsum explicat: licèt *Critici* nostri *recentiores*, eum aliorsùm rapiunt. *Chrysostomum* neglectiùs hâc ex parte *Rhetoricantem* excusare frustrà conatur *Sixtus Senensis* per istam *distinctionem* fidei *implicitæ* et *explicitæ*. Sed rectiùs *Villosillus*, hujusmodi ex aureo *illo ore*, per *Hyperbolen* profluxisse autumat, ut exemplo *Gentilium solertiæ*, Christianorum *socordiam* confunderet. Hoc confirmat illud, quod annunciat *alibi*, vbi *attentiùs* hâc de re agit, sermone de *fide* & *lege naturæ*, & concludit: Nullum *sine fide vllam* habuisse *salutem*. *Epiphanium* rectè liberat noster *Montacutius* à clarissimi *Casauboni* censurâ, non est igitùr cur *Philosophi* de Græcorum *patrocinio* glorientur. Suffragantur *Latini*, quibus *Augustinus* præfert facem, sit licet *Fabricius*, sit licet *Scipio*, sit licet *Regulus*, sit quicunq; ex *Platonis*, aut *Pythagoræ* severiori scholâ, concludit tamen, *quantum donat*, qui *nos vocârit pietatis libertate, clamabo*, Non est *in ijs vera iustitia*, quia *iustus ex fide vivit*. Adversùs Iulian. Pelag. l. 4.

Biblioth. lib. 6. Annot. 51. Advert. Tom. 4. q. 10.

Analect. Exercit. 12. s. 2.

c.3. Idem vrget de Civit. Dei lib. 18. cap. 47. de *correptione* & *gratia* cap. 7. de *Nuptijs* & *concupiscentia* lib. 2. Ad *Optatum* Epistola 157, & sparsim *alibi*, quem numerosa comitatur *familia*, quorum *testimonia* non capit hujus *horulæ* destinatæ angustia. Eadem *Hugo* de *S. Victore* in Dialogo *Discipuli* & *Magistri*. Et *Bernardus* in *Cantic.* Serm. 2. A *maioribus* accepta tradunt *posteris*.

14 Eisdem insistunt *vestigijs* celebriores *Scholastici*: *Magist.* in 3. *sentent. dist.* 25. *Halensis*, *Albertus Magnus*, *Marsilius*, *Richardus*, *Scotus*. In contrariam sententiam citantur à *Cassalio*, *Aquinas*, & *Durandus*, sed haud scio, quàm *rectè*. Certè *Ethnicos* arcet ab *Ecclesiæ* pomœrijs *Iohannes* de *Turrecremata* obsequentissimus *Aquinatis Acoluthus*, lib. 1. *Summa* de *Ecclesia cap.* 21. Nec occurrit *aliquid*, quod sciam, apud *Durandum*, quod illos in *integrum* restituat, *Tridentinos* patres in hâc causâ dilucidiùs constat *ex eodem*, miserè fluctuâsse, ideóq; non ausos fuisse aliquid *certò* determinare: quare non vitio vertant *Iesuita Zuinglio*, & *Erasmo*, si offenderint ad istum lapidem, quem *tot manus* non potuissent amovere. Vltimum nostrum *argumentum* nonnulla premit, quæ adversariorum comitantur indulgentiam. Nam si *Ethnici* qui *Christi Mediatoris* nomen ne *fando* quidem audiverint, *salutem* nihilominùs potuissent consequi, sequeretur 1°, aut tales esse *de Ecclesia*, qui *nullâ fide*, aut *cognitione*, vniuntur ipsius *capiti*, aut extra *Ecclesiam Catholicam* esse *salutem*, contra illud, *Dominus addebat quotidiè Ecclesiæ qui salvi fierent*. Actor. 2. Sequererur *deinceps*, Christum *gratis fuisse mortuum*,

Part. 4. q. 1. M. 5. art. 2. s. 3. In 3. sent. dist. 2.

Rosweid. Eudæmon Sanctæ 9. Arg. 6m.

um, aut *supervacaneam* esse verbi *prædicationem*, vt rectè vrget *Augustinus lib.4. contra Iulian. Pelag. c.3.* Tertio etiam quis inferat (observante *Bradwardino lib.3. de causa Dei*, & *cap.47.*) *Ethnicos istos*, breviùs multò, & *leviùs* ex *fide* falsâ, quàm nos ex *vera*, ad salutem potuisse pervenire, quod nullus, ut spero (inquit) *concedere* præsumet, nisi fortè *Pseudo-Christianus*, & *discipulus Pseudo-Christi*, *veri* scilicet *Anti-Christi*: quandoquidem *Revelationem* Religionis Christianæ, *explicitè* vel *expressè*, *debitam*, & *necessariam esse* ad salutem concluserit anteà lib.1. *corol. parte* 32. Quartò hinc deducerent *alij*, scripturas non esse *legendas*, *conciones* & *disputationes* de *Trinitate*, de *Incarnatione*, de *Fide*, de *Ecclesia* & cæteris *articulis* insuper esse *habendas*; quia semper illud recurreret, *Philosophicum*: Frustra fit per *plura quod potest fieri per pauciora*. Quare cùm *corrupta* hominis *natura* post *lapsum*, nullo modo possit se ad *salutem* erigere, cum *opera infidelium*, vel præstantissima, nil sint (Deo judice) præter *splendida peccata*, vel saltem ratione *circumstantiarum*, peccatis *involuta*. Nec *possibile* sit Deo placere absque *fide*, nec fides *ista* sit *salutaris*, nisi *Iesum Christum* agnoscat & apprehendat, vt destinatum obiectum: Nam hæc est *vita æterna* vt *cognoscant te* verum Deum solum, & *quem misisti Iesum Christum. Iohan.17.3.* Cùm illud postulet *immutabilis* dispositionis *divinæ ratio*, vt quicunq; ad *salutem* sint *prædestinati*, priùs *vocentur* per *verbum*, & per *fidem* in Christum justificentur, Atque hæc *receptissima* semper fuerit, & *Patrum* et *Scholasticorum* doctrina, quam *Iesuitæ* tandem cum *nostris*, studiosiùs pro-

propugnant, nec ferenda sint absurda quæ dissonam gravant sententiam: *Concludamus fidentiùs*: *Ethnicos* omni prorsùs *destitutos* Christi *cognitione*, ex *natura* aut rationis *lumine*, nec *salutem* hodiè posse, *nec* vnquam potuisse consequi, ὅπερ ἔδει δεῖξαι, quod erat demonstrandum.

Ob.1ª. 15 *Restant Adversariorum* argumenta breviter diluenda, 1ᵐ est *ex cap.*1° ad *Roman. vers.*21°. *Gentes* cùm *cognovissent Deum, tamen non sicut Deum glorificaverunt*, collato cum versu 14. cap. 2. *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt: vnde argumentum*: *Qui* Deum *non tantùm cognoscunt*, sed *etiam naturaliter ea quæ legis* sunt *faciunt*, isti ex *naturæ* ductu *ad salutem* possunt pervenire: Sed tales fuerunt *gentes*, quæ *legem Mosaicam* non habebant: Ergò absque *Christi* cognitione *salutem* potuerunt consequi. Respondet *Gregorius* de *Valentia*: *Apostolum* 1° loco non dicere, hanc *cognitionem* solam perducere ad *salutem* absque fide *supernaturali*, sed insinuare Deum suppeditaturum lumen fidei, naturali hâc ratione rectè vtentibus: In *loco* verò *secundo*, *naturaliter* non excludere *gratiam*, sed tantùm *legem Iudæorum scriptam*, vt sit sensus: *Naturaliter faciunt* ea quæ *legis sunt*, hoc est per *naturam*, aliquali *gratia* præventâ, absque ductu *legis Mosaicæ*, et non *omnia* legis *præcepta* (vt vult *Cajetanus*) sed *præcipua*. Cæterùm satis *lubrica* est hæc responsio, nec *Apostoli* scopum attingit, qui vt probet tam *gentes* quàm *Iudæos*, esse suâ *conscientiâ* violatæ legis, has *naturæ*, illos *Mosaicæ*, reos: assumit de *gentibus* illas quidem *Deum* ex libro *naturæ* seu *creaturæ* cognovisse, et quædam *quæ*

Sol. Greg. de Valent.

Refutatio.

sunt

sunt legis ex rationis *dictamine* præstitisse: Non tamen *tot* vel tam *constanter* vel tali *modo*, quin accusaret *conscientia*, ipsos *pluxima* neglexisse, nec *pauciora* perperàm egisse juxta illud apud *Poetam*,

——Video meliora proboq́,
Deteriora sequor——

Quare cùm non permitteret concupiscentiæ *tyrannis*, vt ea perficerent, quæ *peragenda* dictavit *residuum* illud (quodcunq; *scintillavit* post lapsum) *rationis lumen*, tàm *Iudæi*, quàm *Gentes* receperunt se ad *illud* quod Deus destinavit *remedium*, et ad *salutem* vnicum *medium*, nempè *fidem* in *Christum*, quâ solâ justificarentur. Secundum *Argumentum* deducitur ex 11. ad *Hebræos* vers. 6. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & inquirentibus se remunerator*: At tantum possunt *Ethnici* per cognitionem *naturalem*. Non est igitur *necessaria* alia *cognitio* necessitate saltem *medij*. *Obiect. 2.*

Respondet *Valentianus* ex *Cano*, *Apostolum* non hic agere de *naturali* tantùm *cognitione*, sed *supernaturali* saltem in *genere*. *Sol.* At dilucidiùs nostri *distinguunt*: primò de *cognitione Dei*, quæ *duplex* esse potest: *Philosophica*, quâ intelligitur tantum *quod sit omnipotens* δημιουργὸς et *rerum omnium conservator*; vel *Theologica*, juxta *quam* ex *lege* et *Evangelio* discimus, quod non sit tantùm *Pater*, *Filius*, et *Spiritus Sanctus*, sed etiam post lapsum *Restaurator*. Ostendunt deinceps *secundò*, quod et *Remunerator* dici potest *quærentibus* se *duobus modis*; *legaliter*, aut *Evangelice*; quibus positis, accedentem ad *Deum* oportet *credere*, non *solùm* quod sit *creator*, sed *post lapsum Redemptor*, nec quod sit *Remunerator* tantum *quærenti-*

bus legaliter, hoc enim *frustra esset*, non ob *legis imperfectionem*, sed *nostram*; sed *Evangelicè*, per fidem in *Mediatorem*, qui suo λύτρῳ satisfecit *Judici*, & *gratis* justificat impium.

Obiect. 3. 16 Tertium *argumentum* sic proponitur à *Gregorio de Valentia*: Quocunque temporis *momento* potest quis *consequi salutem*, ut patet, Ezech. 18. & aliàs, sed non potest quis erudiri quovis *momento* de fide *supernaturali*, vt moriens apud *Barbaros*, vbi intervenire non *potest* aliqua de *Christo* institutio: Ergò ista *fides de Christo*, non est necessaria necessitate *Medij*.

Sol. Respondet autem juxta doctrinam *Dionysii Areopagitæ*, cœlestis *Hierarchiæ* cap. 9. *Deum* tali casu vel *per se*, vel per *Angelum*, aut *hominem*, periclitantem illuminaturum, ut ita *salvus* fiat per *fidem*, non *miraculo* tamen *aliquo*, sed *quodam consequenti ad legem ordinariam* ipsius Dei, quâ statuit nullum *adultum* in gratiam recipere sine *fide supernaturali*; sed hoc est *Dei sapientiæ* leges præscribere, non *revelatis* in verbo acquiescere. *Tyrij* & *Sidonij* pereunt, *occulto*, sed tamen *justo* Dei *judicio*, qui tamen conversi *fuissent* in *sacco* & *cinere*, si verba Christi & *miracula* ad ipsos pervenissent, Mat. 11. Loquitur autem *Ezechiel* de *membris Ecclesiæ*, quibus prosunt quovis *momento* salutis *media*; non *alienis*, qui *tali* destituuntur *privilegio*. Nostrum verò est *solicitè* inquirere, non quid *Deus potest*, aut *solet*, extraordinariò, sed quid *pollicitus* sit *in verbo* se facturum, vt indè *sapiamus*, & *pronunciemus*.

Vid. Vasq. illum Advers. ad Tom. 4. Chrysost. q. 10.

Obiect. 4. Quartò insurgunt *Remonstrantes*. Gentes non amiserunt in *Adamo*, quod *Ada-*

mus

mus nunquam habuit: Sed *Adamus* ante *lapsum* non habuit *vires credendi in Christum*, quia si non peccasset, nec opus ei fuit Mediatore, ergò *Gentes* in ipso credendi *potentiam* non amiserunt. Ergò *possunt ex viribus naturæ* credere: Ergò etiam salvari. *Respondeo*, an *Adamus* in statu primo *fidem* habuerit, discutio præcisè sub *istis terminis Halensis*, part. 2. q. 9. memb. 3. S. 1. & *affirmat* eum habuisse, & quantum *ad id* quod in fide est *formale*, scilicet, adhærentiam *primæ* veritati, & quantum *ad id*, quod est in ea *materiale*, nempe *cognitionem*, non eam quæ est per *speciem*, & est *patriæ*, sed *eam* quæ est per *speculum*; non in *ænigmate*, qualis est *nostra*, sed in *lumine* istius *status* qui erat multò clarior. At punctiùs occurrit *Molinæus*, vtcunque *Adam* ante *lapsum* non tenebatur credere in *Christum*, quia non fuit ei *annunciatus*, nec tunc erat *opus*, habuit tamen *potentiam credendi*, si cujusvis interventu *occasionis*, ei annunciaretur. Nunquid autem qui ex *vidente* cæcus est *factus*, facultatem non amisit *videndi domum*, quæ aliquot annos post *cæcitatem* illius est *ædificata*? vel negemus *illum* qui sua culpâ *captus* est *oculis*, privâsse seipsum *facultate videndi collyria*, quibus postea sanaretur? Habuit proculdubiò *Adam* ante lapsum, potestatem *succurrendi ægris* & *miseris*, vtcunque nec erat, nec *esse potuit* in istâ conditione *miseria*, & quare non idem statuemus de *credendi facultate*? quæ si post *lapsum* de novo *egerminaverit*, & non ex *primâ insitione*, lucrata est aliquid natura contaminata per lap-

sum, quod *illæsa* non habuerit: & credere potuit *Cain* in *sordibus*, quod non potuit *parens* in innocentiâ. Rectiùs dixeris *Angelos* & *Sanctos* jam in *cælis* habere fidem in *Deum*, scilicet *dependentia*, quâ per *Deum* perpetuò conserventur; vt nos habemus *Restitutionis*, quâ ad *amissam integritatem* per *Christum* & in *Christo* restituamur. Vltimò instant in *Cornelio*, cujus antequam de *Christo* audivisset, *Orationes* & *Eleemosyna* ascendissent in *memoriam*, in *conspectu Dei*, Act. 10. de quo posteà Ibid. ver. 34. & 35. testatur Petrus, In *veritate comperi*, quod *non est personarum acceptor Deus*, sed in *omni gente*, qui *timet Deum*, & qui operatur *iustitiam*, *gratus est illi*. Ergò *aliquis potest esse Deo acceptus*, sine *Christi* cognitione, & per consequens *salutem* consequi. Respondet *Oecumenius* ex *Chrysostomo*, opera ista *Cornelij* fuisse bona, sed *mortua*, eo quod *fidem* nondum habuerat: sed rectiùs hunc *nodum* solvit *Lombardus*, 3. sent. dist. 25. *Cornelium* ante operum *acceptationem*, habuisse *fidem* in *Messiam* venturum, de quo didicisset proculdubiò *plurimùm* à *Iudæis*, inter quos tunc temporis *versabatur*, licet illum tùm *venisse*, & salutis mysterium *peregisse*, adhuc non intellexisset. Huc spectant, quæ tradidisset anteà *Augustinus* de *prædest. sanct.* cap. 7. *Concilium Arausicanum* can. vlt. *Gregorius* in *Ezech.* Homil. 19. & posteà *Aq.* 2. 2a. q. 10. Art. 4. dirigitur ergò ab *Angelo* ad *Petrum*, qui plenius *ipsum* institueret. Quare non accensendus erat *Ethnicis*, cùm *opera* sic erant *accepta*, sed *patribus*, qui *salutem* à *Redemptore* nondum

Obiect. 5.

Sol.

pate-

patefacto, vt interpretatur *Calvinus*, expectarent. Ergò ab adventu *Petri*, non accepit *fidei initium*, sed *augmentum*, & (vt ita dicam) *coronidem*, quam & ipse ne *vlteriori* fim vobis *tadio*, huic *controversiæ* impono & concludo, vt alicubi *Aquinas*; *Ita actum est de Gentilibus.* *Deo Patri, Filio, & Spiritui Sancto, sit omnis honor, laus, & gloria in secula seculorum.*

Amen.

LECTIO IX.

IN VESPERIIS COMITIORVM habita Oxon. Iulij 8. Ann. Dom. 1624.

De Visibilitate Ecclesiæ.

ROM. 9. 11, 12.

11 *Cùm enim nondùm nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali; ut secundùm electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante,*
12 *Dictum est ei, Quia maior seruiet minori.*

1 Eleberrimam hanc *Prophetiam Rebeccæ* primo proposítam, & repetitam hic ab *Apostolo*, cum Prophetæ *commentario*, superioribus *Comitijs* (*P.* & *F.*) sic exposui, vt *servitus* non designaret ad literam *subiectionem* inferiorum *corporalem*, sed mysticè *Reiectorum* sortem *spiritualem*: quo sensu servit *Agar* cum *Filijs suis*, ad

Gen. 25.
Malach. 1.

ad Gal.4. & *liberi verè sunt ij quos in libertatem Filius vindicavit*, Ioh.8. Cùm verò *servus* non maneat in *Domo*, sed *Filius*, nec; extra *Domum*, hoc est *Ecclesiæ Cathalicæ septa*, de *salute* cujuspiam æterna polliceri potest aliquid *Ecclesia*, consequens indè fuit, omnes illos sive *Iudæos*, sive *gentes*, qui *ovile* Christi aut non *intrâssent*, aut *reliquissent*, à servitute peccati in *æterni supplicij* carcerem ferri præcipites, quia *qui non credit in nomen vnigeniti Filij Dei, iam iudicatus est*, Io.3. Nec *Deum* habet Patrem qui *Ecclesiam* non Matrem agnoscit: vt identidem inculcant *Antiqui*. Et quanquam non temerè *credit* aut *docet* Christianus, quòd à *Christo* in Scripturis non *legerit*, aut *didicerit*, non insultat interim *miseris*, sed *sibi ipsi* potiùs gratulatur, quod non proprio conatu, sed solâ *liberantis* benignitate, eandem evasit *servitutem*, sub qua *æternùm* gemuissет, nisi *Christum* didicissет. *Christum* autem *didicit* per τύπον διδαχῆς, *formam istam doctrinæ*, in quam traditi *omnes fuerunt fideles*, in primæva *Apostolorum* institutione, Rom. 6. At postquam *Sacer Apostolorum chorus* (verba sunt *Eusebij*) *varium* vitæ *exitum*, & *diversa* mortis *genera* pertulerat, *falsa* et *veteratoria* impij erroris *conspiratio* cepit *exordium*, emersit *Servus servorum*, qui vt alter *Pharao* κατασοφισάμενος τὸ γένος ἡμῶν, afflixit *patres nostros*, et circumvenit *Ecclesiam*, ne infantes ipsius suboleſcerent. Notum autem est, quibus artibus in Dominum Dominantium tandem intumuit. Sicut antea sub *Arianismo* (teste *Hieronymo*) ita postea sub *papismo* ingemuit *totus mundus*, sed diutiùs multò sub *graviori iugo*, & miratus est, se redigi in

Rom.6.17.
Lib.3.Hist.Eccl. c.26. & lib.4. c.21.
Act.7.

servi-

servitutem Bestiæ. Restiterunt interea *quovis seculo* cordatiores *Principes*, & *populi*, vsq; ad *exterminium* & *sanguinem*, sed nondum completa erat *Babylonis iniquitas*, aut laborantis *Ecclesiæ* destinata expiatio. *Recentiori* verò patrum nostrorum *seculo*, vnà cum *Luthero* Primipilo, tot prosilierunt *Protestantes* adversus *Romæ* corruptelas, vt *præscriptiones*, *vivicombria*, aut *occultiora* Satanæ *stratagemata* experrectis & irritatis non potuerunt imponere: *ratio* saltem in aliquibus esset *reddenda*, ne omnes deficerent. Cogitur *Concilium Tridentinum*, arriguntur omnium *aures*, intenduntur *oculi* ad expectatam reformationem. Tergiversante interim *Pontifice*, vt *vrsus* palo *alligandus*, & moras nectente suo more, *Imperatorum*, *Principum*, & *Christiani orbis* importunis clamoribus, convenerunt tandem Patres, deliberatum est per *annos* circiter *octodecem*, promittitur quod satisfaceret, sed quid præstitum? *Superstitiones* & *gravamina* (quibus sublatis coaluissent partes dissentientes) quasi in odium obortæ lucis, præfractiùs sanciuntur, sub *Anathematis* fulmine; *fœnum* & *Scholæ* stipulę transeunt *in fundamenta*, rixæ in *ritus*, problemata in *fidei articulos*. Quæ cùm ferenda non duxerunt *Pij*, sed quibus potuerunt *modis* & *modestia* sese opposuerunt, arcentur ex Ecclesiæ *finibus*, orco devoventur, *Mahumetanis* & *Paganis* tristiori onerantur condemnatione. Ita sauciata præter solitum furit *Bestia*, forsitan quia præsentiscit cum *Dracone* instare *Tyrannidis* periodum. Ferali autem huic censuræ, duplici plerunq; *fuco* fidem facere conantur. *Traditionis*, & *Ecclesiæ*. *Traditio* obtruditur *peritioribus*, vt

Βλάσφημα ὀνόματα Apoc. 13. 14.

Apoc. 2.

Scripturæ, anteà *complementum*, nunc etiam vt *interpres*. Ecclesia inservit vt *caput Gorgonis*, quo in *Gynæceis* triumphant & *infirmiores*, in servitutem abripiant. Animadvertunt siquidem vel mentionem ipsius *Ecclesiæ* terrorem, aut reverentiam omnibus fere incutere; in hac tamen ita triticum esse immistum *paleæ*, vt difficillimum sit secernere. Sentiunt vlteriùs, nomen ipsum esse πολύσημον eoq; nomine subterfugijs & *strophis* maximè accommodum. Artificium autem hoc est *Iesuitis* palmarium, *apertissimos* contextus distinguendo *perplexos* reddere, *ambiguos* verò non omninò *distinguere*: experti demùm perceperunt, *externam* Ecclesiæ *pompam*, & *speciosos titulos* apud *instabiles* plus *lucrari*, quàm non *lectam*, vel saltem non *intellectam* Scripturæ πολυσημίαν. Hinc *Ecclesiam* ad ravim vsque crepant *Catholicam*, quum *admissam*, statim restringunt ad *Romæ Synagogam*, fuco quidem *veteratorio*, sed *conspicuo* satis, & *ridiculo*, vt ex *ficta Ecclesia*, formetur *doctrina*, et non ex *veritate doctrinæ* reformetur et *firmetur* Ecclesia: Ita *templum Domini* clamant isti *Iudæi*, qui præ cæteris *illud* sacrilegè polluissent: *faciunt* et *vespæ favos*, et *simiæ imitantur homines* vt appositè in eadem causa loquitur *Cyprianus*. Nullus hæreticorum *cætus* tam *effrons* prodijt, qui *Ecclesiæ* non magnificè circumtonet *vexillum* sicut passim ostendunt *Patres*, fatentibus *Pighio* et *Noguera*: quin et *Turcæ* hodiè *Muselmannos* hoc est rectè *credentes* se esse *iactitant*, vt *Papistæ Catholicos*. Rem tamen hanc toties *coctam* & *recoctam*, tam à priscis *hæreticis*, quàm à suis *recentioribus*, *Hardingo*, *Stapletono*, *Bristoo*, *Sandero*, *Campiano*,

Ep. ad Iubaianum.

In Principio hierarchiæ Ecclesiasticæ.

De Eccl. Christ. ab hæret. conful. agnoscend.

no, Dureo, Figlio, Noguera: Toties verò à nostris *contusam & conculcatam, Iuello, Nowello, Whitakero, Fulcone,* et vbivis alijs; tanquam *Mandragoram* in *agro* ab ipsis nuper tandem *inventam,* et nostris nunquam antehac *conspectam,* reponere non erubescunt *Iesuitæ,* et ipsorum *Simiæ,* nescio an prę frictiori illorum impudentia, quàm *nostrorum* nausea. Qui enim post *Magdeburgenses, Illyricum, Foxium, Morneum,* & reliquos eiusdem studij, *Catalogos* postulant *Protestantium,* & *professorum* nomina, qui in *Hussitarum, Wicleviſtarum,* & *Waldensium* ex propriis ipsorum *officinis,* prodeuntibus *historijs,* obseruare nolunt aut non possunt aliquid, quod consensum inter *nos* & *illos* arguat, vel in veritate *astruenda* vel ad *explodendum papismum,* ablegandi potiùs videntur ad *Anticyras,* quam in celebriori hoc consessu seriò refutandi. Cæterùm cùm non omnibus vacet *tot percurrere,* nec singulis ad *manum sint* quæ *percurrant,* nec cuiusq; sit, adeò *dissipata* in rem suam disponere, qui suspicatur *interim* ex clamoso & condicto aduersariorum *celeusmate,* anchoram *Tridentinorum* in hoc præcipuè gurgite latere: Non *ingratum* fortasse erit vobis (P. & F.) præsertim ijs qui ex *desistis Ecclesiæ oris* hoc tempore confluxistis, per compendium illud de *Ecclesia* audire, quod & ad *explicationa* præparet, & *Matris* hujus, sive *Academiæ,* sive *Ecclesiæ,* deleat opprobrium: Quæstio itaq; non sit alia quàm quæ passim *obtinet* hoc tempore. *An Ecclesia Protestantium à Papali distincta, ante Lutheri Reformationem quouis seculo orbi Christiano fuerit conspicua?*

2 Thema *Nostris* accommodatius, quàm disputan-

tium *scholis*, et *historicè* potiùs declarandum, quàm *syllogisticè* discutiendum: in quo ne *indistincta* terminorũ *ambiguitas* tergiversantibus præbeat latibulum, aut *discendi cupidis* scandalum, observandum est in limine, ex parte *subiecti*, 1° quo sensu inter tot *significata* occurrat hîc *Ecclesia*: 2° quid sibi vult *Protestantium titulus*. 3° quo *charactere* secernantur à *Papali*. Concipi siquidem potest *Ecclesia* tam *perfecta*, vt non sit cur fiat *protestatio*, potest è contra adeò esse *infecta*, vt vix sit *qui protestetur*. Refert autem hic *Rebecca vterum*, in quo *colliduntur* parvuli. Ergò non *generatim* in quæstione *subijcitur*, pro vt *triumphantes* in *cælo* etiam complectatur, sed *speciatim* restringitur *membris* in terra *militantibus*: quæ *sparsim* exhibent *Ecclesiam* communitèr dictam, *collectim* in *Concilijs* Oecumenicis *Representativam*. Vtroque sensu ratione *periodorum*, *Iudaica* potest dici, vel *Christiana*. Christiana rursus *primitiva*, vel *successiva*. Istæ vlteriùs pro ratione *morum*, *puræ* habeantur, vel *impuræ*; respectu *cultus*, *sanæ* aut *Idololatricæ*; intuitu *doctrinæ*, *Orthodoxæ*, aut *hæreticæ*; ratione *mutuæ* communionis *Catholicæ*, aut *schismaticæ*, sic vt quà *Ecclesia*, infideles, quà *Christiana*, Iudæos, quà *Orthodoxa*, Hæreticos, quà *Catholica*, schismaticos, è castris suis eliminat. In quibus insuper qui *versãtur*, et *externâ* communicant *professione*, non *interno* semper vniuntur vinculo. *Oves* & *Hædi* inveniuntur in *eâdem caulâ*, in eâdem *domo* vasa *honoris* & *contumeliæ*, et obruitur aliquoties *triticum*, zizaniorum cumulo. Regula est hæc *Ticonij* de *permixtâ* Ecclesiâ apud *Augustinum* de Doct. Christ. l. 3. cap. 32.

Gen. 25. 22.

Vnde

Vnde quæ *Ecclesiæ* competunt, ratione *huius* vel *illius* partis, toti *indiscriminatim* attribuuntur: Ita *fusca* dicitur *tota* propter *aliquas* maculas, tota etiam *speciosa* propter *paucorum* integritatem: Vtrumque dicitur (inquit *Augustin.*) propter *temporalem vnitatem* intra vna *retia piscium bonorum* et *malorum*, vbi fatetur etiam *Waldensis vocabula laudis*, quæ de totâ leguntur Ecclesia, de *parte* eius *gloriosâ* solummodò *debere* intelligi. Accedit & hoc, quod per *cives mala civitatis*, administrantur quidam *bona civitatis* actus (teste August. in Psal. 61) sicut per reprobos colligantur *probi*: vt alibi dicit Epistola 3. ad *Volusianum*. Nec *elogia* in scripturis obvia ostendunt semper *qualis sit*, sed qualis *debeat* esse Ecclesia, cuius *vnitas*, *sanctitas*, *veritas*, & *successio* (vt *lunare corpus*) non semper fulgent *pleno orbe*, sed *contrahuntur* frequentiùs, et *deliquium* patiuntur: præsertim cùm *Mosis Cathedram* teneant *Scribæ* et *Pharisæi*, *sanctuarium* & *sanctum sanctorum*, *abominationis desolatio*: Hoc est (vt rotundè ex *Augustino* pronunciat *Cassander*) cùm *spiritualia* et *divina* gerunt quorum *pectora Antichristi spiritus* obsedit. Ista præmittantur de *Ecclesia*.

Tom. 1. q. 2. art. 2. c. 11.

Cassand. consult. pag. 929.

3 Terminus secundus est *Protestantium*, qui vel respiciunt *fidem* semel sanctis *traditam*, in *communem salutem*, pro qua parati sunt ἀγωνίζεσθαι, decertare, siue vt reddit *vulgaris supercertare*, iuxta illud *Iudæ* 3. vel quod *putridum* est, et alunde *invectum*; atq; adversus *hoc solummodò protestantur*. Nomen vtcunque ante *annos* plus minus 95. per contemptum ab *Aduersarijs*, ob *protestationem Spiræ* erat

2 *Protestantii.*

impositum; *Novum* tamen non est, nec *denominationis* ratio. Quando post mortem *Iehoiadæ*, *Ierusalem* servivit *lucis* & *sculptilibus*; Mittebat *Deus Prophetas*, vt *reverterentur* ad *Dominum*, quos *protestantes*, (vt reddit *vulgaris*, & *Anglicè* retinent *Duacenses*) *Illi*, (hoc est *Idolalatræ*) *audire nolebant* 2 *Chronic.* 24.19. Vnde liquet *corruptæ* alicuius *Ecclesiæ* membra *Saniora*, *protestantium* tum demùm *nomen* sortiri, cùm *corruptelæ* non ferendæ obtruduntur, quas *aversantur*, & *oppugnant*, ne *fermentum* hujusmodi *exoticum* totam massam inficiat. Ergò per *accidens* tantùm, tales *protestantes* semper manserunt ratione *Fundamenti*: Sub tyrannide autem *Pontificia* prudenter *oculatiores* disterminârunt *Romanam Ecclesiam*, et *Curiam*, *seductores* et *seductos*, *separationem* & *distinctionem*, neque enim quæ satis sunt *distincta*, statim sunt *separata*, nec eadem *Seductorum*, & *Seducentium* est *perversitas*, quique *detestabantur Papalem Curiam*, communicare nihilominùs potuerunt cum *Romana Ecclesia*. Ista *subiectio quæstionis*, & ejus *annexis* lucem adferunt. De *Prædicato* observandum est 2°. *visibilem* posse dici *Ecclesiam* (non *vniversalem*, sed *particularem*, non ratione *vnionis* cū capite CHRISTO, sed *Communionis* sensibilis *membrorum* inter se) *duplici respectu*, vel in *aperta* distractorum *professione*, qui de *veritate* inter seipsos consentiunt, quàm vel *agendo*, vel *patiendo*, pro virili *seorsim* propugnant, vtcunque interveniunt *Adversarij* & impediunt, ne in *mutuum solamen* conveniant in *libero* religionis *exercitio*; Vel *visibilis* quæritur talis *cœtus*, qui subtrahens se à *Papali iugo*,

Quomodo distinguitur à Papal.

Prædicatum.

go, sub *legitimis pastoribus* publicam continuavit istius *doctrinæ* prædicationem, in *statis* et conspicuis conventibus, quales *Protestantes* hodiè *amplectuntur & celebrant.*

4 *Quibus* positis *convenit* 1°. *Vnicam* tantùm esse *Catholicam Ecclesiam* vnitate *Capitis, Doctrinæ,* & *Successionis*, licet ratione *loci* & *temporis*, quibus *existit* & *disseminatur*, tot designari possunt *Ecclesiæ* quot vbivis occurrunt *cœtus fidelium particulares.* Hallucinari igitur videtur *Bellarminus*, datâ operâ, dum somniat, nos *duas distinctas* erigere *Ecclesias*, quia distinguunt quidâ è *nostris*, inter Ecclesiam *visibilem* & *invisibilem*, Animadvertere siquidem potuit, *distinctionem* istam non *generis* fuisse in *Species*, vel *integri* in sua *membra*, quæ *res multiplicet*, sed tantùm quoad *diversos modos*, & *status.* Nunquid solves *Iesum*, quià diversa est *divinitatis*, & *humanitatis*, *exinanitionis*, & *exaltationis* conditio? Aliud etiam est, *videre* ipsam quæ est *Ecclesia* (vt fatetur *Smithus* ad cuius *inendem* recentiores exacuunt *vomeres*) aliud videre, *quod sit vera Ecclesia*: personæ publicè *professentes* incurrunt in *oculos*, synceritas autem *professionis* illi tantum patet, qui scrutatur corda. Convenit 2°. *Ecclesiam* hanc *Catholicam*, nunquam inter *summas* angustias *penitùs defecisse*, sed depulsam vnâ *statione*, in *alia* continuò emersisse. Convenit 3°. *eandem* in se non esse *obiectum sensuum*, sed prout innotescit in *cœtibus particularibus*, qui *loco, tempore*, et *regimine in se, inter se*, à *seipsis deformatis, reformatis*, à *cæteris*, tàm *diversis*, quàm *adversis*, frequentèr discrepant. 4°. Inter *eiusdem* fidei *profes-*

Lib. 3. de Eccl. c. 11. *Meisner. Tom. 2. pag. 798.* *1. Sam. 14.*

sores

fores in confesso est *utrinq;* quosdam *syncerius*, alios *inquinatius*, verbum et Sacramenta suis proponere; quod ad oculum patet, cùm inter *Ecclesias* particulares, *inter* se collatas, tum ex *membris* inter se *dissentientibus*, eiusdem *Ecclesiæ*. Nec negari potest *postremò*, præsertim postquam ad summum excrevisset fastigium *fastus Papalis*, prosilijsse quosdam *quovis seculo*, qui non *moribus* tantùm *Papicolarum*, sed *doctrinæ* etiam, sese *opposuerunt*, *bellumq;* indixerunt, vt patet ex inquisitionũ *lanienis*, & confarcinatis ab *ipsis Monachis* Hæreticorum *Catalogis*. Vnde *quæstio* reducitur ad hosce terminos: *Vtrum Ecclesia*] hoc est *cœtus aliquis aliquorum*, vel *Christum profitentium* cum *Romanis*, antequam invaluisset *Antichristus*, vel pro *Christo* postea *protestantium*] adversus *corruptelas*, postquam *cœperunt* esse intolerabiles, A *Papali*] *curia*, *factione*, *pestilentia cathedra*, quæ (vt *Asinus* olim *Leonis*) induisset ad terrorem *pellem Ecclesiæ*: *Distincta*] non *loco*, *tempore*, aut ijs *articulis*, quos *Roma* à primæva derivâsset *Antiquitate*, sed *protestatione*, & *detestatione* eorum, quæ invexisset postea *superstitio* in synceræ Religionis opprobrium. *Ante Reformationem Lutheri*] hoc est ante *annos* circiter *centum* & *septem*, quando *Lutherus* primò cum *cæteris* sese opposuit *Papalibus indulgentijs*: *Quovis seculo*] sive *ascendendo*, vsque ad *Christum*, sive inde *descendendo*: *Orbi Christiano*] non *aliud* agenti, aut *claudenti* oculos, sed *observanti*, & *inquirenti*; *Fuerit Visibilis*] in *luce*, vel sub *cruce*, *agendo* vel *patiendo*, Hoc est an *superius* solummodò *seculum*, Tyrannidi, & *superstitioni Papali*, notoriè tantum se opposuerit:

sæcrit: Deducimus *nos* Ecclesiæ nostræ *prosapiam*, ab *Heroicis*, *Christi*, et *Apostolorum* temporibus, reclamant importuni *Romanæ Synagogæ* proxinetæ: Argumenta nostra *præcipua* ad hæc rediguntur capita.

5 Pendentẽ summa capreã de rupe videbis, *Benedictio.*
Casuram speres? decipit illa canes. *Martial. 18*

Superioris anni fatalem (*vt ita dicam*) *ex absentia* Solis nostri *sterilitatem*, *compensavit* jam tandem, *vt videtis*, *idq;* (*vt mihi persuadeo*) *gestientibus oculis* (P. & F.) *hujus* messis Theologicæ *exoptatus proventus*: *decepit circumlatrantes* Capitolij Romani *canes*, *de* rupe *pendens* nostra caprea: *Academia quæ videbatur* effœta, *ecce quot* vnico partu *masculos est enixa:* Dominus dedit verbum, & magnus *Psal. 68.* exercitus annunciantium, *adeò vt exultet emerita*, *cum Sanctâ* Elizabethâ *in Evangelio*: Nempe ita mihi fecit Dominus in diebus *Luc. 1.* quibus respexit auferre opprobrium meum inter homines, *& sine scandalo applicetur* Angelica salutatio: Ave Mater Academia gratiâ plena, Dominus tecum, Benedicta tu hodiè inter puerperas, & benedictus fructus ventris tui. *Sanè cùm* benefacere *sit extra* aleam *conatus nostri*, Benedictio *occurrit*, *vt* af-

fectûs *index, nec sine* effectu *transit, nisi* minùs *habeatur.* Benedictiones *siquidem de* cœlo descendunt, *vt rectè in* Levitici 8um *notat* Isychius, *è Tabernaculo tanquam* cœlo intelligibili, *egrediuntur* Moses *&* Aaron, *cùm* benedictio *esset populo impertienda. Cœlum respi-*
Matth. 14. *cit* Servator, *cùm* benedicit *panibus: Vt ergò non contemnenda est, hæc* solennis *benedicendi* consuetudo: *Ita non à* ministrantis *vilitate, sed ab* instituentis *benignitate expectandus est*
1 Sam. 12. *eius salutaris effectus. Absit (* Israelitis *inquit* Samuel*)* vt ego cessem pro vobis orare, *&* *procul exulet ab hoc* charitatis fano, *profana ista* morositas, *quæ petentibus* benedictionem *talibus negaret* filiis, *quinimò in vobis* repræsentatam *agnosco (si lateret aliàs)* visibilem, *de quâ agitur,* Protestantium Ecclesiam: *videor siquidem videre mihi inter hos* Theologos, *nescio quot* Episcopos, *è duobus* Iurisconsultis *vnum saltem* Regni Senatorem. *Inter* Philosophos; *Theologos, Medicos, Iurisconsultos, si effectum optatum sortiatur mea hæc qualiscunque* Benedictio: *sed quia omne* datum optimum,
Iacob. 1. *&* *omne* donum perfectum, de sursum est descendens à Patre luminum, *hîc mihi (vt*

in Sacris) exclamandum, *& identidem* inculcandum, Sursum corda. *Frustra enim* Paulus plantat, *et* Apollos rigat, *nisi* Pater ille luminum incrementum *largiatur*: Cathedram in cœlo habet, *qui* corda docet, (*vt opportunè monet alicubi* S. *Augustinus*) *nisi ille in* cordibus, *quod* superfluum *est, amputet, quod* distortum, *corrigat, quod* languet, *erigat*; *quod* erectum *est, dirigat, & stabiliat, &* Actionis hujus solennitas, *&* Doctorum *&* Magistrorum tituli, *&* Cathedræ *hujus* privilegium, in Formas & fumos *abeunt, quæ quo* altiùs ascendunt, (*vt notanter loquitur* Gregorius) *eò fortiùs dissipantur.* 1 Cor. 3.

6 *Animadvertitis igitur* (Dilecti Filij) *quanti* Papales benedictiones *sint habendæ, quæ præter* pompam quandam Theatricam, *&* affectatam *ad imponendum solennitatem, nihil omninò exhibent. Cùm* benedicit Episcopus, *ex præscripto* Ceremonialis Clementis Octavi, *baculum capit* pastorale *à* ministro *de eo serviente porrectum, Dextrâ autem* benedictionem *dat, primò signans* versùs latus *suum* sinistrum, *videlicèt in* verbo Patris] baculo *forsan &* crucis signo *Personas* Trinitatis *cogunt in ordinem.*

dinem. Sed *quid expectabimus* de filio? *Illud quod sine talibus* Magistris *in mentem* venisset pauciſſimis: *Sequitur igitur : Deindè*, cùm dicit, de filio, *(directè* signat *vt anteà) antè* faciem suam. *Sed nunquid* eisdem gestibus, Spiritus *etiam* Sancti benedictio *est impetranda?* Magister Ceremoniarum *non concedit. Addit ergò demùm cùm dicit &* Spiritus Sancti] signat sicut anteà, sed *nescio quam ob causam, versus* latus suum dextrum, *cùm autem dicit* super nos] *manus* junctas *ante* pectus applicat. *En* Papisticæ benedictionis Ceremoniam *dicam, vel histrionicam, quibus* pascunt oculos, *vt emungant* loculos, *&* videantur *ab hominibus, vtcumque* rideantur *à Dæmonibus. Sed quis quæsivit hæc de* manibus *ipsorum? cùm* David *coram* Achish *simulat insaniam: An desunt (inquit Rex)* furiosi, *quòd introduxistis hunc vt furet, me* præsente? *&) non indignaretur in tales agyrtas Rex* Cœli, *&* terræ, *vbi afficiet* suos mystas, *ita* mimos *agere, vt* dubites *an* seriò *tractent* mysteria, *vel simulent insaniam. Adeo* morosus *non sum* (Dilecti Filij) *vt displiceat sive in* gestibus, *sive in* vestibus, *sive in* quovis *agendi* modo, *decens quædam &* probata

1 Sam. 21.

ea-

εὐσχημοσύνη & εὐταξία. *Præcipit hoc* Apostolus, *observârunt* Primitivæ Ecclesiæ, *vsum*, fructus *confirmavit, et meritò exploduntur* Novatores, *qui non ferunt* pallium, *aut* pileum, *nisi ipsorum accommodatum* cranio, *aut Scapulis. Verùm cùm* summa *Religionis* hûc *redijt*, vt *attentiùs* cruci *quàm* Crucifixo *invigilet devotio*, ejusdem *æstimetur* pretij lac Matris, *et* sanguis Filij; *cedat* Pater noster, Ave Mariæ; Dominus, *Famulis*; *Scriptura*, Legendis, *obscuretur* Solis splendor, *accensis in* Meridie candelis: *Ad* Diadema triplex, *Mitras* bicornes, *coccinea* Birreta, *pictos* parietes, *fictas* statuas, *fractas* Cathedras, *ita relinguitur Ecclesiæ* veritas, *et* visibilitas, vt sensibus *potiùs lenocinetur, quàm interiorem* hominem *ædificet: quid mirum si minus ambiunt* cordati *tales* benedictiones. *Domine tu* seviſti in agro bonum semen, *vndè igitur* hæc zizania? *certè* dormientibus hominibus inimicus homo *hoc fecit, qui* jam tumultuatur, *et* furit, *ne eradicentur et comburantur.* Matth. 13.

7. *Ac ferendæ forsan essent eiusmodi* benedictiones, *si vlteriùs ad* maledicendum *non adeò erunt efferati.* Anathema *et rursus Anathema* Gal. 1.

16. thema Maranatha *denunciat alicubi* Paulus Evangelizantibus *præter id, quod* primitùs accepissent, *ad Gal.* 1. *et* Christum *forsan* profitentibus, *sed non* diligẽtibus, 1 *Cor.* 16. *Cæterùm non tam invenitur in* Christi *aut Apostoli verbis, quod* optaverunt, *quàm quod prædicârunt* (*explicante Augustino*) *Peculiari* tractatu *contendit* Chrysostomus, *in Christianâ Ecclesiâ Anathemate non esse vtendum: Audaci pede procedo ad hoc certamen* (*inquit* Hieronymus) *vt ad* libros provocem, *nullo loco Scriptum*, *à* Deo *quenquam esse* maledictum, *et vbicunque* maledictio *ponitur*, *nunquam* Dei nomen *est adiunctum.* Vibrantur *tamen in* illos Papæ, *et* Tridentinorum Anathemata, Niddui, Cherem, *et* Shammata, *non qui* Evangelium receptum *aversantur*, *aut* novum *cudunt*, *vel* Dominum Iesum *non diligunt*, *sed qui* addititios *non admittunt* Papismi Articulos, *quos* ἀισχροκερδῶς *primò* excogitavit, *et hodiè* incrustat *impudentia. Dilexerunt* maledictionem, *et veniet ijs:* Benedictionem *nolunt*, *et ab ijs* elongabitur. *Conducatur interea* Balaam, *exprobret* Goliath, *insultet* Rabsaketh; benedicta *tamen et* immota *manebit*, *vt mulier in* Eremo,

Vid. Eliam in T. Sb. radice vltim.

Psal. 109.

mo, & *vt* lilium *inter* spinas, *intemerata* Agni *sponsa, quæ est* Ecclesia: *sit* Pontifex Sol, *et* Imperator Luna, *vt nos instituit antehac* Astronomia Iuris Canonici, *per diem tamen* Sol *non* vret eam, *neque* Luna per noctem, *cur igitùr liquesceret cor fidelium ad coniunctionem* Caudarum Vlpinarum *cum* interpositis Titionibus *fumigantibus*, *Consilium* contra Dominum, & ipsius domum *non* stabit, *non* erit, *vt ingeminat* Propheta, *Congregamini* populi, & conteramini, confortamini & vincimini, *accingite* vos, & vincimini, *inite* consilium, & dissipabitur, *loquimini* verbum, & non fiet, *quia* nobiscum Deus. *Quod si* vnquàm vspiam, aliquos, aversos, perversos, socordes, excordes, *prævenerit cœlestis* Benedictio, *illi nos sumus* (Patres, Fratres, & Filij) *qui à* comedente *vt olìm* Samson *accepimus* cibum, & *reviximus per* illas machinas, *quas ominabamur fuisse* Mortiferas. *Recenti adhuc hæret memoriâ* superioris æstatis *tristissima rerum* facies. *Egressi è lustris* lupi, *palàm abducebant* oviculas, *irritatis* & irrisis *pastoribus*. *Ingemuerunt* cordati, *nutabant* instabiles, *Proteos agebant* parasiti, *prædæ inhiabant* Politici, *E-*

Decret. l. 1. 33. de Maior. & obedient. solitæ.

Isaiæ 7.

Isai 8.

ventum

ventum metuebant pij, & prudentes, *donec* redijsset Is, *ob cuius* absentiam, *attonitæ quasi* complicatis *brachijs* sedebant & stupebant Ecclesia, & Respublica. *Nunc verò tùm tot ab eo tempore descenderint* Benedictiones *vbi* gratiarum *ascensus, vbi* meditatio *his præcipuè intenta, si ea* cordium *esset* synceritas, *qualis est* labiorum *promptitudo.* De Rege Serenissimo, prudentissimo, justissimo, de Principe desideratissimo, *de* Proceribus, & Senatu consultissimis, *quoties inciderit mentio,* Trium puerorum, trium Regnorum *decantata ista fieret* Epimone: *O* Anglia, Scotia, & Hibernia Benedicite Dominum, & superexaltate *eum* in *Secula.*

8 *Hìc autem si* fidelitèr, alacritèr, *et* constantèr *vos* præcentorum *munus obeatis* (*D. F.*) *qui* Stallum (*vt ita dicam*) *obtinetis* in choro, *et* locum *in* capitulo. *Angelus qui* ambulabat *inter tres istos* pueros *in* fornace, *et postèà inter* septem candelabra, *vos ex omnibus* necessitatibus *eruat, et* intactos *conservet. Cùm ad Domini* mandatum *vestro pro* munere *in mare projciantur* retia; *Nunquam* retrahantur, *et* complicentur *absque* numerosâ

piscium

piscium capturâ: *multiplicentur Evangelij* panes *in vestris* manibus, *ad* millium *et* millenorum *satietatem. Jniecti à vobis verbi Divini* compedes *prudenter et religiosè (prout decet* Domini Dominantium *legatos)* alligent Reges, *et* ipsorum proceres *in* manicis ferreis. *Surgat* Eglon, *tremat* Festus, *conficientur cum* Anania *et* Saphira *sacrilegi Ecclesiæ* prædatores, *ad vestri* ministerii *tonitrua. Occæcetur quilibet* Elymas, *et arescat manus* Ieroboami, *qui vestris pijs conatibus* malitiosè *obstabit, decidant ignorantiæ* squamæ *ab ipsorum oculis, qui à vobis* Religiosè *instituuntur: cumque arrepto orationis* Thuribulo, *stabitis inter* vivos *et* mortuos, *Dominus, vt ad* incensum Aaronis, *manum* vindicatricem *à gregibus vestris retrahat; Reviviscat in vobis* Patrum Antiquorum industria, Sanctitas, *et* humilitas, Confessorum *promptitudo*, Martyrum *constantia*, Reformantium παρρησία *et* Heroica *in negotijs subeundis* alacritas; *vt glorietur* Ecclesia, *se in* talibus *esse* visibilem, *et* ringantur *Adversarij*, *sive* confundantur, *cùm* tales *videant. Ad vos hæc etiam spectant (Clarissimi Iurisconsulti) quos à* Theologis meis *vix separat*

externus titulus, aut habitus: *cùm* concors *sit in reliquis*, solita *et Deo* vnicè devota *professio. Certè* stupida *videretur hodiè et* ingrata *nostra* Theologia; *si benedictione saltem non compensaret illius* Iurisconsulti *pietatem, qui* Concilij Tridentini *exactissimam* Historiam Anglis suis *nuper communicavit. Inter* Luthe-

Dr Nathaniel Brent, Collegij Mertonensis Custos dignissimus.

ranos *non aliquis* (*quod sciam*) *plura traduxit* posteris *quàm* Iohannes Brentius, *sed* Iohannes *iste erat* Vbiquitarius: Nathaniel *autem noster* Israelita est, in quo non est dolus; *quem meritò comitatur* talis, *qui ab* vtero matris *erat* Benedictus, *et fremente quovis* in-

D. Th. Bennet.

fortunio *solabitur seipsum prisco illo* Isaaci Vaticinio גם ברוך יהיה *Gen.* 27. 33. *etiam erit*

D. Ric. Steward.

Benedictus. *Hisce* Theologo-consultus *accessit* collega, *qui* verbi *maluit quàm* verborum *esse* dispensator, *ad exemplum* Mosis, *qui pluris* fecit *Christi improperium*, quàm *Ægypti divitias. Memento igitur illorum*, Domine, *in beneplacito* populi tui; *visita eos in* salutari tuo, *vt videant bonum electorum, et lætentur in* lætitia gentis tuæ, *et cum* hæreditate tuâ *in perpetuum glorientur. Tot à Theologiâ illis accedant benedictiones, quot ab omnibus Iurisconsultis,*

tis, omnibus *Theologis contigêre vnquam molestiæ. Nec minùs aperta esset Medicis* benedicendi manus, *si* adesset *par votis occasio. Sed latent forsan pro tempore* (*vt Ecclesia* invisibilis) *inter* vos (Philosophi) *quibus libentissimè obstetricabitur* Theologiæ benedictio, *modò non per* saltum, *sed* gradus legitimos *ascenderet* fervor *vestræ* adolescentiæ. Beatos *illos pronunciat* Psalmista, *qui* ascensiones *in corde*, piâ *disponunt* meditatione: *Ibunt tales à* virtute *in* virtutem, *donec conspiciatur quisq; eorum antè* Deum *in* Sion. *Siquidem* (*vt appositè monuit vester* Gellius) *quod in* pomis *est*, *itidem esse aiunt in* ingenijs: *quæ dura et acerba* nascuntur, *postea fiunt* mitia *et* jucunda. *Audite è* cathedrâ Apostolicâ *præcipientem* Gregorium. *Non* impellat *tales* præcipitatio, *quos* imperfectio, *et* ætas *prohibet*, *ne dum* accipiant intempestivè, *quod non* valent, perdant quod implere tempestivè potuissent. *Quid pulli Avium, annon qui* implumes *se* erigunt ad volatum, *vndè ire in* alta cupiunt, indè in ima merguntur? annon recentibus structuris, si lignorum incumbat pondus nimium, pro habitaculo dabunt ruinam?

Ps. 84.

Lib. 13. 62.

& abortivi fœminarum fœtus, tumulos potiùs quam familias multiplicant? *Lumen igitur ab alto ita gressus vestros et* progressus *dirigat, vt inveniat semper* Ecclesia *in* vestro *ambulantes* peripato, *qui merito sedebunt posteà in* Professorum cathedris, *et* visibilem *successionis seriem, quàm à* maioribus acceperunt, *tradant* posteris illustriorem: Qualem semper fuisse ante *Lutheri Reformationem*, astruent, quæ *succedunt* nostrorum argumenta.

1m *A Reformationis natura.* 2 Chro. 29. 16. Mat. 21. Mar. 11. Luc. 19, Ioh. 2. *Vid. Paræum in 1 Cor. c. 1. v. 2 pag 38.*

9 Primum sit ab ipsa *Reformationis naturâ*, quæ non *novam* erigit *Ecclesiam*, sed *corruptam* corrigit; Ita cùm sub Veteri Testamento, *Ezechias* immunditias *sustulit*, 2 Chron. 29. 16. in *Novo*, *Salvator ementes* & *vendentes* ejecit, non *templum* aliud *formârunt*, sed *deformatum reformârunt*. Hoc ipsum fatetur *Bellarminus*, in magis oppositis: *Ipsa* (inquit) *Christi Ecclesia, non fuit nova Ecclesia respectu Iudaicæ, sed solùm mutatio quædam status Ecclesiæ secundùm Prophetarum prædictiones*, lib. 4. qui est de *notis Ecclesiæ*, cap. 5. Vndè *Argumentum*. Ecclesia *Papismo* infecta, *distincta* tamen à *morbo inficiente*, erat antè *Lutheri Reformationem*: Sed eadem est hodiè quoad *essentiam Ecclesia Protestantium*: Ergò Ecclesia *Protestantium quoad essentiam* præcessit *Lutherum*. Reponere hic tantùm possunt *Adversarij*, Papismum hoc est, (vt generatim dicam) *Dominium Papæ*, & *addititiam doctrinam*, non *infecisse*, sed potiùs *constituisse* Ecclesiam, sic vt hisce exterminatis à quovis

Excep.

cætu

cætu Christiano, vel desinit iste *cætus* ipso facto esse *Ecclesia*, vel manet *Hæretica*, vel saltèm *Schismatica*. *Contra*; Vt aliud est *corpus*, aliud *lepra*, aliud *leprosum*; ita distinguere tandem *didicerunt* rudiores, inter *Ecclesiam*, *Papismum*, & *Papalem Ecclesiam*. Ecclesia *subiectum est*, *Papismus* deforme et enorme *annatum* accidens, *Papalis Ecclesia* ex vtrisq; *conflatum corpus morbidum*: Accidens autem tale, non *subiectum constituit*, sed *vitiat*, ideoq; ad eius *amotionem*, non sequitur *subiecti* interitus, sed in melius mutatio. Hinc est, quod quidam *asserunt* è nostris, *Ecclesiam veram* fuisse in *Papatu*, nec *Papatum* tamen fuisse *Ecclesiam*: alij cautiùs, *Papatum* dixerunt fuisse in *Ecclesia*, non *Ecclesiam* in *Papatu*, quia *Accidens* inest *subiecto*, & non *subiectum* accidenti: Ista multis exagitat *Smithæus* vt *ridicula*, & *contradictoria*: Sed facilis est *conciliatio*: Ecclesia erat in *Papatu*, hoc est sub ista deformi *superficie* latebat: Papatus autem erat in *Ecclesia*, hoc est, vt *enorme accidens* illi *inhærebat*. Insurgit hic *Smithæus*: *quæstio* est de *loco*, vbi olim fuerit ante *Lutherum* Ecclesia *Protestantium*; at hæc *responsio* est tantum de *conditione*. Contra; quasi verò *Ecclesia existat* in aliquo *cætu visibili*, & tamen non sit *alicubi*, si inter *Papismi sordes* latuerit, à quibus tantùm non erat obruta, Vtiq; in ijsdem erat *locis*, quibus invaluisset *Papismus*: cuius jugo excusso, *stationem* non mutavit, sed *statum*. Respondeant *Smithæus*, & ipsius *Symmistæ*, vbi erat *Papalis Ecclesia*, quæ *primis sexcentis annis*, omnia ista *additamenta* eodem modo credidit, quo sanciêrunt illa tandem *Tridentini* sub *Anathematis* exterminio. *Pontifex*, & ipsius

Refut.

Vide Smithæum de Auth. & essent. Protest. Ecclesiæ lib. 2. c. 9.

Except.

Refutat.

Hamaxarij revera erant (quod *hodiè* multis impingitur) *Authores purgandæ*, accessit autem *Reformatio* vt *Index expurgatorius*. Hæreticus autem non est iste cœtus qui reiectis *additamentis*, fidei professetur *integritatem* ex *Scripturis* in *Symbolo Apostolico* cõprehensã, nec habendus *Schismaticus* est qui *Romam* aut *aliam* quamvis deserit *particularem Ecclesiam* ob *additamenta* non ferenda, sed qui aversatur *communionem*, & *unitatem* Ecclesiæ *Vniversalis* & *Catholicæ*, idq; ex morum potiùs *perversitate*, quàm diversitate doctrinæ. Tales autem *Reformati* non fuerunt, sed illud tantùm *præstiterunt*, quod *quovis seculo doctiores*, & *synceriores Christiani efflagitârunt*, *prædixerunt*, *sperârunt*, quod confirmabit.

Arg. 2m. A personis Protestantibus & Reformati non expetentibus.

10 Secundum *Argumentum* à *quamplurimis* ante *Lutherum* corruptelas papales aversantibus, & *Reformationem* expetentibus. Qui *Dictis*, *scriptis*, et *factis*, exagitârunt curiam *Romanam*, eoq; nomine *indignissimis* habiti fuerunt *modis*, proculdubiò *visibiles* erant; sed *tales* exhibuit *quodlibet seculum* ante *Lutheri Reformationem*, in *pluribus*, vel *paucioribus*, *Protestantes*: Ergò *Protestantes* à *Papicolis* distincti, ante *Lutheranam reformationem* fuerunt visibiles; Maior constat, nisi quis istos *Doctores*, *professores*, *scripta*, & *scriptores*, non *conspectos* fuisse asserat, præsertim ab ijs, qui ipsos *Bruto fulmine* syderârunt, *Vulcano consecrârunt*, *Mortuos* in *Catalogum hæreticorum* retulerunt. *Minor* autem *probatur*, ex *Catalogis Magdeburgensium*, *Illyrici*, *Foxij*, *Mornei*, *Wolfij*, & aliorum vel hos sequentium, vel aliquid hisce adijcientium; Qui in lucem protraxerunt maxima ex

parte

parte è *Monachorum fastis, personas, Scriptores, scripta*, à quibus *Papatus constringitur, conspuitur, irridetur*. Petunt *nomina* exhibemus *volumina*, impressa manuscripta, 1° *plangentium* Ecclesiæ conditionem sub *papatu*, et ex *papatu*, deploratissimam, *Alvari Pelagij, Nicholai Clemangis, Theodorici à Niem*: quò spectant, *Armachani, Gulielmi de sancto amore, Petri de Vineis, Thomæ Gascoine*, hujus olim *Academiæ*, liberioris instituti *Cancellarij* acriores *Vellicationes*, & *strictura*. Querelæ etiam & *gravamina, Maximiliani* Imperatoris, *Germanorum, Gallorum*, in fasciculum rerum expetendarum ab *Orthuino Gratio* congesta. 2° Reformationem *expetentium*, & *consulentium*, vt Cardinalis *Cameracensis*, *Iohannis Wesselij Groningensis* qui lux mundi appellabatur, *Georgij Wicelij* & ex ipso *Georgij Cassandri*. 3°. *Promittentium*, vt *Hadriani sexti* per *Franciscum Cheregatum Germanis*. Concilij Tridentini omnibus, per aliquos *Cardinales* & *Episcopos* deputatos vt in abusus *inquirerent*, & *Reformandos* deferrent, quod & ipsius Concilij Patres præstiterunt in *Missali*, in quod siue temporis vitio, siue hominum incuria, & improbitate, *multa videantur irrepsisse*, quæ à tanti *sacrificij dignitate* abhorreant. Non ista ita gesta sunt in *Angulo*, vt oculos omnium effugerent, si vitia *potuerant irrepere* in *missale*, quare non etiam in alias *partes* cultus? Si hoc reformetur absq; *scandalo*, nec ex *Reformatione* desinit esse, sed esse melius incipit Ecclesia, cur *purgatorium hoc sensu* non admitteretur in corrupta quavis Ecclesia? Subterfugium *Adversantium* hoc primum est, superiora *omnia gravamina, querelas, protestationes*,

Vid. Concil. de lectorum Cardinal. edit. Lutetiæ. 1612. Sess. 22. cap. 9.

Vid. Bell. de Missa l. 2. c. 19.

Excepe.

Vid. Smith. l. 2. c. 5. *stationes*, *attestationes*, non ad *doctrinam*, quæ semper mansit *illibata*, sed ad *mores contaminatos* esse referenda. Cæterùm nimis *arcta* sunt *ficulnea* huiusmodi ad talem operiendam nuditatem: non ita moribus vbiq, sunt infensi *Authores* prædicti, quin *doctrinam* perstringant in transitu, vt tanti mali *seminarium*. Mali etiam *mores excæcant intellectum*, vt ex *Origene* asserit *Occhamus*. Respondent secundò nonnullos *morosos*, aut *elatos*, quos excitârunt sparsim *locis dissitis*, & *temporibus*, zelus *præposterus*, & æmulatio, *visibilis Ecclesiæ* (quam quærimus) vix *lineamenta* exhibere. Accedat igitur.

Refutat.

Part. 1. l. 5. c. 26

Except.

11 Tertium *Argumentum* à *conspicuis* Protestantium *cœtibus*, et à *Luthero*, (quandoquidem ita præposterè volunt) ascendendo. Lutheranos agnoscit *Coclæus* ab *Hussitis* suam *doctrinam* accepisse. Nunquid autem *Hussitarum* cœtus non erant *visibiles*, è quibus supra *quadraginta millia virorum* sub Iohanne *Zisca* in vnum locum conuenêre? Illi autem suffraganeum deinde *Archiepiscopum Pragensem*, nomine *Cōradum*, qui in *Synodo Pragensi* ipsorum edidit *Confessionem*, tandem *Georgium Giezrko* siue *Poggiebratium* (iuxta *Æneam Sylvium*) *Regem Bohemiæ* in suas partes pertraxere. Atquî *Hussitas Wiclevistarum*, *Wiclevistas Waldensium* fuisse discipulos fatetur *Wimpina* in *Anacephalaiosi*. Vbi probri loco identidem illis obijcit, nihil dictum ab illis esse quod non sit dictum priùs. Ostendunt *scriptæ*, *Professiones*, *Apologiæ*, pleniùs nuper quàm ante hac *conquisita*, et edita à *Balthasare Lydio* latinè, & à *Iohanne Paulo Perrin Gallicè*; *Waldenses* verò siue *Leonistas* (nam hujusmodi

Arg. 3m. A Cœtibus. Lib. 5.

Hist. Bohem. l. 2. 1421.

Libri Wiclevi d. lati in Bohemiam totum illud regnum infecerunt, Bell. de Euch. l. 1. c. 1.

hujusmodi titulis circitèr 32 ab *Adversarijs* insigniuntur) juxta *nonnullos*, à tempore *Sylvestri*, secundum *alios* à *tempore Apostolorum*, deducit ante annos 300, *Inquisitor hæretica Pravitatis Reynerius*, editus à Gretsero *Bibliotheca Patrum* Tom. 13. cap. 4. fol. 28.

Duo reponunt *Adversarij*, primò istos *Hussitas*, *Wiclevistas*, & *Waldenses* à *Reformatis* in pluribus *dissentire*. Contrà, vt sensim et temporis tractu, invaluit *superstitio*, ita non *simùl* et *semel* expectanda fuit, Reformatio. Sufficit illos palam nonnullis *Papalibus* restitisse *commentis*, alios *pluribus*, alios forsan *paucioribus*. Vnde constat eos *eò tendisse*, quò nos per Dei misericordiam *pervenimus*. Deinde *dissensus* potest esse vel circa *disciplinam*, vel *doctrinam* siue *dogmata*, ista vlteriùs tribuuntur vel in *quæsita Schola*, *Ecclesiæ placita*, et *fidei articulos*. Non autem tam periculosè *dissentit* is, qui *ceremonias nonnullas* & *Scholæ opiniones* non recipit, quàm alter, qui *Ecclesiæ*, in quâ viuit, *Decreta* minus facit, aut in *fidei articulis* hallucinatur. Quod si *dissensus* omnis, vel in *grauscribus* multiplicaret Ecclesias, quomodo *Iesuita* et *Dominicani*, *Dominicani & Scotistæ*, *seculares* & *regulares* eiusdem Ecclesiæ gremium teneant? Certè *Chrysostomus* & *Epiphanius*, *Cyprianus*, & *Stephanus Papa*, *Hieronymus* & *Augustinus*, hâc ratione eiusdem Ecclesiæ tectum non subirent. Impingunt illis 2° *monstrosas* quasdam assertiones, quas *Reformati* æquè ac *Pontificij* detestantur & *execrantur*. Resp. Qui vrgebant illos *Waldenses* fuisse *Manichæos*, & duo statuisse *principia*, *Deum*, & *Diabolum*, quia *Imperatorem* à *Papa* non dependere cõstantèr prædica-

Excep. Resut. Excep. Refutat.

bant, aut fuisse *Arianos*, negando *Christum* esse *Filium Dei*, quia negabant *crustam* in *Christum* fuisse *transubstantiatam*: numquid in recensendis *Wicleni* aut aliorum sententijs, tam *triuiculis* & *monstrosis* (præsertim sublatis è *medio* ipsorum libris) tot annos etiam post *Authorum mortem*, cùm vix erat aliquis *qui potuit*, aut saltem qui *ausus est* reclamare, fidem merentur? Non erubuerunt isti *Historici*, vt nouimus, *Lutherum* & *Bezam* affirmare *mortuos* fuisse *pontificios*, cùm supervixerunt isti, & *publicatis scriptis* refutarunt Mendacium. Quisquamne è *Belgis* aut *Gallis* audiuerit, *Franciscum Iunium vnum* habuisse *pedem* instar bovinæ vngulæ bifidum, non puduit tamen hoc tandem asserere, qui nuper eius vitam edidit, *Fraterculum*. Sed quid insto in istis remotioribus? An non scriptis nuper promulgârunt, Anglos omnes per *Papæ* excommunicationem contraxisse *Atrorem diabolicum*? Reverendum *Episcopum Londinensem* (Deus bone! quàm *flagrantem* et *constantem* Christi *Athletam*) quàm effronti *commento* et prodigiosâ *Metamorphosi transubstantiarunt* haud ita pridem in Pontificium, & iterata *impressione* illas rationes ediderunt, quibus fretus in ipso mortis articulo à *nostra* (si dijs placeat) defecit *Ecclesia*. Calamitosam istam *cœnaculi ruinam*, quâ oppressi periêre nuper *Londini* centum ferè *papicolæ*, vnà cum *Iesuita concionatore*; affirmant jam *suis proselytis*, ex *dissolutis* per *Puritanos contignationibus* contigisse. *Puritanos eosdem* tradit *conturationis sulphurariæ* Authores fuisse Author quidam *Hispanicus*, qui de rebus apud *Anglos* gestis egregiè *Catholicos nostros* instituit. Posset ò

Lonicerus. *Beza Redivivus*

Vita Iunij.

Author. relat. Relig. Occident. Legat. Episc. Londi. bis impressa.

Vid. D. Featly. præf. ad. cap. Hycatorem.

non

non dubitavit ante aliquot menses Dr *Westonus* apud *Illustrissimum* quendam è nostris *Heroem*, post disputationem illam recentissimam inter quosdam *Doctores nostros Reformatos*, & *Iesuitas*, cui ipse *Heros* interfuit, impudentèr gloriari, *prostratos* fuisse nostros, suos autem *triumphâsse*, & *Comites duos*, vnà cum *Centum alijs* ad fidem *Catholicam Romanam* convertisse; cum ille intereà quem alloquebatur, vnus erat ex *istis Comitibus*, *Orthodoxus* et *constans*, & nouerat omnes qui interfuerant *Auditores*, *papistas* vnà cum *Protestantibus Centenarium numerum* non attigisse. ---*Exclamet Malicerta periisse*
Frontem de rebus.

Ista autem qui mentiuntur de nobis in tam aperta luce, quid hæsitarent de *nostris asserere* in tam crassis tenebris? *Non tali auxilio vel defensoribus istis Causa caret nostra.* Quicunq; vult, *tollat*, *legat*, & cum *nostris articulis* conferat istorum *Hussitarum*, *Wiclevistarum*, & *Waldensium*, quæ *supersunt*, & jam vbiuis prostant, *confessiones*, & *fragmenta*, & fatebitur, eos vel cum nostris *omninò consentire*, vel in *minutioribus* tantùm nonnunquàm cespitare.

12 Hinc quarò *Argumentamur* à *conformitate nostræ Ecclesiæ*, cum *primitiva Ecclesia Christi*, & *Apostolorum*: Primitiva *Ecclesia* à Christo & *Apostolis* instituta, erat proculdubiò *visibilis* ante *Lutheri* Reformationem. Sed huic *conformis* est *Protestantium Ecclesia*, *difformis* verò *Papalis*, vt ex *collatione* vtriusque *doctrinæ* cum *sacris Scripturis* clarè liquet. Ergò *Protestantium Ecclesia* à *Papali* distincta ante *Lutheri reformationem* erat visibilis. Huic argumento

4. *A conformitate cum Christi Ecclesia & Apostolorum.*

palmario & merito à *nostris* in *nupera disputatione* inculcato, Respondere detrectârunt *Iesuitæ*, quia non potuerunt. Illud verò eludere conatur *Smithæus* 1° (inquit) non sequitur *cœtum* aliquem esse veram Ecclesiam, qui profitetur *Christi doctrinam* & *Apostolorum*, nisi hoc *faciat* in *vnitate* adhærescens *vni pastori*. Resp. Ergò *veritas doctrinæ* ex Adversariorum confessione apud nos *residet*. Apertissimum *sacrilegium schismaticis* eminet (monente *Augustino*) si nulla sit *causa separationis*. Non tenentur autem *oves* (si *Driedoni* credamus) subesse *pastori vlli*, qui jam *factus* est, aut ex *pastore lupus*, aut *saluti gregis* contrarius: & *schismaticus* tandem is audiet, qui *hominum* explodit *commenta*, vt *soli Christo* adhærescat. Insurgit secundò. Hoc notum est per *ignotius*, aut vnum *falsum* per aliud, quod non solùm *falsum*, sed *impossibile* est probare. *Contra*; ergone est *ignotius*, iudubitatam *Christi* & *Apostolorum* in *Scripturis* & *Symbolis* comprehendi *doctrinam*, quàm *Ecclesiam Romanam* à *pristina integritate* defecisse? vel impossibile est, vt *Christiani* à *Biblijs* in medio positis instituantur, nisi *Romam* adeant, & inde *Præceptores* conducant? Tertiò nugatur & ad rauim vociferatur: Nemo vidit ante *Lutherum*, Ecclesiam *Protestantiũ*. Ergò *concludit* (inquit) contra *testimonium sensuum*, *qui illam fuisse asserit*. Resp. & 1° ad *Hominem*: quis videt *corpus Christi* in *hostia consecrata*, quin è contra, quis non *videt*, *tangit*, *gustat* panem? Hic tamen tot *sensuum* non valebit *testimonium*: 2° videre potuit quilibet *nostram Ecclesiam* in *afflictissimis* cuiusq; seculi temporibus, inter *Antichristianos* Satellites,

Except. Lib. 2. c. 15.

Refutat.

De dogmat. Eccles. p. 4. c. 4.

Except. 2.

Refutat.

Except. 3.

Refutat.

lites, vt *Paulum* apud *Ephesios* cum bestijs *colluctantem*, vbi frequenter etiam incendia lumen præbebant, *aliquisq; malo fuit vsus in illo*. 1. Cor. 15. 32.

13 Vltimum argumentum *absurda* congerit, quæ *Adversarios* vlteriùs obruunt. Nam si *Protestantium* non erat *Ecclesia*, nisi *superiori seculo*; Sequitur 1° in seculo 10° *nullam* omninò fuisse *Ecclesiam*, nec *futuram* sub *Antichristo*, quia *Romana Ecclesiæ* compagem tunc temporis fuisse dissolutam in *chronologia* & *annalibus* fatentur & deplorant *Bellarminus* & *Baronius*, sub *Antichristo* etiam expectant, *Papa*, *Missa*, & *Monachorum*, deliquium. Ergò si tunc temporis non *perstitit*, aut in posterum non perstabit, nec ex *Alienis* admittendæ sunt *Copiæ*, à *Gracis* nimirùm, *Africanis*, aut alijs, *Papali Cathedræ* non *affixis*, *Ecclesia* non tantùm *latuit*, & *latebit invisibilis*, sed aliquando non erat, et in posterum aliquando non erit. Sequitur *secundò* in decem primis persecutionibus nullos fuisse veros *Martyres*. Nullus enim ex illis, *additamenta* ista adversus quæ nos hodiè *protestamur*, sanguine suo *obsignavit*, quia tunc temporis prorsùs erant *incognita*: qui *contrarium affirmant*, probent contrarium. Sequitur tertiò *oppositum* in *oppositio* seu *contradictio in adiecto*. Nam fuerit (vt ipsi volunt) *Ecclesia* tunc temporis *Papalis*. Infero, aut *Ecclesia* ista erat *cœtus evocatus* per *verbum* aut *non*; si *non*, non erat *Ecclesia*, si *sic*, Ergò *Ecclesia* æstimanda est ex *conformitate* doctrinæ ipsius cum *Scripturis*, et non è contra, nisi fortè velint Ecclesiam suam absq; *notis innotescere*: perpendant siquidem tantisper, quam *piè* & *providè* suos manuducant. *Primò*

Vltimum Argumentum ab absurdo. Ribera in Apoc. c. 12. Num. 11. & c 13. Num. 10. *Præcipua immo fortè vnica ratio, cur tot in omni ætate à recta fide deflexerunt, multoq; plures nonnullam difficultatem in ea inuestiganda experti fuerint, ea est, quod prius quid quisq; cui credere debent quærere solent hoc est prius fidem ipsam, quàm Doctores seu præceptores fidei cognoscere, & inuenire studeat. Chimpæus de vocatione ministr. lib. 1. c. 1.*

mò inveniendam esse fiadent *veram* Christi *Ecclesiam*, & ex Ecclesia ista sic *inventa*, accipiendum esse deinceps præcipiunt, quid *iuxta Scripturas* sit credendum: Atqui posthabitâ Scripturâ, quibus *notis* mihi innotescat, quænam sit vera Christi Ecclesia, aut *cui* sit *credendum?* Hoc non *ipsi* ostendunt, nec *quisquam* potest ariolari. Sequitur 4°. *Additamenta* hominum, *contra* vel saltem *præter Scripturam*, constituere *Ecclesiam*. Nam si *Protestantes*, quia *huiusmodi* non *admittunt*, non sunt *Ecclesia*, vtcunque ad *amussim* teneant *reliqua omnia* in *Scripturis* & *Symbolis receptis* comprehensa; Ecclesia æstimanda est *Catholica* propter *ista exotica*, non quia nititur tantùm *doctrinâ* à *Christo* & *Apostolis* primitùs traditâ. Vt omittam cætera Quæro 5°. à *Iesuitis* qui tam fidenter *Coryphæos nostros* in *arenam* provocant, num *Ecclesia* sit aliqua *Papistica* hoc tempore in *Anglia*, vel *non?* Si *asserant*, Ergo *Ecclesia* aliqua *vera* potest esse *sub cruce* sine *spectabili* religionis *exercitio:* sin verò *negent*, cur conquerantur toties, de *afflictissimo Catholicæ Ecclesiæ* statu, sub Clementissimo *Regis nostri* Regimine, si *talis* non sit hîc *Ecclesia?* Ergo si *Reformatio* Ecclesiam non de novo *fabricet*, sed in *integrum restituit*, et à *sordibus* magis minúsve tantùm *liberet*, si in *corruptissimo* Ecclesiæ *statu*, semper *Deus* conservavit *Saniora* nonnulla membra, quæ irrepenti *tyrannidi*, et *superstitioni* restiterunt, et *Reformationem*, expetebant et vrgebant, si membra ista ita Dei misericordia *coaluerunt* in *cœtus aliquos visibiles*, vt *segregârunt* seipsos quantum potuerunt à *Papalibus inquinamentis*, et sub legitima *Episcoporum* et

pastorum

pastorum disciplina, doctrinam Evangelij *synceriorem* retinuere: Si *doctrina ista* Scripturæ et *Symbolis* receptis sit *conformis*, et infarcta ab *adversarijs additamenta*, *absurda non ferenda* necessariò involvant. Quid ni concludamus? *Ecclesiam Protestantium*, à *Papali curia distinctam*, *ante Lutheri reformationem*, quovis *seculo* fuisse *visibilem*, ὅπερ ἔδει δεῖξαι, quod erat confirmandum.

14 Restant *Adversariorum argumenta*, strictim diluenda: *Richardus Smithæus lib.* 2°. de *Authore*, & *Conditore Protestanticæ Ecclesiæ*, et *Religionis* (vt ante hac *Campianus* Rationes) sic *decem cudit* et *obtrudit* in hâc causâ *demonstrationes*, quæ facilè revocantur ad hæc *tria capita*, Primum sic se habet. *Si Ecclesiæ Protestantium*, non *omninò erant*, quando *Lutherus* emersit, tunc *ille fuit Author earum*: At *non omninò erant* ergò. Crambe est hæc *repetita*, Demonstrationis *secundæ*. Ne *vnus erat Protestans ante Lutherum*, 5*æ*. *Nunquam erat*, nec *omninò erat*, 6*æ*. *Omnes fuerunt Papistæ*, 7*æ*. *Nullus Luthero Antiquior*, qui *ipsius cœtui se adiunxit*, 8*æ*. *Lutherus fuit Conditor*, 9*æ*. *Author nostræ Ecclesiæ* et *Religionis*, 10*æ*. *Contrarium* nullo *idoneo testimonio* aut *probabili argumento* potest probari, καὶ ταῦτα μὲν ταῦτα. De *Maiori* non litigabimus. *Minorem* igitur tantùm firmat ex *Nostrorum Confessione*, qui sæpiùs *conqueruntur*, in *Papisticis tenebris* ante *Lutheri reformationem*, Christum fuisse *penitùs incognitum*, fidem *prorsus perijsse*, Evangelium *planissimè fuisse eradicatum*, et similia. Respondeo. A *planta pedis vsq. ad verticem capitis* (De *Ecclesia Iudaica* loquitur *Esaias*)

Obiect. 1°.

Sol.

Cap. 1. Philip. 2. 21. Esaiæ) non est in ea sanitas (De Christiana, Apostolus: Omnes, quæ sua sunt quærunt, non quæ sunt Iesu Christi: De Romana, Alvarez. Pelagius, Perÿt lex de Sacerdotibus, et visio à Prophetis: Mantuanus. Facta est iam Roma Lupanar. Cameracensis, vt digna sit tantum regia Reprobis. Baronius: Dominabantur potentissima, æquè ac sordidissima meretrices, quæ intruserunt in sedem Petri Pseudo-Pontifices earum Amasios. Num inde tamen concluseris inferorum portas, non tantùm in Petri Cathedram prævaluisse, sed eandem etiam penitùs evertisse? Ita nostri, Ecclesiam ante Reformationem perijsse asserunt, non quoad essentiam, sed excellentiam, simplicitèr non desijt esse, sed comparatè, tot contraxit sordes, vt vix à suis dignosceretur. Vbi iuxta Regulam Tichonij ab Augustino correctam, quæ est de mixta Ecclesia, illud Synecdochico loquendi modo toti attribuitur, quod ratione partis conspectioris illi tantùm competit.

An. 9. 12. §. 8. De plenit. Eccles. l. 2. cr. 5. De Del. Christ. l. 3. c. 22.

Ob. 2°. 15 Secundum argumentum sit tertia ejusdem Demonstratio. Quandocunq; est Ecclesia, illa est visibilis, & fidem exterius profitetur. At Protestantica Ecclesia proximè ante Lutheri ortum, non fuit visibilis, nec fidem protestanticam profitebatur. Ergo

Sol. proximè ante Lutheri ortum, non erat. Resp. Quoties inculcavimus, in hoc argumento visibile & invisibile, non duas distinguere Ecclesias, sed eiusdem diversos respectus. Ecclesia enim Catholica, est obiectum fidei, non sensus, vt verò invenitur in cœtibus particularibus, duplicem sortitur formam, internam & externam: Interna constat duplici vnione, Christo, per fidem, fratribus, per charitatem: Externa e-

lucet

lucet in *publica* verbi *professione*, & *Sacramentorum* participatione. A prima habet *Ecclesia* ut *sit*, à secundâ solummodò *vt sit conspicua*. Conspicua autem vlteriùs potest dici, vel *absolutè*, vel *comparatè*. Absolutè, *Cœtus* & *actus* alicujus *Ecclesiæ* in cultu *publico* necessariò incurrunt in oculos, sed non *comparatè*, æquali semper *habitu*, aut *successu*. Nam respectu syncerè *credentium*, ad istam *paucitatem* (quod futurum concedunt *Adversarij* sub *Antichristi* tyrannide) redigi potest, vt vix *notabilis* sit illorum numerus. In *primo* Christi *adventu*, *grex erat pusillus*. Et cùm venerit *secundò* num reperturus est *fidem* in *terra*? Luc.18.

2° Respectu *Regiminis*, quid ni percutiantur *pastores*, Matth.26. & dispergentur *oves*? (Neque enim quæritur quid *semper fit*, sed quid *fieri potest*) inter *distractos* tamen manebit *relatio*, qua *intelligatur*, licet nõ *repræsententur sensibus* Ecclesia. 3° Respectu *Regentium*, *Scribæ* & *Pharisæi* occupant *Mosis Cathedram*: Antichristus Matth.23. *Petri*, vbi *fideles* tamen *Scripturis* adhærescunt, etsi Gandavensis. videant, *illos* per quos *fidem* acceperunt à *fide* resilire. Quamvis autem quoad *hos respectus*, titubantis & externæ *conditionis*, affirmârunt aliquoties *nostri*, Ecclesias qualvis *particulares* ad *illas* redigi posse *angustias*, vt nemo potuerit ab *externâ pompâ* & *fælicitate*, (vt contendunt *Pontificij*) *hanc* vel *illã* dilectã Christi *sponsam* esse concludere: Non negârunt tamen antè *Lutherum Protestantica* Ecclesiæ membra quamplurima conspectiora fuisse, vt grana purioris *tritici* in *mixto* palearum *cumulo*: Sub congesto *fœno* & *stipula*, percipi poterat *fundamentum*, & vnà cum *argento* 1 Cor.3. & *auro* interpositi lapides pretiosi, quos *rimantibus* 1 Cor.3.

seriò per *Scripturas*, facilè erat à *scoriâ* secernere. Non autem per illorum *Additamenta*, sed nostra *fundamenta*, afflicta ista, quæ *tunc* spiravit, *Spiritum duxit* Ecclesia.

Obiect. 3. 16 Tertij argumenti loco sit ejusdem *Smithæi* 4ª demonstratio: *Pastores* non erant *Protestantici* antè *Lutherum*, Ergò nec *Ecclesia*. *Sol.* *Resp.* *Diebus multis sedebant filij Israel*, sine *Rege*, sine *Principe*, sine *sacrificio* & *Altari*. Hos. 3. & conqueritur *Psalmista*, *signa nostra non videmus*, non est *vltra Propheta*, nec *est nobiscum*, qui *cognoscat*: *vsq. quò*! Psal. 74. Et tamen nunquam *desyt esse Dei Israel*. 2° Isti pascunt non-nunquam alios, qui ipsi *nil comedunt*, aut qui exhibent *frumentum* admixtum *paleæ*: vndè eatenùs *Protestantes*, Pastores agnoscere potuissent *Pontificios*, quatenùs *legitimam* habebant *vocationem*, & *Christum* vtcunque prædicabant, & tamen ab *adiunctis* ipsorum corruptelis (pro data *gratiæ* mensura) penitùs se abstinere. 3° Inter *Hussitas*, *Wiclevistas*, *Waldenses*, non defuerunt *Pastores*, vt constat, ex ipsorum *disputationibus*, *confessionibus*, *Apologijs*, & *Adversariorum testimonijs*, Non autem semper *oculi gregis* videbant *Doctores suos*, qui posteà tamen prodeunt in *conspectum*, ex ijs quibus includebantur *angulis*, Esaiæ 30. 20

Obiect. 4. 17 Hactenùs *Smithæum* revocavimus ad incudem, supersunt aliorùm *Argutiolæ* nonnullæ strictiùs, si fieri potest, dispungendæ. Quartò igitùr objiciunt, *Protestanticam Ecclesiam* nullas *gentes* ad *fidem Christianam* convertisse, *ante* nec post *reformationem*. Ergò non *est*, aut *erat* vera *Ecclesia*. *Sol.* *Resp.* Neglectus hujusmodi, *defectum* arguit *zeli*, in ijs quæ commodè

potest,

potest,& non *præstat* Ecclesia; non *fidei*, aut *salutaris professionis*,vt eo nomine *desinat esse* Ecclesia. 2° Vel instillant *Indis Iesuitæ* (eadem sit *ratio* aliorum) tantùm *Papistica Rudimenta*, in quibus à nobis *dissentiunt*,aut tantùm *fundamenta* ista, in quibus est *consensus*, aut *mixtìm* tam *hæc*, quàm *illa*. Si *primum*,circumeunt tantùm (cum *Pharisæis*) mare & *aridam*, vt *faciant unum Proselytam*, & cùm *fuerit factus*, forsitan *filius gehennæ*,vel istis suis *præceptoribus duplo nequior* evadat. Si *secundum*, *sana* tantum proponant, *nostras* agunt *partes*,ex quibus discant *tertiò* adultiores,quæ obtruduntur *superstitiosa* à Religionis synceritate secernere. Distinguimus *vltimò*, de *duplici* gentium *conversione*,vel à *Paganismo* ad *Christianitatem*,vel ab *Antichristo* ad *Christum*, hoc est à *superstitione* invecta, ad *primævam* Religionis *puritatem*. Non carent *Protestantes secundæ* hujus *Conversionis* laude,& fructu,nec vident cur *Adversarij*, de *primâ* tam *Pharasaicè* gloriarentur. Quintò vrgent *miracula* confirmare ipsorum Ecclesiam. Sed *Hæretici* non *potuerunt* extorquere *miracula*,*neq; à Deo*,*neq; â Diabolo*,ad *confirmandam realem præsentiam*,*Bellarminus* de *Eucharist*.l.3.c.8.Item,*pudet Diabolum* (addit *Gretserus*) *Lutheri doctrinam miraculis confirmare*,Ad 2.cap.*Bellarmini lib*.1.de verbo Dei. *Resp*.Benè habet(*Gretsere*) *Diabolum vobis* adeò esse *propitium*,vt in vestrâ causâ non erubescat. *Cùm* autem inter Antichristi *Characteres* sint *signa* & *prodigia* hujusmodi: Et qui adhuc *prodigia* (vt credat) inquirit, *magnum* est ipse *prodigium* juxta *Augustinum*. Postremò cùm *doctrina* (quam profitemur)sit *ea ipsa*, & non

Matth,23.

Obiect.5.

De Eucharistia lib.3 *cap*.8.

Sol.

Matth.24.

Apoc.13.
2 Thess.2.
August.de civit. Dei l.22.*c*.8.

alia, quam confirmârunt *Christi* & *Apostolorum miracula*, vbi *exoticam* (vt *illi*) præter quod *receptum* est, inducimus & prædicamus *Doctrinam*, tum à *Protestantibus* (& non antea) expectent etiam *miracula*.

Obiect 6. 18 Sextò exigunt, vt ei jallibet corruptelæ *introitum* indicemus, alitèr negabunt *intrâsse*. *Ridiculè*. Vi-
Resp. demus *arbores crevisse*, non *crescere*. Et *dormientibus hominibus* irrepsit *inimicus*, & *superseminavit zizania*. Ergóne *ista*, quæ vides, negabis *sata*, quia non vidisti *ipsum*, qui *seminavit*, vel *quale semen*, vel *quandò* erat *iniectum*? quomodò *iniquitatis mysterium* non procederet *latenter*, & *mysticè*? 3° Sed non defuerunt inter *nos* (vt ex *dictis* patet) qui *originem* & *progressum* errorum delineârunt *graphicè*, quos impudenter *sugillare*, non est *refutare*. Intereà sufficit *collationem* ad Scripturæ normam, doctrinæ cujuscunq; *flexus distortos* prodere, tametsi hoc non sit *notatum* à quovis *historico*. Septimus *color est*, noluisse
Obiect 7. proculdubiò *Deum* permittere, vt *Ecclesia Catholica* sic vniversim ferè deficeret, vt per tot *annos* ab *Anti-*
Sol. *Christo seduceretur*. *Respondeo*, non mirandum est, illud *fieri potuisse*, quod videmus *factum*, nec *permisisse* illud *Deum*, quod facturum *præmonuit*. *Ierusalem* prævaricanti, accidit *talis defectio*, cur *Roma* non metueret? Nunquid in hâc *solâ particulari Ecclesiâ*, positæ fuerunt *fortunæ Gratiæ*? vel ex hujus *membri* conditione, *totius Ecclesiæ* vniversalis pendebat *salus* aut
Obiect 8. *interitus*? Octavò, *Infirmiores* aggrediuntur hoc frequenter *allicio*: fatentur *Protestantes* sub *Papismo* quamplurimos *salutem* consequi. At *Papistæ damnatos* pronunciant omnes *Protestantes*. Ergò Prote-

stantium

stantium non erat, sed P*apistarum*, quæ præcessit *Lutherum*, Ecclesia. *Respondeo.* Hoc ipsum arguit P*rotestantes* non tantùm *Religionis puritate*, sed *charitate* etiam esse *Adversarijs* superiores, qui distinguunt tamen inter *Seductores*, & *Seductos*, & inter *Seductos* rursùs in *simplicitate Cordium*, ante *Lutheri* Reformationem, & *obstinatos sequentis* seculi; qui *moniti*, ad obortam *lucem* claudunt oculos. Nam vt de illis dictat *Charitas*, vt *speremus* optima; Ita de *hisce* nil possimus præter *horrenda* polliceri, quamdiù *Characterem Bestiæ* in *frontibus* aut *dextris* præferunt. Inter *sordes* autem *istas*, ista quæ *summo* cum *periculo* expectetur salus, non ipsorum *additamentis*, sed ijs quæ nobiscum habent communia *fundamentis*, est attribuenda. Vltimò arripiunt, *Ecclesiã*, quæ retinet *fundamenta*, non esse deferendã: *Resp. Concedimus*, nisi talia *adijciat*, quæ *fundamentum* subruãt, & *iniurijs* non *ferendis cõmunicantes* afficiant. 2do Nec deseruimus *illorũ communionẽ*, priusquã *constabat*, veritati illos nil esse concessuros. Admonita tam sæpè, tam seriò, sanari noluit *Babylon*, quid restabat igitur nisi vt exiremus? 3o *Fugati* tamen potiùs, quàm *fugientes*, non tam à *Roma*, vt est, *secessimus*, quàm ad *Romam*, ut erat, regressi sumus; quod retinet adhuc *sani*, amplectimur, quod adjecit in *rem suam*, aut *pompã*, rejicimus: *redeat*, vndè *cecidit*, accedimus, & *dextras* non *servitutis*, sed *societatis* dabimus. Alioquin, *Protestantiũ Ecclesia*, quæ ante *Lutheri Reformationem* non erat prorsùs *occulta*, fremente vtcunq; *Satanâ*, ipsiusq; *primogenito* Romano *Pontifice*, magis erit à *Papali curia distincta*, & *magis magisq; visibilis*, Quod faxit Deus Misericors Pater per Filium in Spiritu Sancto. *Amen.*

Sol.

Apoc. c. 9.

Obiect. 9. *Sol.*

LECTIO X.

IN VESPERIIS COMITIORVM habita Oxon. Iulij 9. Ann. Dom. 1625.

De Æquivocatione Jesuitica.

MATTH. 5.

37. *Sit sermo vester, Est, Est, Non, Non. Quod autem his abundantiùs est, à malo est.*

TExtus proponit *simplicitatem* sermonis, *primariò*, absque omni juramento voluntario: *Consequenter* verò sine *fuco* aut *mendacio*. Primum illustrat *Iacobus*, *Ante omnia (fratres mei) nolite iurare: Sed sit sermo vester Est, Est, & Non, Non.* Secundum *Paulus*, *Fidelis est Deus, quia sermo noster, qui fuit apud vos, non est in illo est & non.* Quemadmodùm *Filius* ejus *Iesus Christus* non fuit *Est* & *Non*, sed *Est* (vt *promissiones* sunt in *illo Est & Amen*. Vndè constat Hebraismum illum Cap. 5. 2 Cor. 1.

illum כן כן apud *Mattheum* Hebraicè,& רש רש 1 Reg.10.Non denotare tantùm *sermonis simplicitatem* vt opponitur *iuramento*; sed *veritatem*, vt repugnat *falsitati*,& *asseverationem certam* absq; omni *tergiversatione* aut *inconstantia*.Sic hunc locum extendit *Augustinus*, *dicamus sensum esse vt semper vera loquamur*. Nam τὸ πεπεισθαι, quodcunque redundat in hoc negotio, sive vocis *Æquivocatione*, sive sententiæ *Amphibologiâ*, sive mentis callidâ pallietur *subticentiâ*, ἐκ τῆ σιωπῆ ἐστιν. Non tantùm *in vanum* sumit *Nomen Domini*, aut vim infert veritati *periurio*, vel *mendacio*: sed à *Diabolo* est,cujus *Mendacium* est *peculium*,quia *mendax est*,& *pater Mendacij*.Ioh.8°.

Ench. cap. 170. & 22.

Cùm autem veritas non solùm *destruatur* per *mendacium*, *contemnatur* per *periurium*, *impugnetur* per *contentionem* (vt habet *Halensis*) sed *adulteretur* etiam per אנשי כזבא *viros mendacij* (vt reddit 1 Chron.4.22. *vulgaris Interpres*) qui omnia expediunt *stratagemata*,agunt *cuniculos*, rimantur *Satanæ profunditates*,vt fatiscenti *Bestiæ* throno ferant suppetias: Non inconsultum videbitur (vt spero) nec ingratum vobis (P.F.& F.in C.D.) si post depulsas de *prædestinatione*,& *articulis annexis* Pelagianismi ofucias quibus *Ecclesias Reformatas*, *Iesuitæ*, famulante *Remonstrantium* Apostasiâ,tantùm non distraxerunt, & dissipârunt: Inquiramus in alias strophas ejusdem *sodalitij*, quæ non minùs *Politicis*, quàm Theologis facessunt negotium,& in quibus non magis *nos*, quàm *suos symmistas* habent *Adversarios*. Nec;enim eorum plus quàm *Punica perfidia*, de *Fidelitatis iramento* non suscipiendo, vel reconditior *Pelagianismus*, de

Sum. part.2. q.123.

Βεβῆ τῆ Σατανᾶ. Apoc.2. 24.

Auxi-

Auxiliis et *Motionibus*, loco *gratiæ* substitutis, irritârunt magis in illos *Seculares*, et *Dominicanos*, quàm *Benedictinos* et *Sorbonistas* hodiè infensos reddit *versipellis* ipsorum *Æquivocatio*. Calet ferè è prælo *Parisiensi*, *dissertatio* quædam contra *Æquivocationem*, Authore *Iohanne Barnesio Benedictino*, *Artium et S. Theologiæ Doctore*. Epistola præfigitur dedicatoria ad *Papam* (qui nunc sedet) *Vrbanũ Octavũ*: Subsequitur *Facultatis Parisiensis*, vnà cum *Regali privilegio* Approbatio. Scopus Authoris est, non tantùm *rei ipsius* infamem *impietatem*, sed *Iesuitarũ* technas in ista statuminanda detegere, et maculã inde *Pontificijs omnibus* aspersam, providè eluere, aut in *reos* solummodò transferre. Tam *procaces* enim & *effrontes* sunt hodiè *Iesuitæ*, vt nec *doctrina* ipsorum suis placeat, nec conversatio. Omnia torquent, miscent, adulterant, vt *Pontifici* omnia subijciantur, & illis Pontifex. Mussitârunt hac de re *aliàs alij*, sed gratulandum præ cæteris est *Parisiensibus*, quòd piè & prudenter ostendunt in hâc causâ, quid in cæteris non minoris momenti sit sequendum. Cùm primò Salvator *inspuisset in caci oculos*, et *imposuisset manus*, vidit homines *instar arborum ambulantes*; sed secundâ Marc. 8.
vice tactus, conspexit omnes *procùl* & *dilucidè*. Quidni etiam & ij, qui *mortem* in Æquivocationis *olla* incœperunt degustare, & detestari; ad vlteriora (cùm Deo visum fuerit) aperiant oculos? sanè *vindice cuneo* nodus est hic dignissimus. Iesuiticam hanc *chimeram* in lucem antehàc protraxerunt *plurimi*, sed vel obiter tantùm pro *re natâ*, prout tulerit *occasio*, aut abduxit *Adversarius*, vel ita confusè & sparsim,

vt difficile eſſet occupatis abſq; ſumma moleſtia & anxietate aliquid comprehenſi acquirere. Horæ igitur hujus erit penſum, veſtrâ bonâ cum veniâ (P. & F.) punctiſſima quæq; ſic delibare, & pro meo modulo *conteſſerare*, vt ſub vno quaſi conſtet intuitu, quid ſequendum ſit, aut declinandum. Singula autem contrahantur ad hoſce limites. *An Æquivocatio Ieſuitica excuſet à mendacio aut periurio?*

2 Et ne moras nectamus in limine de *monſtri* hujus *ortu* & *progreſſu*, quidni commodè illud retorqueatur, quod in *Calvini* de *prædeſtinatione* ſententiam, intorſit *Becanus*? *Diabolus hoc* primò *plantavit*, *hæreſis rigavit*, & *Ieſuitiſmus* tandem non tantùm *incrementum*, ſed *complementum* dedit. Neq; enim *primus* Diaboli *Congreſſus* cum Matre *Eva*, nec *primarius*, qui ſequebatur, cum *Chriſto Servatore*, mendacij & æquivocationis *Ieſuitico* caruêre artificio. Inter *Patriarchas* autem, & ipſorum poſteros (aliâs omni laude cumulandos) *ſimulationem*, *æquivocationem*, ſive *pias* (vt putabantur) hujuſmodi *fraudes*, vrgebat nonnunquam *timor*, admiſit *infirmitas*, corroboravit, (ſaltem non damnavit) *eventus*. Vt patet in *Abrahamo* Æquivocante cum *Pharone* & *Abimelech*; *Davide*, cum Rege *Achis*: *Iehu*, cum *Baalitis*, & ſimilibus: *Licentiam* tamen (vt ita loquar) ad *practicandum*, vel *hoſpitium* aliquod, in quo liberè diverſaretur, ante *Helkiſitarum*, *Arianorum*, *Pelagianorum*, *Eutychiſtarum*, & *Priſcillianiſtarum* * εφοδιασπαρυλαν non omninò obtinuit. De *Priſcillianiſtis* ſpeciatim addit *Auguſtinus*, propter *occultandas contaminationes*, & *turpitudines ſuas*, habere illos in *ſuis dogmatibus*

Gen. 3.
Matth. 4.
Gen. 12. & 20. 1. Sam 21. 2. Reg 10.
In cauſis pervertendis veritatem.

tibus ista verba. *Iura, periura, secretum prodere noli.* Nota est *Arij* κυβεία, quâ *Constantini* de fide *Nicana* elusit examen; sed omnia ista sub *mendacii*, non *æquivocationis* dilituerunt *vmbone*. Mendacium siquidem *antiquum est*, & è *cælo in principio* cecidit *cum Satana*, (vt lepidè loquitur *Barnesius*) *Æquivocatio* verò recentioris est *impressionis*, per pseudothyrum posteà introductum, ad mendacium non tollendum, sed palliandum. Mendacium autem *officiosum* saltem, vel ad aliquod *bonum* assequendum, aut conservandum, vel ad *malum* evitandum; vel *Iocosum* absq; cuiusquam incommodo, admiserunt è Priscis *Origenes* ex *Platone*, *Chysostomus*, *Hieronymus*, & alij quamplurimi, citati à *Bannesio* & *Lessio*, illoq; vtendum esse tanquam *Helleboro* imminente aliquo *morbo exitiali*, præscribit *Abbas Ioseph* apud *Cassianum*, sed postquam *Augustinus*, personato hinc errori larvam detraxisset, qui sequuntur plerunq; saniores ipsius insistunt vestigijs. Vnde *Sententiarii* ad 3 *sent. dist.* 38. & *Summistæ* ad 2. 2. Aq. q. 110. *Mendacium quodcunq*; peccatum esse asserunt, tametsi *officiosum* aut *iocosum*, *veniale* tantum ipsis videatur, non *mortale*. Et *Pererius Iesuita*, *mendacium omne esse per se malum*, omnium fermè scriptorum post *Augustinum* & *Gregorium* affirmat esse sententiam. Æquivocatio etiam impacta *Wiclefo*, & nervosè ab illo reiecta, & refutata, argumento est, *herbam* istam *venenatam*, seculis superioribus innotuisse, sed ab omnibus fuisse *conculcatam*, & *consputam*; Alitèr non laborâssent *Monachi*, ex infami ipsius graveolentia. Adversarijs conflare ignominiam. Iesuitæ tandèm *Primicerei*

Ad quod vult Deum. Hæres. 70.

Socrat l. 1. c. 25. Niceph. l. 8. c. 51. Sozom. l. 2. c. 28. Sect.

Rom. *In 2. 2. Aquin. q 7 d. 2. De inst. & iure l. 2. c. 47 Collat. 17. c. 8.*

In Genes. c. 27. disp. 2. S. 42.

micerei sunt, qui hanc pestem ab orco nuper revocârunt, ad *Consolationem afflictorum Catholicorum* (vt profitetur cum *Provinciali Garneto*, *Archipresbyter Blakwellus*) et *omnium piorum instructionem*. Hanc in ipsorum gratiam, (vt præfatur) affabrè fingit, et depingit *Azpilcueta*, obtrudit sub *liciti mendacij* velo *Marulus Spalatensis*; excusat potiùs, quàm defendit *Azorius*, *Maldonatus*, *Vasquez*, *Valentianus*, *Becanus*, inter *Iesuitas*. Apertâ frõte ingerũt *Parsonius*, *Lessius* et *Eudæmon Iohannes*, *Roderiquez*, *Sanchez*, *Hessius*, *Fernandes*; vnà cúm *Toleto Cardinale*, et cæteris eiusdem studij *Casuistis*; quos explodunt sub nomine *Modernorum* et *Minutorum Theologorum Parisienses*, cum suo *Gersone*, *Soto*, *Sepulveda* et alijs, sed quibus nixi fundamentis, nostrum est contractiùs ostendere.

Vid. Act. in Proditor: pag: 34. & Abbot: Antilog: cap: 2 p: 13.
In caput Humanæ aures. Memorab: l. 4: c: 4.
In c. 24. Luc.
Ja q. 103. art. 4. 1. 2. Aq d. 182. c 4.
De Iustit. & iure l. 5. q. 6. art. 2.
In Theoph. c. 15.

3 Quod vt dilucidiùs fiat, observandum est, 1° ex parte *subiecti*, aliam esse in *factis* aut *gestu simulationem*, aliam in *verbis ambiguitatem*, vtramq; tamen *mendacium* in se continere, vt ostendit *Aq.* 2. 2. q. 110. et 111. sub *simulatione* vlteriùs latet *hypocrisis*, sed cum hoc discrimine, vt omnis *hypocrisis* sit simulatio, sed non è contra. Quia *Hypocrisis* alienam personam semper induit, sed *simulatio* multotiès terminatur in nobismetipsis. *Ambiguitas* verò involvitur, vel in *terminis simplicibus*, quæ propriè est *æquivocatio*, vel in *complexis*, et est *Amphibolia*, hæc *Etymologiam*, illa *Syntaxin Grammaticorum* respicit, et oritur, vel ex *indifferentia* Orationis, quæ *diversis* sensibus potest applicari, vel ex *circumstantiis*, loci, temporis aut personarũ *diversimodè* se habentibus, vel (vt *Iesuitæ*

ſuita addunt) ex *limitatione* nullatenùs *expreſſâ*, aut ex dictis *colligendâ*, ſed in *mente* tantùm *reſervatâ*, ſic vt præter ambiguitatem *logicam*, quæ vel ex *ancipiti verborum ſenſu*, vel ex *Orationis ſtructura*, vel ex *circumſtantiarum* varia diſpoſitione frequentèr locũ obtinet; Obtruditur alia *Theologica*, ſeu potiùs *Mataeologica*, ſub *æquivocationis* paludamento, *oſca, Barbara*, & *inepta* καινοφωνία & κενοφωνία (vt loquitur *Barneſius*) Nec *Antiquis* nota, nec ad rem *exprimendam*, ſed *implicandam* excogitata. Vndé hanc appellamus *Ieſuiticam*, ad diſcrimen indicandum. Cùm *Æquivocatio* nil aliud ſonet *Antiquis propriè*, quàm *ſimplicis* Termini diverſam ſignificationem. De hac autem, dum controvertitur, quomodo excuſet, ſub legitimæ *limitationis prætextu*, obſervandum eſt *ſecundò* ex parte *copulæ*, limitationem eſſe *duplicem*, *ſuppoſitam* & *expoſitam*. Supponitur in colloquijs *limitatio*, vel ex communi colloquentium *conſenſu*, vel ex alijs *circumſtantijs* in medio poſitis: prior liberat *oppoſitiones* noſtras inter diſputandum à *mendacij* labe, quia conſtat *Reſpondenti* & *Auditoribus*, falſa ſic proferri, vt veritas eruatur, idq; non *theticè*, ſed *piraſticè*, per modum *examinis*, non *aſſertionis*. Ex *poſteriori* præſupponitur ſermonem reſtringi, ad *pactam materiam*, ſenſu quodam *præciſo* & *recepto*, qui aliâs abſolutè ad diverſa, & adverſa potuit inflecti. Ita ſignificat *Apoſtolus*, legem loqui tantum ijs, qui *ſub lege ſunt*. Quare cætera, quæ ibidem præmittit, ad *præciſum* iſtum *ſenſum* ſunt referenda. Limitatio *propoſita* in prolatis *expreſſiora* habet veſtigia; Proponi poteſt aliquid vel *externè*, vel, (vt *Ieſuita* Sect. 26. Rom. 3.

non absq; *contradictione* in *adiecto* philosophantur) *mentaliter* siue *interne*. Externa talis *limitatio*, *implicita* rursus est vel *explicita*; Implicita relinquitur colligenda, vel ex *re subſtrata*, vel annexis *circumſtantijs*, quæ qui *negligit*, vel minùs *perpendit*, seipsum decipit, atq; hinc tot ex *ſacris oraculis* errores, non ex *æquivoco* textus *ſenſu*, ſed ex *oſcitanti*, vel *perverſo*, inveſtigantium affectu. Explicita informat *intellectum*, vel per *res*, vel *verba*. Res istæ aliquoties conceptus exprimunt in *Typis*, aut *proferentis habitu*. Ex *Typis* siquidem plerunq; limitanda sunt *antitypa*, vt ex *geſtu*, aut *proferentis* alio indicio colligitur, quid *ſeriò* dictum sit, vel *ironicè*. Verba, quæ conceptus exprimunt, possunt esse vel *propria*, vel *figurata*. Propria, vt *Ecce virgo pariet*. Figurata, per *Tropos*, *Hyperbolas*, *Allegorias*, *Parabolas*. Non minùs in *profanis Hieroglyphicis*, quàm in *ſacris ſcripturis obvias*, quas mendacij adhuc nullus poſtulaverit cùm conceptus ſuo modo fideliter exprimant.

Lombard. 3. ſent. d. 38.

Observandum est 3° in *prædicato*: Mendacium esse *falſam vocis ſignificationem cum intentione fallendi*, vt definiunt *Scholæ* ex *Auguſtino*; vnde vt sententia aliqua prolata sit *vera*, requiritur *duplex* sermonis *conformitas*, vna cùm *re* de qua loquimur, vt pronunciet, vti *reverâ ſe habet*. Altera cum *intentione loquentis*, vt illud *foris* exprimat, quod *intùs* concipitur. Desiderat aliquid in hac *definitione Auguſtini Doctiſſimus Barneſius*, cùm quamplurimos conſter mentiri, non *fallendi ſtudio*, ſed vel ex *mentiendi libidine*, vel *periculi evitandi*, vel *quæſtus* aut *humilitatis gra-*

ti-

tiâ: Vnde *Augustinus*, cùm *humilitatis causa mentiris*, si *non eras peccator, antequam mentireris, mentiendo efficeris*, quod *evitaveras*. Sed ista sunt *fines* potiùs *deceptionis*, quàm *formæ mendacij*. Intendimus enim fallere, ut istos fines assequamur; Hinc nomina ista, *Perniciosi*, *iocosi*, & *officiosi* mendacij, quibus *omnibus* subest *peccatum* sed non *eiusdem atrocitatis*. Atq; hæc *iuramento* firmata, ex consensu *Patrum* & *Scholasticorum*, in non *excusandum* transeunt *periurium*. De verbis Apost. serm. 31.

4 Quibus positis convenit 1°. *simulationem* in factis, & in dictis *Æquivocationem*, præsertim si subsit *fallendi intentio*, æquè esse mendacia. Convenit 2° *Innaturale* esse & *indebitum* cùm *aliquis voce significat*, id, *quod non habet in mente*. Largiuntur omnes 3°. *Limitationes* sive *restrictiones Logicas*, (quæ ex *propositis* eliciantur, per certas quasdam *circumstantias*) sermonē prolatum à *mendacio* & *periurio* excusare. Nec dissensus est 4to. *Typos*, *Parabolas*, siue alias quascunq; *figuratas locutiones*, *ornatûs* vel *fastidij* evitandi causa propositas: non *licitas* tantùm esse, sed frequentèr *laudabiles*. Convenit vltimò, verissimum illud esse, quod suggerit *Augustinus*; Aliud esse *veritatem*, (vbi opportunum est) *occultare*, vel *obscurè* proponere, aliud *mentiri*: & illud esse pro *loco*, & *tempore licitum*, & *laudabile*, hoc vero non *omninò*. Vndè distinctè tandem habemus, quod quæritur. Vtrum *Æquivocatio*] *Amphibologia*, *simulatio*, *hypocrisis*, ad *fallendum composita* non *logicè*, vel ex *indifferenti* verborum *significatione*, aut sententiæ *constructione*, aut circumstantiarū *collatione*, sed quæ nuper. Aquin. 2.2. q 111. Ibid q.110. art.3. Enarrat. in Ps.5.

per ex *Loiolitica* prodijt officina. *Iesuitica*] quæ mente reservat *limitationem*, nec *suppositam*, vel vllo intelligibili modo *propositam*. *Excuset*] vel in *foro* Conscientiæ, aut *externè*, à *Mendacio*] *pernicioso*, *officioso*, *iocoso*, & si *iuramento* confirmetur à *periurio*]? Affirmant Iesuitæ, *Parsonius*, *Lessius*, *Eudæmon* & eiusdem fermenti alij. Nos cum *Parisiensibus*, *Barnesio*, *Garnier Fresne*, & cæteris *syncerioris* istius instituti, negamus. Argumenta nostra selectiora, in hunc se habent modum.

Benedictio 5 *Ægrè divellor ab instituto progressu* (Dilecti Filij) *ne delinitus vestro* aspectu, *& interfluente* Benedictionis *oleo*, *cùm redeo ad* Orimentales *meos* Amphibologistas, *& Mentes stringentes*, *quos oppugno* Proteos, *deferveseceret prorsùs* Zelus, *&* *aculeos amitteret contentio*. *Cùm* David *pleno impetu ferebatur*, *in* Nabalis *internecionem*, *opportuna* Abigaelis *intercessio*, *et acceptissima submissio*, *quàm citò fregit spiritus*, *&* *minas commutavit in Benedictionem*? *Et ait* David *ad* Abigail, Benedictus Dominus
1. Sam. 25. Deus Israel, qui misit te hodiè in occursum meum, & benedictum eloquium tuum, & benedicta Tu, quæ prohibuisti, ne hodiè vlciscerer me manu meâ. *Sed nō ita demulcendæ sunt* oves, vt lupi *interim evadant*, *quin* muniendæ

niendæ *potiùs sunt*, & excitandæ, *vt prosequantur illos junctis viribus*, & vulpeculis, *quæ devastant* vineam, *crura* & *colla suffringant*: *Incidimus autem nos in ista tempora* (P.F. & F.) *quibus* remittere *aliquid de pietatis* fervore, *est prorsus* tergiversari, & *non animosè partes nostras agere, causam omninò prodere. Perisitatur inter tot tumultus Servatoris tui* Sponsa, & *Tu* Simon dormis? *habitas tu in* Matth. 26.
domo Cedrina, & Arca Domini *diversatur in* 2. Sam. 7.
medio pellium? *Dominus* Ioab, & Servi Do- Ibid. 11.
mini mei, *super* faciem *terræ manent*, & *ego ingrediar* domum meam, *vt* comedam, &
bibam, & dormiam? *Nostis cuius sit protestatio*, *Non est faciendum. Quinimò, dum cum* Amalek *in valle manus conserit* Iosua, *nos cum* Mose *manus ad* cœlum *erigamus*, vota, &
preces, & Benedictiones *nostræ comitentur ipsorum* agmina, *qui veritatis causam agunt adversus* Antichristi stratagemata. *Plerunque autem fit, ut* apertus hostis *minùs prævaleat, quàm qui* occultos agit cuniculos; *Sanguis* Martyrum (*vt notum est*) *erat* semen *Ecclesiæ*. *At abduxit â fide plures* Iuliani versutia, *quàm antecedentium omnium* Ethnicorum *præceps*

sævitia *prædia mea tu possides, fero: Convitiis etiam oneras, patior. At cum* zizania, *fraudulenter* superseminas, *vt crescat cum* puro tritico; *nunquid hîc etiam* tacendum, *&* non indicandum *Domino, vt ipse pro beneplacito (prout opportunum fuerit) prospiciat? Nunquid cùm* avis tincta, *sive* discolor, *facta sit* Hæreditas Domini, *non* circumvolutarent *omnes* aviculæ, *ad*
Ierem.12. deplumandam *&* devorandam *eam. Si veritas, quæ* iusto Marte *expugnari non potest, technis tandem* subruatur, *&* deludatur, *et mendacium pronuncietur insons sub* Æquivocationis *patrocinio.* Serva *me,* Iehovah, *quoniam* diminutæ sunt veritates *à* Filiis hominum,
Psal.12. Corde *et* corde vnusquisque alloquitur proximum suum, *ad* Christianismi *inter* Turcas, Iudæos, *et* Ethnicos *non ferendum opprobrium. Sanè quod prædixit* Apostolus, *exoriturus nonnullos in* Novissimis diebus, ἐν ἀποκρίσει
1 Tim.4. ψευδολόγων, *qui sub* personatâ simplicitatis *larvâ, excuderent et protruderent* falsiloquia: *Quis non observat hodiè, effectum hoc sortiri in*
Iudic.21. Scholâ Loiolitică; *dum* securè *cum* Filiabus Shilo choreas *ducunt* nostræ Virgines *et* Matronæ, *latitant in* vineis, *ut ipsis insidientur, et*

sub

sub consutis æquivocationis fraudibus, *in* Nassam *inextricabilem pelliceant. Quò circumspectior nostra debet esse* solicitudo (*E, F.*) *ne quod vis non potuit*, fraus *eripiat. in* Cantico *graduum primo, ita modulatur* Psaltes Regius: Domine libera animam meam à labiis iniquis, *et* linguâ dolosâ; *et quid aptiùs quadret vobis* Graduatis, *quàm vt* solœcismos *in* Grammaticis, Sophismata *in* Logicis, Monstra *in* Physicis, Pseudoepigrapha *in* Mathematicis, *didicistis iamdudum notare, et dispungere: Ita* Recentiores *in Theologia* Æquivocationes, *observetis attentiùs, vt profligetis. Quid* Benedictio *mea vobis prodesse potest, si subsit occulta* hypocrisis, *vel in me* impertiente, *vel in vobis* supplicantibus. *Beatus* Vir, *qui in* Cathedra Derisorum *non sedet! Forte attrectabit me* pater meus (*inquit* Benedictionem *suffuraturus* Iacob) *et putabit me* velle sibi illudere, *et ita inducam super me* Maledictionem, *et non* Benedictionem. Psal. 119. Psal. 1. Genes. 27.

6 *Sed de vestrâ sinceritate* (Dilecti Filij) *quid non mihi pollicear? Novi vos non esse ex istâ fœce, quæ vel ex reductis Papismi, vel ex injectis Arminianismi, vel interspersis Puritanismi*

nismi *sordibus, insolentèr captat applausum. Cùm autem* Academia *pariat et emittat tales Filios, non citiùs tenebrio aliquis* Testamentarius, *patibulo dignior, quàm* Presbyterio, *effingeret Patri Reverendo infamem* Legationem, *quam* Hæres *virtutis,* Filius *ad* Gehennæ *cloacam amandavit. Nec illaudatus abibit* Rex Pacificus, *qui non acriùs insectatus est feras, quàm Ferales istos* Alastores *qui* præstigijs *Diabolicis conturbârunt omnia. Prodeat ex isto* canili Æquivocator *suo sensu cæteris* literatior, *et obtrudat,* היא *pro* הוא, כארי *pro* כרו, *asseratq; ridiculè, et impudentèr cum* Gregorio *de* Valentia, *Textum* Hebraicum authenticum *ad* vulgarem Latinum *esse* corrigendum, *nunquid deerit inter hosce* filios meos,* *qui Asinum* literas, *&* punctationes *doceat, & cespitantem ferula vel fuste excipiat.* Homilistæ, Postillatores, Paraphrastæ, Meditatores, *& alia monstra istorum* Nominum, *&* Hominum *apud* Sixtum Senensem, *accipiant* pugillares, *& ad pedes sedeant meorum quos educo* Filiorum, *ut indè discant, piè, nervosè, & cum fructu* populum *Dei instituere, quo nomine non tantùm* gregibus, *sed* Regibus *fuerunt, & sunt in delicijs.*

D. D King Episcopo Londinensi P. M. D. Hen. King. D. Jo. King.

Gen. 3. Psal. 21.

Vbi vulgata in omnibus codicibus ab alijs Editionibus (Hebraica, Chaldaica, &c.) quoad sententiam differt, alij potiùs ex ea emendari debent, quam ipsa ex alijs.

1. Disp. 5. q. 3. p. 5.

* D. Edvard. Meetkerkius Ling. Hebraicæ P. Regius. D. Crooke, D. Horne, D. Giles, D. Duppa, D. Maynwaring.

licijs. Non audeo ipse insolens ἐγκρῖναι καὶ συγκρῖναι, ut verbis utar Apostoli, adjungere vel conjungere meipsum cum quibusdam, qui seipsos commendant, nec si gloriari me oporteret, vel frontis est, vel expedit. Sed si non erubescam, de ijs quæ Dominus dedit, ad ædificationem, & non ad destructionem. Tales insipientes vos libenter sufferatis (P. & F.) quoniam ipsi estis sapientes. Quodnam enim mihi accessit aliud patrimonium, nisi in filijs huiusmodi, de quibus illud meritò Psalmistæ concinam. Ecce Hæreditas Domini Filij mei sunt, & merces mihi maxima fructus ventris Academiæ: Sicut sagittæ in manu fortis, sic sunt Filij Iuventutis. Beatus vir, qui ex his implevit pharetram suam, non confundetur cùm loquetur cum hostibus suis in porta. Inspicio siquidem loculos, & aurum, & argentum cum Petro non habeo: Circumspicio terras & latifundia, sed & in his ne passum pedis cum Abrahamo possum mihi vendicare. Si prospicerem dignitates, quas plurimi ambiunt, & assequuntur, observo eas esse alatas pennis Aquilæ, et è conspectu meo citò avolare, dum respicio, quid è partis restat mihi ind eposito:

2 Cor. 10.

Ibid. 11. 19.

Psal. 127.

Actor. 3.

Σῦμα πόδος. Act. 7.

Prov. 23.

Nec quicquam vacua suspirat nummus in arca. *Soli vos* Filij *mei* Ἀγάπητοι καὶ ἐπιπόθητοι (*quales quotannis* procreat, *et hic* sistit *fœcunda Mater* Academia) Gaudium *meum estis, et* Corona, Gazophylacium, latifundia, reditus, depositum, *quin et præcipua ista* benedictio, *quam à me hodiè expetitis.*

7 *Inter novem autem* Pontificiorum Sacramenta, Benedictio *infimi non est subsellij.* Scholastici *ad* 16. *d.*4. *Sententiarum, vnà cum* Glossa *et* Hostiensi, *venialia saltèm per eam expiari contendunt, et plurima citat* Paludanus *ad dictam* distinctionem, *nempè caput,* dictum est *Cap.* Maledicam. *Caput* intra. *Caput* Benedictio, *vt commento tàm diluto fidem faciat.* *Sed* nihil istis locis (*inquit* Azorius) hac de re *expressè traditur: quin de* Benedictione (*addit*) Pontificia, *seu* Episcopali *in* Iure Canonico *nullus extat* Canon, *nec* vlla *in* Patribus *traditio. Ecce, qualia obtrudant* Papicolæ *credulis suis Proselytis* Sacramentalia, *et peccatorum Venialium* remedia, Scriptura *ipsis non patrocinatur,* jus Canonicum, *et* Patres *nullo fulciunt* decreto, *aut* traditione. *à quonam igitur* pharmacopœo *prodierunt talia* malagmata?

Hos. in cap. Omnis de pœnitent. Gloss. in 6. proœmio in ver. Bened. Q. 1. Art. 1.

Iustit. lib. 4. cap. 11.

mata? *Sed quicquid sit, de* Benedictionibus *istis superstitiosis, non negaverit* Azorius *textum probare*, Benedictiones *à* prælectore, *Auditoribus suis (vt* Minoribus) *salubritèr, pro* more Ecclesiæ, *esse impertiendas distinct. 21. cap.* Denique. *Quod et nos solennitèr observamus hodiè, non vt putidum* Romæ *commentum, sed vt* ritum *antiquum huius loci*, Scripturæ *et* praxi *Fidelium per omnia consentaneum. Junctim igitur vt* petitioni vestræ *satisfaciam, et vos in Domino dimittam. Opto vobis* (Theologi) *vnà cum* columbina *professionis* simplicitate, *laudatam istam à Servatore* Serpentinam prudentiam, *vt sub* æquivoca *mentalis reservationis* latebra *sacerrimi veritatis lucifugæ palpum vobis non obtrudant. Opto vobis* (Iurisconsulti) sagacitatem *rebus* attentam, *ne verba dentur ad* proditionis *et* stellionatus *præsidium. Vobis demùm* (Philosophi) *penetrans et* subactum *in propositis librandis iudicium, vt quid* verum *vel* falsum, consequens *aut* dissolutum, explicatum *aut* involutum, *acumine planè divino fœlicitèr expediatis. Quandocunq, litigant coràm vobis* meretrices *ex* Babylonis lupanari, *adsit sapientia* Salomonis *ad* offu- 1 Reg. 3.

cias

cias *illorum dextrè dispellendas*. *Spiritus* Eli-
4 Reg.5. shæ *in vobis*, *ita* Gehazitas *observet* Iesuiti-
cos, *vt qui consutis delis vos aggrediuntur, à vo-
bis* leprosi *ut nix, egrediantur. Quid familia-
rius, quàm sub* Antiquitatis prætextu *à* Vitu-
lorum mystis *audire*, *Nonne ego sum* Prophe-
3 Reg.13. ta *similis tui? nonne* Angelus *mihi locutus est*,
in sermone Domini *reduc eum in* domum tu-
am, *ut comedat* panem, *et bibat* aquam; *dum
sub pectoris interim farmo subdolè meditatum
occultetur mendacium*? *Ita igitur abundet in
vobis omnibus* Prophetarum, *et* Apostolo-
rum Petri *et* Pauli *Spiritus*, *vt* Simon Magus
Act.8. (*licet sacris initiatus*) *vestrum examen non sub-
terfugiat, nec* Gibeonitæ *vobis imponant* detri-
Ios.9. tis calceis, *nec* Diabolus *sub Prophetæ* Samue-
1 Sam.28. lis pallio, *nec* Asinus *sub* discipulorum *vesti-
Matth.21. mentis*, *postremò* Ananias *et* Saphira *aliquid
in* pios vsus *hypocriticè conferentes*, *in vestrorum*
Benefactorum *Catalogo locum non inveniant*,
vincat Veritas, *triumphet semper inter vos* syn-
ceritas *ad perpetuum* Æquivocationis *exter-
minium*, *quæ quidem præpostere excusat* Iesuitas *à*
Mendacio *aut* periurio, *superest*, *ut* argumen-
tis *contrarium iam ostendam*.

8 Quorum

8 Quorum primum sumitur è *scripturis* generatim, *Arg.1^m.* in quibus *mendacium*, *dolus*, *simulatio*, *expressè multoties*, & *omninò* prohibentur. Ne *mentimini*, nec *fallacia vtimini* vllus in *proximum suum Levit.*19.11. *Depositio mendacio loquimini veritatem quisq; proximo suo Ephes.*4.25. *Disperdet Dominus vniversa labia dolosa.*Ps. 12. 4. Condemnatur ipse *Apostolus Petrus*, quia ad *præcidendam* cum Circumcisis rixandi ansam pro tempore simulavit. *Gal.*2. 11. Sed ista omnia includit *æquivocatio Iesuitica*, vt γνῶμη (quod aiunt,) χαλκῆ agnoscit ipsorum advocatus *Marulus Spalatensis*; quia aliud *tegit* pectore, aliud ore *profert* idq; cum *fallendi intentione*, quibus finibus circumscribitur *dolus*, *simulatio*, et *mendacium* apud *Augustinum*, *Ad consent. c.2. & c.12.* et alios. Ergo repugnat *sacris literis* hæc *æquivocatio*. Et per consequens *accusat* potiùs, quam excusat mendacium et periurium. Respondent *Iesuitæ* hîc *Except.1* nullum intervenire mendacium, quia *Æquivocans* *Mason. cap.1.* enunciat falsum, non quidem *fallendi*, sed seipsum *con-* *nu.6.* *servandi* studio. *Contrà*, sed hîc vel ridiculè æquivo- *Refutat.* cant, vel *æquivocationis fundamentum* prorsùs subruunt. Nam qui *aliter sentit*, quàm *loquitur*, alterum *fallit*, & *fallere intendit* (inquit *Toletus.*) Non etenim *Instit. lib.3.* *sic profert*, nisi *vt diversam opinionem* in *animo* alte- *c.54.* riùs *generet.* [hoc autem est *fallere*] atq; hoc est *decipere*, & *eludere alios* per *æquivocationes* phrasi *Becani.* Mitigat *Parsonius*, imò est potiùs *legit imè evade-* *Manual contro-* *re.* Repono; sed annon Tu, qui *æquivocas*, vt Teipsum *versi.5 cap.21.* *Mitig. cap.7.* liberes? non intendis *alium fallere*, ut sic Teipsum li- *pag.289.* beres, Ergò utcunq; finis *primarius* sit, vt *periculum* *Except.2.* evadas, *intermedius* est, vt *fallendo* evadas. *Latro* di- *Refutatio.*

cat se non grassari, vt *viatorem* spoliet, sed vt propriis *necessitatibus* consulat. At respondebit *Iudex*. Non ideò Te condemno, quia *tibi ipsi* prospexisti, sed quia *furari* voluisti, vt hoc faceres. Neq; enim *facienda* sunt *mala*, vt *bonum* inde eveniat, quia justa est horum asserentium damnatio. Rom. 3. 8. sed abjicienda sunt remedia veris periculis graviora, vt præcipit *Innocentius* 3. Cavillantur secundò, *limitationem* in mente *reservatam* (quæ addita *prolatis*, propositionem *veram* efficiat) in *Dei conspectu*, & *loquentis sensu* mendacium prorsùs excludere. *Resp.* Sed hoc dilutius est præcedenti effugio, cùm constet *Ethicè* (quod rectè ex *Aquinate* observat *Bannes*) *virtutem veritatis*, & ejus *oppositum mendacium*, *iustitiæ* partes esse, & *iniustitiæ*, quæ ad *extra* semper inspiciunt *proximum*, & proinde non ex *fictis* in animo, sed ex *dictis* in *sermone* aliquo *intelligibili* esse æstimanda. Constat deinceps *logicè*, *Limitationem* nullam esse *admittendam*, quæ nec ex verborum *variâ significatione*, aut ex *ancipiti sententiæ compositione*, aut ex *diversâ* circumstantiarum *dispositione*, aut ex loquentis *occasione*, aut *scopo*, potest elici. At *supplementum mentale* nil tale exhibet, de quo illud *Petri* ad *Simonem Magum* rectè pronunciaveris, non esse illi *partem*, neq; *sortem* in *sermone isto*: Deum igitur rogent *Orimentales*, si fortè remittantur illis *cordium machinationes*, quibus non *prolata* verificant, sed prorsùs destruunt vel pervertunt. Quærit enim Magistratus, Esne Tu *Iesuita*? Respondes *non sum*. ecce apertum *negationem*, concipis interim occultè, *vt tibi indicarem*, convertantur jam partes, prodit talis *propositio*, *sum revera Iesuita*, sed

Lib 3. Decret. T 41. de celebrat. Miss. c. 7. Except. 3. Refut.

Tom. 3. In 2. 2. q. 1. art. 3.

Vide Alsted. Logic. lib. 6. c. 8.

Act. 8.

sed *non sum Iesuita*, vt *tibi indicarem*. Affirmas igitur quod anteà negaveras, *sum Iesuita*, & non *sum Iesuita*, quod *contradicere* potiùs est, quàm *limitare*. At contradictionem (inquis) excludit diversus respectus, sum enim *Iesuita conditione*, sed non sum *eum in finem*, vt me *talem* tibi esse profitear. At quis hoc à te quæsivit (O *Versipellis*,) Non enim interrogat quispiam, quem *in finem Tu es Iesuita*, sed *an sis Iesuita*? Quæstioni *an sis* respondes. *Plenè*, sed *mendaciter*, quæstionem *finis* nemo tibi proposuit, latet igitur hîc fallacia *responsionum diversarum* quæstioni simplici, quarum prima est *mendax*, altera *impertinens*, & nunquid *impertinens occultum*, mendacium præstabit *apertum*, contra naturam cujuslibet enunciationis, cujus finis est *adæquatus* ex præscripto vestri *Toleti*, vt *manifestativa sit rei & conceptus*. Tam puerile igitur & nugatorium commentum, tyrones nostri in *parvis* videant & rideant. *Fu lib. de interp. c. 4 q. 2.*

9 Præsiùs verò quàm *Scripturis* repugnat, ostendat *secundum* nostrum *argumentum*, ex illis locis, quæ *speciatim* videntur hunc *Tragelaphum* impetere; Perstringuntur ij qui *in ore suo pacem loquuntur*, & *in corde* ponunt *suas insidias*, Ier. 9. 8. *Abrenunciandæ sunt* ἀφάνταπα τῆς αἰσχύνης μυσταλέπτων ἐν πανουργίᾳ, *pudenda latebra ambulantium in astutia*, & præcipitur vt ἐν φανερώσει τῆς ἀληθείας in *manifestatione* veritatis nosmetipsos commendemus non tantùm *coràm Deo*, sed *apud omnium hominum conscientiam*, 2 Cor. 4. 2. sed ita *insidiantur*, & *veritatem* sic non *manifestant* æquivocationes *Iesuiticæ*; Ergò *perstringenda* sunt, & prorsùs *abrenunciandæ*. Respondet *Eudæmon nos non* *Arg. 2um.*

Except. 1. Apol. pro Henrico Garneto, c. 2. passim §. 4.

passim & sine delectu, Æquivocationem esse permittendam dicimus, sed *quandò iusta tegendi necessitas ita exprimit, vt cùm verè respondeas, fugias tamen eius conscientiam, qui arcani rescisendi nullum ius habet.* At talis *Æquivocatio* oritur ex prolati sermonis *præceptibili ambiguitate*, non defectu aliquo supplendo per *mentalem reservationem*, de quâ est *quæstio*. Dissentit igitùr *hic Iesuita* à suis, et in ipsius *Æquivocationis explicatione* ipse sophisticè *æquivocat*.

Refutat.

Except 2. Mitigat. cap 7. num. 7. p. 277. & cap. 10 num. 23. p. 424 & cap. 11. num. 31. pag. 460. & cap. 13. num. 2. p. 547.

Succurrit *Parsonus*, delectum illum *sic habendum* esse in usum *Æquivocationis mentalis*, vt vel in *rebus fidei*, aut in *contractibus*, quibus alijs possit esse præjudicio, non *omninò* usurpetur, ut nec in rebus *moralibus*, ut *communi usu* vitæ; quandò Veritas *inter amicos* requiritur, sed vel in *necessaria defensione* ad *evitandum* magnum aliquod *damnum*, vel ad *assequendum* non parvi momenti bonum. Addit *Garnettus*, ve in *quolibet alio vtilitatis* aut *virtutis actu*. Vbi *mentalis occultatio* censetur *expediens*, et studiosa ut ulteriùs extendit *Zanchez*. Contra hìc (ut videtis) ubi pedem figant, non inveniunt Adversarij, *aiunt, negant, limitant, extẽdunt*, nec inter se, nec sibi ipsis satis consentientes, illam quie *Æquivocationẽ* à rebus Fidei excludit *Parsonius*, vrget *Isum Christum* multòties æquivocâsse. Sed cautiores multò, et peritiores sunt hodiè *Iesuitæ*, quin ubi *confessio Fidei Papisticæ* non exigitur, præsertim in *causa Religionis*, persecutionis tempore *potest* quivis, et *fortassè obligatur* (inquit *Parsonius*) vti *Æquivocatione*; In cæteris autem per hanc singularem doctrinam (addit *Navarrus*) *possumus evitare innumera peccata*. Quicquid igitùr blate-

Mitig. cap. num. 43. arg. 58.

blaterant hoc est, quod volunt, vt licitum sit illis æquivocare quandò & quoties libet, vt punctùm ostendit ex varijs ipsorum *casibus*, et determinationibus Magistralibus Doctus quidam è nostris. Hoc autem quam periculosum futurum sit *Ecclesiæ*, *Reipublicæ*, & *reciprocis* singulorum *commercijs* ostendit.

Cap. human. anrel. q. 3. num. 13.

Masonus in Vova arte Mentiendi, cap 3.

10 Tertium nostrum ex *scripturis* argumentum, Omnis *controversiæ* finis (*inter homines* præsertìm, qui mentem non possunt penetrare) ad *confirmationem est iuramentum*, Heb. 6. 16. & per consequens (vbi non requiritur) syncera *affirmatio*, *Est*, *Est*, vel negatio *Non*, *Non*. Iac. 5. 12. sed si subsit *Æquivocationis suspicio* multiplicentur potiùs, quàm finiuntur *lites*, cùm nihil pateat vndè colligat pars alterutra, an *bona fide* agatur, necne. Ergò non tantùm hominum conturbat commercia hæc Iesuitica *Æquivocatio*, sed & irritum facit, Dei de litibus componendis consilium. Distinguunt *Iesuitæ* inter *Iudicem competentem* & non *competentem*, qui *iuridicè* procedat, vel non *iuridicè*. Ac coram *iudice iuridicè procedente*, non *æquivocandum* esse censent; Ne autem alios sic eluderent, nullam putant prohibere *religionem*. Sed refellit hoc *Hieronymus*: Etiam inter *hostes servanda* est *fides*, nec considerandum est cui, sed per *quem* juraveris. Et quanquam in aliquo casu (vt docet *Aquinas*) non *licitum* modò sit, sed & *laudabile*, *veritatem tacere*, præsertìm vbi *efferre* non *teneris*, *falsitatem* tamen *proponere* in *nullo* (inquit) *casu* licet alicui. Nam vt de juramento *Magister* & *Canonista* ex *Isodoro*, quacunq; arte verborum quis juret, *Deus* tamen qui *Conscientiæ testis est*, ita hoc accipit, sicut ille, cui *iuratur*

Arg. 3.

πάσης ἀντιλογίας πέρας εἰς βεβαίωσιν ὁ ὅρκος, Heb. 6. 16.

Except.

In Ezech. 11. Refut.

2, 2 q. 69. art. 2.

3. sent. d. 39.

ratur intelligit: Sic de simplici dicimus *asseveratione* illam *æstimandam* esse, non ex *subdola reservatione*, sed ex convenientia *enunciationis prolatæ* cum *re* proposita ab *interrogante* siquidem ad eum dirigatur. Est enim *interrogatio* (vt ex *Aristotele* didicimus) *Responsionis petitio*. Responsio autem (juxta *Conimbricenses* in istum locum) debet *quadrare interrogationi*, siquidem *ei tribuitur*; Vel adaptat igitur *æquivocans* responsum suum *interroganti*, vel non; si sic cùm pronunciat *aliter* atq; res est, *mentitur*: si non, non mentitur solùm *simpliciter*, sed *dissimulat* insuper & nugatur. Nec interest, verùm judicem alloquatur *competentem*, vel è *trivijs* aut *foro* obvium, *hostem*, aut *amicum*. Vt enim *scriptum mendax* non mutuatur veritatem à *lectore*, sic nec mendax *assertio* à quovis *auditore*. Quæso *Domine mi Dei vir, noli mentiri ancillæ tuæ* (inquit *Sunamitis Elisæo*) tametsi non tecum egerim *juridicè*, & noli Tu *Iesuita* malâ fide, vel *dolo malo* cum ipso *Turca* negotiari, ne cedat in *Christianissimi* (ut evenit in dolenda *Varnensi* clade) *opprobrium*.

De Interpret. 3. c. 2.

4 Reg. 4. 16.

Arg. 4. um.

11 Suffragantur *Quartò Concilia* & *Patres*. Concilium *Toletanum quartum tremendo* ferit *Anathemate simulati iuramenti professionem*, dum retinent in mente *perfidiam*, quod confirmatur in sequentibus ibidem Concilijs 5°, 6°, & 7°. Et ab *Ivone*, *Burchardo*, *Gratiano* in jus Canonicum transfertur; Et quanquam pessimè audit *Constantiense Concilium* ob violatam cum *Iohanne Husso* fidem, quam *Imperator* interposuerat, sed *Synodus* rescindit nequitèr *sess.* 19. præcedente tamen *sess.* 15. Censura percellit *fraudes* & *deceptio-*

cep tiones mentalis *retentionis*, quibus passim utebantur ij, qui in *Reges* et *alios Magistratus* sub prætextu *Tyrannidis* insurgebant. Sic inter *Patres* præscribit *Tertullianus* contra *Gnosticos*. Ita *credendum est sicut* et *scribitur*; *Ita intelligendum est, sicut auditur*. Cui igitur usui inservit *Iesuitica mentalis reservatio*? Adversus *Marcionitas*. *Iusta* (inquit) et *digna prescriptio est*, in omni *quæstione* ad *propositum pertinere debere sensum responsionis*. *Nam aliud consulenti, aliud respondere dementis est*. Eisdem obeliscis *Eleusinia Valentiniana*, sancta tantùm *magno silentio*, et *solâ taciturnitate* cœlestia transfigit, et obliterat. Diabolus siquidem *primus* erat *Æquivocator*, qui

Serpebat tacitè volvens mendacia sensu.

Sc. rp. c. 4.

L. 4. c. 38.

Vt Carmen eiusdem fluit in *Genesin*, cuius Catholica est hæc conclusio adversus *praxin Iesuiticam*. Necesse est, quod *mendacium* admiserit, *qui se, quod non erat, dixit*. Magistrum sequitur *Cyprianus*. Vbi asserit, *Lapsos pacem subdolè petentes*, dum aliud *corde occultant*, aliud *voce denunciant*, non modo *alios*, sed & *seipsos fallere* & *decipere*. Celebre est illud *Ambrosij* & in *ius Canonicum* relatum: *Vnusquisq; simplicem sermonem proferat, nec fratrem suum Circumscriptione verborum inducat. Clementi Alexandro iusiurandum est ὁμολογία καθεστικὴ confessio definitiva*. At quid *certò* definias, vbi *mentalis reservatio* incerta reddat omnia. Quàm decantatum est illud *Gregorij*. *Humanæ aures talia nostra verba iudicant, qualia foris sonant*. At verba tua (ô *Iesuita*) foris sonant *mendacium*; pro mendacio igitur ex *infallibili* tanti *Papæ iudicio* sunt habenda. Quin & ipse *Hieronymus* extra

Ibid. c. 10.

Lib. 1. ep. 2.

Caus. 22. q. 4. c. vnusquisque.

Off. l. 3. c. 10. & 12.

Strom. l. 7.

Caus. 22. q. 5. c. 11.

æstum

æstum contentionis constituus, contra *puram & Christianam dilectionem* esse concedit, *cupere quicquam in mente retinere*, quod *distat à labijs*. Hoc

Apud Augustin. inter opera Hieron. ep. 97. *Augustinus* statim recipit, & ad suam firmandam de *culpabili simulatione Petri sententiam* ingeniosè accommodat. Plura in hanc sententiam tradunt *Canonistæ* ad caus. 22. & omnes fermè *scriptores* alicuius nominis *Augustino* sequiores. Omnis *qui iurat, ad hoc iurat*, (saltem iurare debet) vt *quod verum est, eloquatur*, concludit *Chromatius*. Immò Da mihi vnum ex omni homine antiquitate, *Ethnica, Iudaica, Christiana*, da vel *vnum*, cui *reservationes* istæ probentur (vt *Eudæmonem* vrget *Abbottus* noster *venerandus*) sed frustrà. Nam si vnus *prodiret* eo vel tantùm nomine *proderet* suam hypocrisin.

In 5. Matth. Caus. 22. q. 5. c. 12.

Antilog. c. 2.

Arg. 5 lum. 12 A *Patribus* latum vnguem non discedunt *saniores Scholastici*. Nam *Lombardus 3 sent.* d. 38. & *Aquinas* 2. 2. q. 110. & *sequentibus*. Ita quodvis *mendacium* (quomodocunq; à *Sophistis* coloretur) circumscribunt, vt *æquivocationem* præ cæteris *includunt & condemnant*. Fortassè non *tenetur reus fateri iudici exigenti confessionem*, sed *si fateatur, fateri tenetur veritatem*, pro *Thomistis* deponit *Caietanus*.

2. 2. q. 69. art. 3 Et licet ob *reverentiam Hieronymi* & aliorum Patrum simulationi faventium acumen alicubi intendat *Scotus*, vt *simulationes* nonnullas in rebus *indifferentibus* excusandas esse ostendat, quem sequitur *Tostatus, Pererius* et alij. Tutum tamen aliàs ducit *veritatem pernegantem* ex *tali simulatione*, postea pœnitere, quod non faveret proculdubiò, nisi existimâsset *mentiendo* illum peccâsse. Contravenium 1º Iesuitæ ex

Ibid. art. 7. In 4. sentent. dist. 15. q. 4. & 3. sent. dist. 38. In 27. cap. Genes.

Except.

deter-

determinatione *Hadriani*, statuentis Reum interrogatum *contra ius*, (*an fecerit, quod fecit*) posse secundum omnes *Doctores* respondere, se *non fecisse*. At qui sunt illi *omnes Doctores*, reponit *Sotus, ego nescio*. Fateor me *nullum* legisse: Adducunt secundò *Francisci lepidum commentum*, qui cùm rogaretur à *Fratore* persequente criminosum quendam an vidisset *eum transire*? respondet non *transivit hâc*; sinum *vestis* insinuans. At puerile hoc *dicibulum* (vt verbo vtar *Tertulliani*) *Minoritæ* ipsius asseclæ, vix probabunt, cùm constet *quæstionem* fuisse de transitu *per viam*, non per *manicam* Monachi *pediculosam*. Indigna igitur fuit *Sancto* tam *iocularis iustitiæ delusio*. * Obruit nos demum nostras *Gregorius Sayrus* nube testimoniorum è *schola*; nempe *Paludani*, *Gabrielis*, *Io: Maioris*, *Sylvestri*, *Adriani*, *Henric. Gandavensis*, *Soti*, *Navarri*, *Antonij Cordubensis*, *Michaëlis Salonij*, *Dominici Bannez*, *Petri Arragonensis*, *Gregorij de Valentia*, *Covarruviæ*, *Toleti*, qui vnà cum *Glossa* & *Aquinate* statuunt, licitum esse vti verbis *æquivocis* & *Amphibologicis* ad eludendum iudicem, quia *hoc* (inquit) *non est fallere*, sed *permittere* vt fallatur ex se *iudex*, et in ijs quæ *reus* non *tenetur explicare*. Sed præter scopum vagatur *Casuista*. Aliud siquidem est *de Composito* fallere per *mentalem reservationem*, solummodò Deo notam, aliud *permittere*, vt aliquis *seipsum fallat*, vel ex *neglectis*, vel ex non rectè *intellectis* verborum, aut sententiæ *significationibus*, & *circumstantijs*, quod possibile esset attentiori evitare. Secundum hoc *logicum* æquivocandi genus, citati probant Anthores non *mataiologicum* illud

In 4 sent. ent. de sigillo confessionis.

Refut.

Except. De ratione tegend. secret. memb. 3. q 3. con cl. 4. pag. 316. vt etiam de instit. & iure l. 5. q. 6. art. 2.

Refut.

Except. Clavis l. 12 c. 17. num. 21.

Refut.

Iesuiticum, de quo tantummodò controvertitur.

Argum. 6tum Reiect. de secret. membr. 3. q. 3. Concl. 3. §. His verò De ratione dicendi. tract. c. 17:

13 Illud vlteriùs 6to ex professo insectantur *Recentiores* nonnulli *Doctores* inter *Pontificios* nominatissimi, Agmen ducunt *Dominicus* à *Soto* & Io: *Genesius Sepulveda*, qui, de industria & masculè se opponunt huic *monstro*, & ostendunt non esse *partum* priscæ simplicitatis, sed recentioris editionis *Tragelaphum*. In illa (censet *Molanus*) *illiberalis animi hypocrisin* cum *mendacio* concurrere, qui posteà non absq; *rubore* cum *perfidia* detegitur. Detestabatur *Matthias Hovius Archiepiscopus Meklinienſis omnes Cataplasmantes* huiusmodi *fallacias*, & *astutias*, vt alienas ab illo, qui dixit non *ambulantes* in *astutia*: quo nomine laudatur à *Iacobo Ianſonio Lovanienſi* Theologiæ professore in Oratione funebri. Et quid *Wispiëses* nostri Sacerdotes? *Ars est* (inquiunt) *nostrorum Iesuitarum*, vt in *iuramentis* Magistratus eludant, quam profitentur, *se non didicisse*, saltem non *omninò exercere*, quod & *Barnesius* tandem copiosiùs vt dictum est cum *Sorboniſtarum approbatione* exagitat. Quin & ipsi *Iesuitæ*, *Maldonatus*, *Azorius*, & *Vazques*, *æquivocationem* illam (de qua loquimur) per *mentalem reservationem* præstandam, non audent astruere, *Eudemon* pro *illa* subijcit *ambiguitatem* quæ latet in *prolatis*, sed ex *callida* proponentis *dispositione* sic involutam, vt auditorē minùs circumspectum, in fraudem inducat, *Becanus* declinat tantæ absurditatis invidiam illamq; in *Calviniſtas* (notâ fraude) deonerat. Licet (inquit) cùm *res postulat*, silentio aut dissimulatione *prudenter vti*, sed si loqui vis, *sine mendacio*, *sine fuco*, *sine fraude* id præstare oportet, quam sententiam

De servanda Hæreticis fide l. 1. c. 10.

Disertat. cont. Æquivocat.

Manual. l. 5. c. 21.

cùm

cùm significat *Emanuel Sa*, potiori forsan ratione esse admittendam, quàm illud de *mentali reservatione* commentum, vt patet in 1ª *Aphorismorum* editione *Antwerpiæ* 1599 per *Sylvestrum Pardo* approbata, dispunctam illam invenimus in *editione posteriori Romana* per *Iohannem Mariam Sacri Palatij Magistrum*, vnde quivis intelligat, quâ fide in fidei negotijs *Roma* negotiatur. *Enchiri. l.5.c.121.*

14 *Vltimum nostrum argumentum* absurda congerit, quæ Adversariorum premunt πανουργίαν. Nam si liceat, *enuntiationem* apertè *mendacem* ex *addita* (quam pro libitu quis concipiat) in animo *limitatione*, veram efficere; sequitur 1º frustra *Deum* leges aliquas contra *mendacium*, aut *periurium* tulisse, cum plusquam *fungus* aut *stipes* necesse est, vt sit, cui *mentalis talis* non occurrat *limitatio* & *excusatio*; (sequitur 2do. *Diabolum* non esse *patrem mendaciorum*, vel vnquam *mentiri*, cùm illi nunquam deesse possit (quæ excuset) *Iesuitica mentalis reservatio*. Sequitur 3io. Omnes *Martyres* non *stultos* tantum fuisse, sed & *veritati* & *sibi ipsis* summè iniurios, cùm tenetur quilibet (præsertim in vitæ discrimine) omni legitima vti defensione, quâ seipsum expediat; fieri autem hoc potuit per *stropham* hanc *Iesuiticam*, si ergo fuerit *legitima*, cur hâc non vtebantur? Adeo dolendum est in *schola Loiolitica*, illos *bonos viros* non fuisse educatos. 4to. Quid *Iudex* hïc faceret pro tribunali, quandoquidem hoc *artificio* temperata, *suspecta* possunt esse omnia *testimonia* & *iuramenta*, quæ dirigegerent ipsius sententiam. 5to. (Quod arctiùs forsan *Papicolas* constringit) quomodo papa potest infal- *Arg.7um.*

libiliter controversias fidei dirimere cùm *mixtæ* huiusmodi *propositionis* ex mentali & vocali *cognitor* nemo potest esse, nisi καρδιογνώστης, qualem *Pontificem* Romanum esse adhuc nullus probavit. 6to quæ *fides* potest esse sincera in *fœderibus* aut *contractibus*? sive *publicis* inter *Principes* aut *status*; sive *privatis* in cuiuscunq; generis *commercio*, si lateat *mentalis reservatio*, quæ pervertat omnia? 7mo. Infamem reddit totam *professionem papisticam* (quam appellant *Catholicam* (vt rectè in Epistola ad *Vrbanum*, qui nunc sedet, *Octavum*, vrget *Barnesius*) vnde hoc præ cæteris lucrantur *Iesuitæ*, vt *affirment*, *negent*, *voveant*, *detestentur*, *iurent*, *Sacramento* aut *Anathemate* quovis se *obstringant*, nemo prudens ipsis fidem adhibebit, satis monuit *Pacenius* in causa gravissima de *Fidelitatis iuramento*, omnia ista vincula in *fumum* abire, si vel dispenset *Pontifex*, vel *Iesuita æquivocet*, immò si æquivocet *Iesuita*, non opus erit *dispensatione* Pōtificia ob violatū iuramētū, & ita *Indulgētiarū* (in infinitis ferè cōtractibus præsertim matrimonialibus peribit *lucrū*, quod nescio quā (*fisco* Papali aut *Nundinis*, quæ nunc sunt Iubilæorū) gratū fuerit aut opportuū, nùm ergo nō tantū *mendaciū* quodvis *generatim*, sed & illud, quod ex occulta *fraude* & *aperta* conflatur *enunciatione*, multotiès in scripturis damnetur, et *finis præcipuus* sermonis & iuramenti (qui est *controversias terminare*) hâc imposturâ prorsùs eludatur, si *concilia* & *Patres* non ferendam esse duxerunt tam abominandam *versutiam*, quibus suffragantur *saniores Scholastici* & *Canonistæ*, nec quisquam extiterit inter *priscos* alicuius nominis *Author*

classicus

classicus conscientiæ tam cauteriatæ, aut impudici oris, qui ausus fuerit, tam *prodigiosum commentum* mundo obtrudere, si Cordatiores tandem inter *Pontificios* ad stuporem aliâs dementati, hanc στρεψοδικοπανουργίαν oppugnent & detestentur, et pudeat (ex *Iesuitis*) oculatiores, tam putido & exitiali fuco vlteriùs patrocinari, si tot & talibus gravetur *absurdis* quæ nullus *emuneret*, nemo satis *æstimet*, vel excuset, satis (vt opinor) constat *Æquivocationem Iesuiticam nullo modo excusare à mendacio* aut *periurio* ὅπερ ἔδει δεῖξαι; quod erat demonstrandum.

15 Restant adhuc Adversariorum *obiectiones* paucioribus contrahendæ & diluendæ. *Prima* nititur *exemplis Sanctorum*. Secunda *Dei ipsius* & *Christi* Servatoris ex *Scriptura* depromptis. Exempla *Sanctorum æquivocantium* sunt vel ex *veteri Testamento*, vel *Novo*, summa est: *Sancti, Deus, Christus ipse æquivocatione vsi sunt Iesuiticâ*; At *non mentiebantur*. Ergo *Iesuiticè æquivocare non est mentiri*, multo minùs *peierare*. Propositionem confirmare satagunt confluge *instantiarum*, mihi sat erit illas tantùm *seligere*, et *refellere*, quæ præcipui videntur momenti, & ex *quibus pateat*, quid de *cæteris omnibus* sit æstimandum. Primò (inquiunt) *Abrahamus* aut *mentiebatur*, quando dixit *Pharaoni* aut *Abimelech* de *Sara, Soror mea est*. Genes. c. 12. & c. 20. aut *æquivocatione* excusandus. Respondeo 1° *generatìm* ex *Augustino*: *Hac quando in Scripturis sanctis legimus, non ideo quia facta credimus, etiam facienda credamus, ne violemus præcepta dum passìm sectamur exempla* contra *Mendacium* cap. 9°. Speciatìm verò *ex eodem, non dixit*,

Ob. 1.

Sol: generat.

non est vxor mea, sed dixit Soror mea est, aliquid veri tacuit, non *falsi aliquid dixit. Ibid.* cap. 10. quod confirmat *Textus, quare non indicasti mihi* (inquit Pharao) *quòd vxor tua esset.* cap. 12. 18. Nemo (respondere potuit, *distinctè Abaham*) *hoc à me petijt*, nec *necesse erat, vt sponte indicarem*, sed *cur dixisti* eam esse sororem? quia *verè soror mea est, filia Patris mei.* cap. 20. 12. Non est autem *mendacium*, cùm *silendo absconditur verum*, sed *cùm loquendo promitur falsum*, vt *mendacium* excusantibus, *Patriarcharum exemplo, Priscillianistis* respondet *Augustinus*. Instant 2do. in *obstetricibus* et *Rahab remuneratis*, & *laudatis* in sacris literis, quæ apertè mentiebantur, nisi excuset *mentalis reservatio*. Resp. De *Obstetricibus* respondet *Augustinus*: Non *remunerata* fuit ijs *fallacia*, sed *benevolentia, benignitas mentis*, non *iniquitas mentientis*, illud *puniendum*, hoc *renumerandum*. De *Rahab* addit cum glossa *Hugo Cardinalis*. Ab *Apostolo* ad *Hebraos laudatam fuisse* ipsius *fidem* in *Deum*, non *dolum* in *proximum*. Mirum autem est in mentem non venisse hisce *patribus* & *scholasticis mentalem Iesuiticam reservationem*, Hæc siquidem dexterrimè potuissent tales lapsus à sinistra quavis suspicione liberare. *Tertiò* contendunt ex istis locis, (vbi ptofitetur *Propheta*, se ad *immolandum Domino* venisse Bethlehem; 1. Sam. 16. Vbi *excidium* intra 40 *dies denunciatur Ninivitis* à *Iona*. cap. 3o, & mors *ægrotanti Ezechiæ, Isaiæ* 38.) Nec *Prophetas*, nec *Deum* (qui præcepit) sine *æquivocatione mentali* à *mendacio verbali* excusari. *Responsio* generalis est. *Occultatam* fuisse in omnibus istis & similibus

Sol. special.

Contra mendac. cap. 10. Ob. 2a. Exod. 1. 19. Ios. 2. 4. 5. Hebr. 11.

Sol.

Ob. 3a.

Sol.

similibus instantijs, *partem veritatis* pro tempore in *cautelam*, non *prolatum* fuisse *aliquid*, quod ex *insidijs* verificaret *mentalis reservatio*: Speciatim *Samuel* illud *præstitit*, quod *dixit*, sed vlterius quid *erat* 1.Sam.16.4.
facturus non *indicavit*, quid igitur hic excusaret *mentalis reservatio*? Interminatio *Ionæ notam* omnibus inclusit *limitationem*, perirent, *nisi pœnitentiam agerent*, vt cum *Chrysostomo* exponit *Ribera*, quod ipsum intellexerunt *Ninivitæ*, ideoq; *pœnitentiam* egerunt, vel ostendit, quid *expectandum* esset iuxta ipsorum *merita*, non quid immutabiliter esset *futurum*, explicante *Aquinate*: quo sensu intelligendum est, etiam illud *Isaiæ*, *morieris* & non *vives*, Hoc est in 2.2.q.171. A.6.ad.2.
ordine *secundarum causarum* ad effectus, morbus tuus est *lethalis*, sive *dispositio corporis tui* ad *mortem ordinatur*, de eventu autem nil *peremptoriè* determinatur. Nam ita omnis spes exorandi *Deum Ezechiæ* fuisset præcisa. Tantum igitur refert *Propheta*, quid Deus ipsi in *mandatis dederit*, vt indicaret, hoc autem intellexit *Rex*, *limitationem* includere. *Quartò* Ob.4.
vrgent *Servatorem* multoties in *Evangelio* æquivocâsse, hoc est enunciâsse *falsa* absq; *tacitæ limitationis supplemento*, idq; *octies* (si fides sit *Personato* nostro *Parsonio*) in vnico Iohannis capite nempe *octavo*, ego non *iudico quenquam v.*15. veritas *liberabit vos* v.32. *non quæro gloriam meam v.*50. *si quis sermonem meũ servaverit, mortem non videbit in æternum.* v.51. *gloria mea nihil est.* v. 54. *Non cognovistis eum.* v. 55. *Abraham videt diem meum.* v.56. *Antequam Abraham fieret ego Sum.* v. 58. Respondeo: *Fustibus* sunt ista digniora, quàm *refutatione* seriâ. Nam

si

Sol. si obscuriora, quæ in varios *sensus* torqueri possint, pro *mendacijs* haberentur, sine *mentalis reservationis additamento*; à principio *Geneseos* ad *Apocalypseos* finem, vix immunis esset ab *æquivocatione* sententia. Ab *obscuritate* autem vel *ambiguitate* ad *falsitatem*, ridicula est consequentia, sufficit *enunciata ista* aliquo *sensu intelligibili*. in se esse vera, non requiritur, vt *ab indignis* statim intelligantur, opus igitur erat *diligenti animadversione* (vt rectè consulit *Iansenius*) non fraudulētâ mētalis reservationis *excogitatione*. *Quintò*

Ob.5ª. pergunt in *Iesum Iesuitæ*: Dicit *Christus*, Ego *non ascendo ad festum*. *Ioh.* 7. 8. cùm tacitè apud se statuisset ascendere. Ergo vel *mentitur* vel *æquivocat*. *Respond.* textus *nodum* soluit, et *obijcientium* prodit *impudentiam*. Fons originalis sic fluit, ἐγὼ οὔπω ἀναβαίνω *Syrus*, non *ascendam nunc*. *Latinus*. Ego non ascendo, ego *nondum* ascendo, ad verbum reddit *Arias Montanus*, quid apertiùs? *ascensum* distulit, non *negavit*, quod non tantum è *priscis*, sed è recentioribus plurimi inter *Pontificios* sine *fuco* agnoscunt. *Sexto* nugantur. Profitetur *Salvator*, se *vltimum diem ignorare*, Marc. 13. 32. at *æquivocationem* in ijs verbis aliquam latere ne *Calviniani quidem negare possint* (inquit *Eudæmon*) Respondeo: Nominet ex illis *vnum*, qui *omnibus* labem aspergit. *Quadruplex* est apud *Patres* huius loci expositio: prima *Epiphanij*, *Chrisostomi* & *Bernardi*: Nesciebat, quia non sciebat *practicè* vt *pater*: Secunda est *Gregorij*, nescivit in *persona Ecclesiæ*, non *sua*. Tertia est *Origenis*, *Ambrosij*, *Nazianzeni* & *Cyrilli*, non *sciebat* vt *Homo* id est *humanâ scientia*, sed *divina revelatione*. Hominis

Sol.

Ob.6ª.

Ju Apolog. pro Henr. Garnet c 2.

Vid. Barnes dissert. 9. 47. & 48. num. 10.

minis enim naturæ proprium est ignorare futura. Atq; hâc interpretatione contra æquivocantes *Arianos, Cyrillus* nititur. Quarta est *Hieronymi, Augustini, Basilij* & *Theophylacti*, quod *Filius dicatur nescire*, quia *non sciebat ad dicendum alijs*. Hanc præ cæteris amplectitur *Bellarminus*, vtpote strophis sociorum præcipuè accommodatam, sed absq; minimo *salis* grano. Nam si ideo *Filius* dicatur nescire, vt revelet *alijs*, sic nec *Pater scit*, quà Deus, *vt revelet alijs*, & per consequens, non esset *omniscius*: Deinde nulli ex Patribus *mentalem* hîc *reservationem* somniant, sed exponunt textum diversimodè ex *diversa* verbi τοῦ διὰν *significatione*. Nam *scire* apud illos, & *cognoscere* denotat *simpliciter*, & *efficere*, vt *cognoscant alii*; proferunt ergo *Patres* illud ad præstandam Servatoris *Protestationem*, quod existimant *textum ipsum* suppeditare. *Septimò* ex *Servatoris* gestu, quo finxit discipulis *Emauntem* proficiscentibus, se longiùs iturum, excuderent nescio quem *æquivocationis Chamæleonta* sive *Proteum*. Sed reclamant *Domestici*. *Dominus voluit vlteriùs progredi, si non retineretur* à *discipulis*, Barradius Iesuita Tom. 4. l. 8. c. 12. Et *nil veritas fingit* (inquit *Ribera*) *si eum non tenuissent, transiisset sine dubio, issetq; longiùs*, vbi igitur in hoc facto *mendacii species*, vt opus esset æquivocationis tectorio? Minoris momenti sunt, quæ ex *sacris literis* corraduntur reliqua, & quæ ex *dictis* facile eliduntur.

In Matth. tract. 30.
In 24 Matth.
De Anima Christi l. 4. cap. 5 to.
Luc. 24. 28.
Ob. 7a.
Sol.
In Amos 2. num. 21. pag. 344.

16 Octavò cavillantur *Medicos* (qui coguntur aliquoties *melancholia* aut *phrenesi* laborantes, excogitatis *commentis* demulcere, et decipere) sine hoc

Ob. 8va.

æquiuocationis pharmaco non posse *mendacium* declinare.

Sol. Sed respondebunt *Medici*, cõmenta huiusmodi *subintellectam* semper habere *modificationem*, vsu notissimam, vt constet ex re, *de qua agitur*, & *fine* quẽ proponũt, illos nõ *fingere vt fallant*, sed *ficta tũtumnarrare*, vt *ægrotantis infirmitati consulant*, vbi *adiecta* in exitu negotij *explicatio*, non *perfida* æquivocationis *impostura* sanat omnia. *Michæam* quis excuset mentientem *Achabo* in primo congressu, nisi *sermonis exitus* fidem postea liberâsset.

1.Reg.22.

Ob.9. Nonnugantur, nec *iudices* in reis examinandis, vel *consiliarios* in *arcanis* principum *celandis* posse praxin suam defendere absq; mentalis reservationis *panacea*.

Sol. Resp. Ridiculè! Aliud siquidem est *scrutinium* ad veritatem eruendam, aliud *subterfugium* ad *mendacium* palliandum.

1.Reg.3. Primum confirmatur ex *Salomonis* praxi in *meretricium* causa: Et *Servatoris* cum *Philippo*, quem de *panibus percontabatur*, *tentans eum* (vt habet textus) Ipse enim *sciebat*, quid esset *facturus*.

Io:6.c.6. Ioh. 6. 6. Vnde constat, prudenter aliquem *tentare*, aut *propositum* celare, tam longè abesse *à mendacio*, vt illi à *sinceritate* absint *Christiana*, qui patrocinantur *mendacio*.

Ob.10. Decimò obijciunt, *stratagemata* visitata *æquivocationis* auxilio indigere.

Sol *Resp.* At inter *hostes* constat, *expectanda* esse huiusmodi *molimina*, quibus non *profertur* mendacium, sed *occultatur* veritas, vt inopinatò alter alterum adoriatur, sic *Haitas* adortus est *Iosua*, non *mentiendo*, sed quid moliebatur *non manifestando*.

Ios.8.

Ob 11. Vndecimò adducit *Azpilcueta* illud *Gregorij* Moral. lib. 26. cap. 7. *Humanæ aures talia verba nostra iudicant, qualia foris sonant, divi-*

Decret. Caus.22.q.5.c. 11.

na

na vero iudicia, talia foris audiunt, qualia et intus proferuntur. Ergo *Æquivocatio Iesuitica mentalis*, vtcunq; *sensu Hominum* enunciet *mendacium*, coram cordis tamen *scrutatore* veritatem includit. Respondeo. Nil aliud vult *Gregorius*, quàm cùm aliàs *constet* de *loquentis sinceritate*, verba *prolata* (vtcunq; in se *ambigua*) ab auditoribus in sensum iniquum calumniosè non esse rapienda, et torquenda, sed in meliorem partem *candidè exponenda*. Patet hoc ex scopo *Gregorii*, qui defendit *Iobi sermonem* contra *Heliu* captiunculas, verba illius torquentis præter *proferentis* intentionem, & aliter quàm revera potuissent explicari. Vnde subijcit. *Apud homines cor ex verbis, apud Deum verò verba pensantur ex corde. Beatus ergo Iob dum hoc ait exterius, quod interius Dominus dixit; omne quod loquutus est tanto iustius exterius intulit, quanto piè ab interna sententia non recessit.* Sol.

Duodecimo. Insurgit *Becanus*, & cùm suorum strophas non audeat præstare, *Fabum* mentalis reservationis cudit in *Reformatos*, quod (et familiam Iesuitis *calumniâ*) antea fecissent *Eudæmon* & *Parsonius*. Sed provocant nostri ad *prolata verba*, et ostendunt *eum* sensum in illis extare, *quem volunt*, & quem circumspectus lector aut auditor, eliciat non se recipiant ad *mentales Chimeras*, vt mendacio colorem inducant. Quid ergò, vt vltimò respondeamus *Eudæmoni* & *Parsonio*, Omnesne *cogitationes*, & *animi sensus* sunt prodendi, nec probandum, vel in *Principis* aut *Patriæ* discrimine, vel ad *conservandam uxoris*, aut *Matris castitatem*, vel ad *declinandam* in proprio periculo *tyranni* irruentis *sævitiam*, vel ad Ob. 12. Sol. Ob. 13.

retun-

retundendam *Zelotypi* in vxorem innocentem *furorem*, vel ad avertendum *latronem*, *feurium* aut *grassatorem* ab innocuo *viatore*, *certum* aliquod et *securum* ei elabendi *subterfugium*? Respondeo Audiant *Firmum* Episcopum *Tagastensem* apud *Augustinum*. *Nec prodam*, nec *mentiar*, & *Fœminam* in *equuleo* apud *Hieronymum*, Non *ideo negare volo*, ne *peream*, sed *ideo mentiri nolo*, *ne peccem*. Fac tu simpliciter quod præcipitur, Deus novit insontibus prospicere absq; peccati patrocinio, *Quis enim ascendat in montem Domini*, et *quis stabit in loco sancto eius*? *Innocens manibus*, *& mundus corde*, *qui non accepit in vano animam suam*, *non iuravit in dolo proximo suo*. Foris autem erunt *canes* & *venefici* & *scortatores* & *Homicidæ*, & *Idololatræ*: & omnis *qui amat* et *facit mendacium*, Apocalypsis vltimo. Conclusio sit *Augustini*, vltimo etiam *Capite* contra mendacium ad *Consentinum*. Aut *Cavenda* sunt igitur *mendacia rectè agendo*, aut *confitendo sunt pœnitenda*, *non autem*, cùm *abundent infœliciter vivendo*, *augenda sunt* & *docendo*. *Deus Pater per Filium* in *Spiritu Sancto*, ducat nos *omnes in omnem veritatem*, cui *Deo Trivni*, *sit omnis Potestas*, *laus* & *gloria in secula seculorum Amen*.

Sol. De Mendac. c. 13.

De Muliere Septies icta ad Innocentium.

Psa. 24.

FINIS.